BIBLIOTECA

BIBLIOTECA
Montefuscо
SALA Aula Magna
SCAFFALE III
NUMERO 147

BIBLIOTECA
Montefusco
SALA Aula Magna
SCAFFALE III
NUMERO 147

BIBLIOTECA

3615

CLYPEUS PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ

CONTRA VETERES ET NOVOS
ejus Impugnatores,

AUTHORE R. P. F.
JACOBO CASIMIRO
GUERINOIS, Cenomanensi,
Ordinis FF. Prædicatorum, Provinciæ Tholosanæ, Strictioris Observantiæ, in Burdigalensi Academia Regio Antecessore.

In hoc opere veterum Philosophorum Dogmata, adversus Cartesii aliorumque modernorum inventa, stabiliuntur.

TOMUS QUINTUS,
Quartam PHYSICÆ Partem complectens.

VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

MDCCXXIX.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

BIBLIOTECA DEL MIN. CAPPUCCINI
MONTEFUSCO
VOLUME

BIBLIOTECA O. F. M. CAP.
MONTEFUSCO
(Av)

INDEX
TOMI QUINTI.

PARS IV. PHYSICÆ. *De Ente vitaliter mobili, sive de anima.* Pag. 9.
QUAEST. I. *De anima in communi.* 10
ARTIC. I. *Quid sit anima?* *ibid.*
§. Unicus. *Vtrum anima rationalis sit verè & propriè anima.* 14
ARTIC. II. *Quotuplex sit anima, & quot sint modi vivendi.* 19
ARTIC. III. *Quotuplex sit forma substantialis in composito, & anima in vivente.* 25
§. I. *In uno vivente, quantumvis omnia vitæ genera habeat, est unica anima, quæ omnia vitæ munera præstat, & tribuit omnes gradus.* 26
§. II. *Plures animæ, etiam de potentia Dei absoluta, non possunt simul esse in uno & eodem vivente.* 32
§. III. *Vna numero substantialis forma, nec naturaliter, nec supernaturaliter, potest simul informare plures materias numero distinctas.* 39
§. IV. *In uno & eodem vivente, præter animam non datur forma corporeitatis, realiter distincta ab anima.* 42
§. V. *Vtrum in vivente sint admittendæ partiales formæ?* 61
ARTICUL. IV. *De informatione animæ.* 75

INDEX

§. I. *Licèt anima sit principaliùs in capite, pectore, corde, & in ejusmodi partibus præcipuis viventis; ipsa tamen est in toto corpore vivente, sive in omnibus & singulis ejus partibus, in quibus aliqua vitæ operatio cernitur* . 76
§. II. *Virùm sanguis animetur?* 82
§. III. *Dentes, ungues, & capilli vivunt & animantur verè ac propriè anima totius hominis.* 95
ARTIC. V. *De indivisibilitate & divisibilitate animæ.* 100
§. I. *Anima rationalis est indivisibilis.* *ibid.*
§. II. *Anima perfectorum animalium sunt indivisibiles.* 106
§. III. *Animæ imperfectorum animalium, & plantarum, sunt divisibiles.* 117
ARTIC. VI. *De potentiis animæ in communi.* 120
§. I. *A quo specificentur potentiæ animæ? ibid.*
§. II. *Quot sint genera potentiarum animæ?* 135
§. III. *Quomodò potentiæ animæ ab ipsa distinguantur?* 139
QUAEST. II. *De anima vegetativa.* 154
ARTIC. I. *De potentia nutritiva.* 156
§. I. *Quid sit potentia nutritiva?* *ibid.*
§. II. *De cibo & potu.* 160
§. III. *De fame & siti.* 166
§. IV. *De nutritione.* 168
§. V. *Quomodo, & quonam ordine, nutritio perficiatur?* 172
§. VI. *De facultatibus administris potentiæ nutritivæ.* 176
§. VII. *Quædam circa nutritionem quæstiunculæ solvuntur.* 178
§. VIII. *Virùm nutritio & augmentatio sint motus successivi & continui?* 183
ARTICULUS II. *De potentia augmentativa.* 188

§. Uni-

i. Unicus *De ætatibus.* 194
ARTICULUS III. *De potentia generativa.* 195
i. I. *Quid sit generatio viventis?* *ibid.*
i. II. *De quidditate ante essentiam potentiæ generativæ.* 197
QUAESTIO III. *De anima sensitiva.* 202
.. RTICULUS I. *De sensibus in communi.* 203
.. I. *De speciebus sensibilibus.* 205
.. II. *Variæ objectiones solvuntur.* 210
. III. *Aliæ objectiones diluuntur.* 216
IV. *Virùm species impressa sit formalis similitudo objecti?* 225
. V. *Virùm species impressa objecti sit ipsummet objectum in esse intentionali?* 234
. VI. *Virùm & quomodo potentia cognoscitiva fiat idem cum specie intentionali?* pag. 243
VII. *Quomodo species impressa ad cognitionem concurrat?* 250
RTIC. II. *Quid senserint Recentiores Philosophi circa sensationes & species sensibiles?* pag. 258
II. *Quid senserit Cartesius?* *ibid.*
III. *Quid senserit Epicurus?* 264
R.TICUL. III. *De sensibus externis in communi.* 267
I.. *De objecto sensus externi.* *ibid.*
I.I. *Virùm sensibile commune sentiatur per propriam speciem impressam?* 270
I.II. *Virùm sensibile conjunctum immediatè sensui externo, vel ipsi contiguum, possit ab ipsa sentiri?* 278
I.V. *Quomodò vehemens sensibile cædat sensum?* 286
W. *Virùm & quomodò sensus erret circa objectum suum?* 291

ARTIC. IV. *De sensibus externis in particulari.* 294
§. I. *De organo visus.* ibid.
§. II. *In qua oculi parte potentia visiva subjecteur?* 298
§. III. *De objecto potentiæ visivæ.* 307
§. IV. *Sententia Peripateticorum circa naturam caloris explanatur.* 313
ARTIC. V. *De auditu.* 317
§. I. *De organo auditus.* ibid.
§. II. *Quodnam sit potentiæ auditivæ proximum subjectum.* 320
§. III. *De sono contra Carteſium.* 324
§. IV. *De sono juxta Peripateticos contra Gaſſendum.* 333
ARTIC. VI. *De odoratu.* 338
§. I. *De organo odoratus.* ibid.
§. II. *De subjecto odoratus.* 340
§. III. *De objecto odoratus, contra Carteſium & Gaſſendum.* 343
§. IV. *De odore juxta Peripateticos.* pag. 346
ARTIC. VII. *De gustu.* 350
§. I. *De compoſitione linguæ.* 351
§. II. *De subjecto & medio gustus.* 353
§. III. *De objecto gustus.* 355
ARTIC. VIII. *De tactu.* 360
ARTICULUS IX. *De sensibus internis.* 366
§. I. *De sensu communi.* ibid.
§. II. *De phantaſia sive imaginativa.* pag. 368
§. III. *De æstimativa seu cogitativa.* 369
§. IV. *De memoria sensitiva, seu de reminiscensia.* 370
§. V. *Quonam modo distinguantur quatuor allati & explicati sensus.* 371

§. VI.

.. VI. *De appetitu sensitivo.* 376
ARTIC. X. *Virum detur anima sensitiva in brutis?* 381
§. I. *Doctrina Cartesianorum, auctoritate Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & ratione confutatur.* 382
.. II. *Quædam objectiones Cartesianorum solvuntur.* 390
.. III. *Aliæ Cartesianorum objectiones solvuntur.* 396
.. IV. *Satisfit aliis Cartesianorum objectis.* 401
QUAESTIO Ultima. *De anima rationali.* 409
ARTICULUS I. *Quid sit anima rationalis?* 410
.. I. *Ostenditur, animam rationalem esse spiritualem.* *ibid.*
.. II. *Probatur, animam rationalem esse immortalem.* 420
.. Unicus. *Objectiones solvuntur.* 425
ARTIC. II. *Vtrùm anima rationalis sit altera perfectior?* 431
ARTIC. III. *De intellectu.* 440
.. I. *Quid & quotuplex sit intellectus?* *ibid.*
.. II. *Quodnam sit objectum intellectus possibilis?* 447
.. III. *Quomodò intellectus distinguatur à memoria intellectiva, & qua ratione intellectus speculativus, & intellectus practicus, nec non ratio superior, & ratio inferior, inter se differant?* 456
ARTIC. IV. *De intellectione & specie expressa seu verbo.* 462
I. *De intellectione.* *ibid.*
II. *De verbo.* 465
.. III. *Quænam potentiæ formet verbum?* 473

BIBLIOTECA O. F. M. MONTEFUSCO (Av.)

INDEX TOMI QUINTI.

ARTICULUS V. *De voluntate.* 476
§. I. *Vtrùm voluntas sit potentia realiter ab intellectu distincta?* 477
§. II. *Vtrùm intellectus sit præstantior voluntate vel è contra?* 481
§. III. *In quo consistat potentia animalium motrix?* 493

FINIS.

PHYSI-

PHYSICÆ PARS QUARTA.

De Ente vitaliter mobili, sive de Anima.

ULtimum entis mobilis genus est ens vitaliter mobile, seu mobile motu vitali; ideòque postquam disseruimus in prima parte Physicæ de Ente mobili in communi, in secunda verò parte disputavimus de Ente localiter mobili, & in tertia de Ente mobili motu generationis & corruptionis sermonem habuimus; in hac tandem quarta & ultima parte Physicæ agendum est de Ente vitaliter mobili, id est, de vivente, quod mobile est motu vitali, qui nempè à principio activo interno & radicali, nimirum ab anima, procedit.

Ex quo infertur, quodnam sit objectum proprium & adæquatum hujus quartæ partis, est enim *vivens*, prout mobile est motu vitali. Ratio hujus est; quia *vivens* ita sumptum, est, de quo primariò agitur in hac quarta parte, & comprehēdit omnia, quæ in eadem parte tractantur; ut infrà patebit in decursu. Distingui tamen potest duplex hujus quartæ partis objectum; nimirum objectum *quo*, & objectum *quod*. Objectum *quod* istius quartæ partis est *vivens* prout est motu vitali mobile, quod primariò hęc pars considerat, quodq; omnia

ad eandem partem pertinentia complectitur. Objectum verò *quo* ejuſdem partis eſt anima, quæ eſt id, quo vivens conſtituitur.

QUÆSTIO PRIMA.

De anima in communi.

SOlent Philoſophi, de rebus diſputaturi, priùs de eis in communi, quàm de ipſis in particulari, diſſerere. Hunc ordinem ut ſequamur, agemus primò de anima in communi, & deinde de ipſa in particulari, diſſerendo de ſingulis animæ ſpeciebus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit anima?

CIrca quidditatem animæ varia fuerunt antiquorum placita, variique errores. In primis enim quiddam antiquiſſimus nomine *Phthiota* ſenex negavit, dari animam, nomenque *animæ* eſſe totum inane aſſeruit, & fruſtrà vocari *animalia* aut *animantia*. Hæc ſententia planè abſurda eſt; ſi enim nulla eſt anima, homines ſunt inanimati & irrationales.

Secunda ſententia fuit Democriti & Leucippi, qui exiſtimarunt, animam eſſe calorem, vel ignem: nam cùm animalia per animam moveri cernerent, putaverunt, animam eſſe illud, quod ipſis maximè videbatur moveri, nempè ignem, quem volebant conſtare ex corporibus indiviſibilibus (quæ vocabant atomos) in continuo motu verſantibus.

Hæc ſententia in primis ex eo confutatur, quòd, quia anima conſtituit viventia, ignis deberet viventia conſtituere; & tamen potiùs ea deſtruit,

mit, ut experientia patet. Deinde, cùm ignis, doctrina Democriti & Leucippi, conſiſteret in mis, debet anima in atomis conſiſtere; unde, m permanente eodem vivente, atomi cum aere iberè ingrediantur, & egrediantur, in ipſius vi- ntis reſpiratione; anima poſſet facilè & liberè redi, & egredi, eodem vivente permanente; od videtur abſurdum & ridiculum.

Diogenes verò docuit, animam eſſe aerem, ut- itè ſubſtantialem ſubtiliſſimam. Heraclitus au- m aſſerit, animam eſſe exhalationem calidam. urſus Thales voluit, animam eſſe aquam. Sed omnes ſententiæ ex eo refelluntur, quòd quia r, exhalatio calida, aqua, & ſimilia, ſunt in homi- & in brutis ejuſdem rationis; ſequeretur, ani- am hominis, & animas brutorum, eſſe ejuſdem tionis; quod pluſquam abſurdum eſt.

Præterea Empedocles affirmavit, animam eſſe armoniam quandam & temperaturam elemen- orum. Hoc autem etiam falſum eſt: quandoqui- em harmonia vel temperatura quatuor elemen- orum, nihil aliud eſſe poteſt, præter accidens uoddam; anima verò debet eſſe ſubſtantia quæ- am; quandoquidem debet conſtituere vivens, uod eſt ſubſtantiale compoſitum. Hinc refellitur ntentia Galeni aſſeverantis, animam eſſe com- exionem quatuor primarum qualitatum: hæc mim complexio, ſunt ipſæ quatuor primæ quali- tes, ut ad quandam temperaturam redactæ; pro- dèque cùm quatuor primæ qualitates ſint acci- entia quædam, etiam complexio illa ſit accidens uoddam eſt neceſſe; & ita non eſt anima, quæ bſtantia eſt. Pithagoras & Plato animam defi- ierunt hoc modo: *Anima eſt natura, ſeu numerus ipſum movens.* Obſcura ſanè definitio. Ariſtoxe- us Muſicus dixit, Animam eſſe *Muſicalem harmo- iam*: *Ne*, inquit Cicero, *ab arte ſua diſcederet.* lii aliter ſentiebant, de quibus videri poteſt Ari- oteles hic lib. 1. cap. 2. His ergo omnibus ſenten- is, vel erroribus rejectis,

Ariſtoteles lib. 2. de anim. c. 1. ſic animam definit: *Anima eſt actus ſubſtantialis corporis naturalis organici potentia vitam habentis.* Cujus definitionis ſingulæ partes breviter hic ſunt explicandæ. Anima itaque dicitur *actus primus ſubſtantialis*; id eſt forma ſubſtantialis: hinc forma ſubſtantialis communiter definitur: *Actus primus materiæ.* Additur, *corporis naturalis*, id eſt, materiæ primæ, quæ eſt pars corporea compoſiti naturalis; unde sẽſus eſt, animam eſſe formam ſubſtantialem materiæ primæ informativam; in quo differt ab Angelo, qui eſt quidem ſubſtantialis forma, at non informativa materiæ, ſed ab ea ſeparata, & per ſe ſubſiſtens. Subditur, *organici*: in quo differt anima ab aliis formis; cùm etenim anima multas & diverſæ rationis operationes habeat, quæ nequeunt uni & eidem parti competere; exigit neceſſariò ſubjectum organicum, id eſt, corpus diverſas partes diverſimodè organizatas ſeu diſpoſitas habens, ad ejuſmodi operationes exercendas.

Additur tandem, *potentia vitam habentis*; quibus verbis ſignificatur, prædictam organizationem non debere eſſe mortuam, qualis eſt organizatio cadaveris; aut ad vitæ munera ineptam, qualis eſt organizatio ſtatuæ lignæ; ſed debere eſſe proximè ordinatam ad vitam, ſeu ad vitales operationes exercendas, qualis eſt organizatio corporis infantuli in utero matris efformati: unde duplex poteſt eſſe ſupra dictæ definitionis animæ ſenſus. Primus eſt iſte: *Anima eſt actus primus ſubſtantialis, informativus materiæ organicæ, proxima potentia vitam ſubſtantialem, ſeu animam, habituræ.* Secundus ſenſus eſt hujuſmodi: *Anima eſt actus primus ſubſtantialis, conſtitutivus viventis organizati, potentia proxima vitam accidentalem,* (id eſt, operationes vitales) *habituri.*

Ariſtoteles lib. 2. de anima cap. 2. hanc aliam tradit animæ definitionem: *Anima eſt id, quo primò vivimus, ſentimus, loco-movemur, & intelligimus.* Seu, quod idem eſt: *Anima eſt primum principium*

ipsium vivendi, sentiendi, loco movendi, & intelligendi.

Utraque autem definitio animæ ab Aristotele tradita, est essentialis. Prima quidem essentialis est: quia traditur per id, in quo essentia animæ posita est, nempè per hoc, quòd anima sit *actus primus substantialis informativus materiæ organicæ &c.* Secunda etiam definitio est essentialis: licèt enim principia proxima vivendi, sentiendi, &c. id est, principia proxima operationum vegetativarum, sensitivarum, &c. sint dumtaxat animæ proprietates, & ita quædam ipsius accidentia, attamen primum & radicale illarum operationum principium est ipsamet animæ essentia, (ut communiter docent Philosophi) proindèque secunda animæ definitio, quæ animam explicat per hoc, quòd sit hujusmodi operationum primum & radicale principium, datur per id, quod est ipse animæ essentia, sicque essentialis est.

Prima definitio explicat animam à priori, etenim, quòd anima sit *actus primus substantialis informativus materiæ organicæ &c.* est id, quod in anima priùs concipitur, idcòque prima definitio, quæ animam exponit per hoc, quòd sit *actus primus substantialis informativus materiæ organicæ &c.* animam explicat per id, quod in anima prius est; subindeque animam explanat à priori. Secunda autem definitio animam quodammodò explicat à posteriori: nam quòd anima sit *actus primus substantialis informativus materiæ organicæ &c.* est id, quod priùs in anima concipitur; (ut suprà dicebamus) ex quo sequitur, tanquam aliquid posterius, quòd sit primum principium vivendi, sentiendi, &c. prius namque est, quòd materia organica *viventis* informetur per primum & substantialem actum, quàm sit vivens, sentiens, &c. Hinc communiter apud Philosophos dicitur, primam animæ definitionem per secundam à posteriori demonstrari & explanari.

Se-

Secundæ autem definitionis (quæ eſt hujuſmodi *Anima eſt id, quo primò vivimus, ſentimus, locomovemur, & intelligimus*)duplex poteſt eſſe sẽſus. In primis enim ſumi poteſt illa definitio in ſenſu diſtributivo abſoluto, adeò ut ſignificet, animam in communi, & quamlibet animam in particulari, eſſe primum principium vivendi, ſentiendi, loco-movendi, & intelligendi; & definitio illam iſto ſenſu accepta, ſine ulla dubitatione, falſa eſt, cùm ſola rationalis anima ſit primum illarum omnium operationum principium. Alio modo accipi poteſt præfata animæ definitio, videlicet in ſenſu diſtributivo accommodo, ita ut ſignificet, animam eſſe primum vivendi, aut vegetandi principium in his, quæ vegetant; (ut in plantis) ſentiendi in his, quæ ſentiunt, (ut ſunt oñnia animalia) loco movendi, in his quæ loco-moventur; (ut ſunt animalia perfecta) & intelligendi, in his quæ intelligunt (ut ſunt homines:) & definitio illa animæ in hoc ſenſu uſurpata, eſt vera; ad hoc quippe ſufficit, ut omnis anima ſit primum principium vèl vivendi, ſeu vegetandi, vel ſentiendi, vel loco movendi, vel tandem intelligendi, juxta diverſam viventium naturam.

§. UNICUS.

Virùm anima rationalis ſit verè & propriè anima?

DIcendum eſt, animam rationalem eſſe verè & propriè animam.

Probat. nomine animæ verè & propriè dictæ, apud Peripateticos, intelligitur ſubſtantialis forma *viventis*: atqui anima rationalis eſt verè & propriè ſubſtantialis forma *viventis*, nempè *hominis*: ergo &c. Prob. min. in primis ex Concil. generali Viennenſi, ſub Clemente V. in quo definitum fuit, animam rationalem eſſe veram & propriè dictam humani corporis formam. Et in Clementina

nia *ad nostrum &c.* de summa Trinit. & Fide Ca-
œolica, hæc leguntur ex mente Concil. Vienn.
octrinam omnem, seu positionem temerè asseren-
m, aut vertentem in dubium, quòd substantia ani-
æ rationalis seu intellectivæ, verè ac per se huma-
æ corporis non sit forma, velut erroneam, ac veri-
ti Catholicæ inimicam fidei, prædicto sacro appro-
nte Concilio, reprobamus.

Deinde, ut discurrit Angelicus Doctor 1. p. q.
.. art. 1. substantialis forma *viventis* verè & pro-
iè dicta, est id, quod substantialiter aut essen-
lliter constituit *vivens*, estque radicale operatio-
um ejus principium; ut manifestum est: atqui ani-
a rationalis substantialiter aut essentialiter con-
t:uit *vivens*, videlicet substantialiter vel essentia-
e:r constituit hominem; & præterea est propria-
im operationum *viventis*, nimirum hominis,
illicet intellectionis, volitionis, risus, fletus, &c.
dlicale principium, ut satis evidens est: ergo &c.

Denique, homo est compositum substantiale
hysicum propriè dictum, ut fatentur omnes Pe-
patetici; proindèque constare debet propriè ex
a:teria & substantiali forma, quę sunt essentiales
rites compositi Physici substantialis: hæc autem
rma nequit esse alia, pręter animam rationalem.

Ex quo infertur, duas animæ definitiones su-
à. allatas, verè & propriè convenire rationali
i.mæ; unde est verè & propriè actus primus sub-
antialis informativus materiæ organicæ, &c. est
æque in homine primum principium vivendi,
ntiendi, loco movendi, & intelligendi.

Objic. 1. quod per se subsistit, non est verè ac
opriè corporis forma substantialis; (proindè-
e: nec anima verè ac propriè dicta) quæ non est
, quod per se subsistit, sed duntaxat id, quo to-
m substantiale Physicum subsistit; quam ob ra-
omem, dici solet *subsistens ut quo*: atqui anima ra-
omalis est id, quod subsistit per se; unde separata
corpore non perit, sed per se subsistit: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quod per se subsi-
stit,

ſtit, ad modum entis completi, non eſt verè ac propriè corporis forma ſubſtantialis, &c. concedo ma. quod per ſe ſubſiſtit, ad modum entis incompleti, non eſt verè ac propriè corporis forma ſubſtantialis, &c. nego ma. Licèt autem anima rationalis, utpotè ſpiritualis, per ſe ſubſiſtat; non tamen ad modum entis completi, ſed incompleti; etenim anima rationalis eſt aliquid medium inter Angelos, & animas brutorum convenit quippe cum Angelis in eo, quòd ſit ſpiritualis entitativè, ſicut & Angeli; attamen convenit cum animabus brutorum in eo, quòd ſit actus incompletus, ſicut & ipſæ brutorum animæ ſunt actus incompleti. Itaque anima rationalis, quatenùs eſt entitativè ſpiritualis, per ſe ſubſiſtit, videlicet per propriam ſubſiſtentiam, quam habet, dum eſt à corpore ſeparata; at quatenus eſt actus incompletus & partialis, petit humanum corpus organicum informare ad modum ſubſtantialis ejus formæ & animæ, ex qua informatione reſultat humanum compoſitum, quod uno vocabulo, *homo*, nuncupatur.

Et hinc ſolvitur aliud argumentum, quod fieri poteſt hoc modo: actus immaterialis maximè diſtat à materia, proindèq; ipſam nequit informare: atqui anima rationalis eſt actus immaterialis: ergo &c. diſtinguenda ſiquidem eſt ma. concedendo videlicet, actum immaterialem completum maximè diſtare à materia, ipſamq; non poſſe aptè informare: at id nego de actu immateriali incompleto: anima autem rationalis eſt quidè actus immaterialis, at dumtaxat incompletus. Dici etiam poteſt, animā rationalē maximè diſtare à materia, diſtantia *diſconvenientiæ*, quatenùs anima rationalis eſt actus, & materia eſt potentia; ratio autem actus, & ratio potentiæ, videntur maximè diſtare diſtantia diſconvenientiæ: at negandum eſt abſolutè, animam rationalem, & materiam, maximè diſtare diſtantia *non unibilitatis*, quaſi non ſint aptè unibiles ad hominem intrinſecè componendum.

Objic. 2. & ſimul inſta. quod per ſe ſubſiſtit, nequit

quit eſſe in alio; nam eſſe in alio eſt proprium accidentis inhærentis: ergo ſi anima rationalis per ſe ſubſiſtit, nequit eſſe in materia, ſubindèque nequit materiam informare tanquam anima.

Reſp. diſting. ant. quod per ſe ſubſiſtit, ad modum entis, completi, nequit eſſe in alio, &c. concedo: quod per ſe ſubſiſtit, ad modum entis incompleti, nequit eſſe in alio, tanquam in ſubjecto inhæſionis, à quo in *eſſe* dependeat; quo pacto accidens inhærens eſt in alio, concedo; nequit eſſe in alio, tanquam in ſubjecto informationis, quod in *eſſe* dependet ab eo, quod in ipſo eſt, quodque ipſum informat, nego: licèt autem anima rationalis per ſe ſubſiſtat; non tamen ad modum entis completi, ſed incompleti tantùm; unde quamvis non poſſit eſſe in materia, tanquam in ſubjecto inhæſionis, à quo in *eſſe* dependeat; poteſt tamen eſſe in materia tanquam in ſubjecto informationis, cui tribuat *eſſe*, quod proindè in *eſſe* ab anima rationali dependeat.

Objic. 3. forma & anima corporis propriè dicta debet eſſe ſemper in corpore: atqui anima rationalis non eſt ſemper in corpore, ſed aliquando eſt ab eo ſeparata: ergo &c.

Reſp. ex D. Thom. 1. p. q. 76. a. 1. ad 6. diſting. ma. forma & anima corporis propriè dicta debet eſſe ſemper actu, vel aptitudine, in corpore, concedo: debet eſſe ſemper actu in corpore, nego; ut enim communiter dicitur, eſſentiæ rerum creatarum nō conſiſtunt in actu, ſed in aptitudine; ideòque ut anima rationalis conſervet veram & propriè dictā formæ & animæ rationem, ſat eſt, ut vel actu, vel aptitudine ſit in corpore informando; & idcircò ipſa rationalis anima, dum eſt à corpore ſeparata, verā ac propriè dictam habet formæ & animæ rationem, quoniā in ipſo ſeparationis ſtatu aptitudinem ſervat, ut ſit in corpore, ipſumque informet.

Obj. 1. operationes animæ rationalis, (ſcilicet *intelligere*, & *velle*) propter immaterialitatem ſuam, immediatè in corpore recipi non poſſunt, ſed

ſtit, ad modum entis completi, non eſt verè ac propriè corporis forma ſubſtantialis, &c. concedo ma. quod per ſe ſubſiſtit, ad modum entis incompleti, non eſt verè ac propriè corporis forma ſubſtantialis, &c. nego ma. Licèt autem anima rationalis, utpotè ſpiritualis, per ſe ſubſiſtat; non tamen ad modum entis completi, ſed incompleti; etenim anima rationalis eſt aliquid medium inter Angelos, & animas brutorum convenit quippe cum Angelis in eo, quòd ſit ſpiritualis entitativè, ſicut & Angeli; attamen convenit cum animabus brutorum in eo, quòd ſit actus incompletus, ſicut & ipſæ brutorum animæ ſunt actus incompleti. Itaque anima rationalis, quatenùs eſt entitativè ſpiritualis, per ſe ſubſiſtit, videlicet per propriam ſubſiſtentiam, quam habet, dum eſt à corpore ſeparata; at quatenus eſt actus incompletus & partialis, petit humanum corpus organicum informare ad modum ſubſtantialis ejus formæ & animæ, ex qua informatione reſultat humanum compoſitum, quod uno vocabulo, *homo*, nuncupatur.

Et hinc ſolvitur aliud argumentum, quod fieri poteſt hoc modo: actus immaterialis maximè diſtat à materia, proindèq; ipſam nequit informare: atqui anima rationalis eſt actus immaterialis: ergo &c. diſtinguenda ſiquidem eſt ma. concedendo videlicet, actum immaterialem completum maximè diſtare à materia, ipſamq; non poſſe aptè informare: at id nego de actu immateriali incompleto: anima autem rationalis eſt quidè actus immaterialis, at dumtaxat incompletus. Dici etiam poteſt, animā rationalē maximè diſtare à materia, diſtantia *diſconvenientiæ*, quatenùs anima rationalis eſt actus, & materia eſt potentia; ratio autem actus, & ratio potentiæ, videntur maximè diſtare diſtantia diſconvenientiæ: at negandum eſt abſolutè, animam rationalem, & materiam, maximè diſtare diſtantia *non unibilitatis*, quaſi non ſint aptè unibiles ad hominem intrinſecè componendum.

Objic. 2. & ſimul inſta. quod per ſe ſubſiſtit, nequit

quit eſſe in alio; nam eſſe in alio eſt proprium accidentis inhærentis: ergo ſi anima rationalis per ſe ſubſiſtit, nequit eſſe in materia, ſubindèque nequit materiam informare tanquam anima.

Reſp. diſting. ant. quod per ſe ſubſiſtit, ad modum entis, completi, nequit eſſe in alio, &c. concedo: quod per ſe ſubſiſtit, ad modum entis incompleti, nequit eſſe in alio, tanquam in ſubjecto inhæſionis, à quo in *eſſe* dependeat; quo pacto accidens inhærens eſt in alio, concedo; nequit eſſe in alio, tanquam in ſubjecto informationis, quod in *eſſe* dependet ab eo, quod in ipſo eſt, quodque ipſum informat, nego: licèt autem anima rationalis per ſe ſubſiſtat; non tamen ad modum entis completi, ſed incompleti tantùm; unde quamvis non poſſit eſſe in materia, tanquam in ſubjecto inhæſionis, à quo in *eſſe* dependeat; poteſt tamen eſſe in materia tanquam in ſubjecto informationis, cui tribuat *eſſe*, quod proindè in *eſſe* ab anima rationali dependeat.

Objic. 3. forma & anima corporis propriè dicta debet eſſe ſemper in corpore: atqui anima rationalis non eſt ſemper in corpore, ſed aliquando eſt ab eo ſeparata: ergo &c.

Reſp. ex D. Thom. 1. p. q. 76. a. 1. ad 6. diſting. ma. forma & anima corporis propriè dicta debet eſſe ſemper actu, vel aptitudine, in corpore, concedo: debet eſſe ſemper actu in corpore, nego; ut enim communiter dicitur, eſſentiæ rerum creatarum nō conſiſtunt in actu, ſed in aptitudine; ideòque ut anima rationalis conſervet veram & propriè dictā formæ & animæ rationem, ſat eſt, ut vel actu, vel aptitudine ſit in corpore informando; & idcircò ipſa rationalis anima, dum eſt à corpore ſeparata, verā ac propriè dictam habet formæ & animæ rationem, quoniā in ipſo ſeparationis ſtatu aptitudinem ſervat, ut ſit in corpore, ipſumque informet.

Obj. 1. operationes animæ rationalis, (ſcilicet *intelligere*, & *velle*) propter immaterialitatem ſuam, immediatè in corpore recipi non poſſunt, ſed

ſed in potentiis immaterialibus, nempè in intellectu & voluntate, immediatè recipiuntur : ergo etiam anima rationalis nequit immediatè recipi in corpore, propter ſuam immaterialitatem; proindèque non poteſt informare corpus, tanquam anima verè & propriè dicta.

Reſpondeo negando paritatem; ſi enim propriæ operationes animæ rationalis immediatè reciperentur in corpore, deberent in ſuo *eſſe* à corpore dependere, quia omne accidens dependet in ſuo *eſſe* à ſubjecto, in quo immediatè recipitur atque exiſtit; quod repugnat; cùm operationes illæ, ob immaterialitatem ſuam, ſint ordinis ſuperioris; corporis verò ſit ordinis inferioris. Ex eo autem, quòd anima rationalis immediatè recipiatur & exiſtat in corpore, quod informat; non ſequitur propterea, ut in ſuo *eſſe* dependeat à corpore; imò potiùs è contra, conſtituit corpus à ſe dependens in *eſſe*, quia tribuit *eſſe corpori*.

Objic. 5. ſapientis artificis non eſt, operi ſuo impedimentum exhibere : ergo, cùm anima rationalis & intellectiva ſocietate corporis impediatur à cognitione; (ſiquidem *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*) non videtur Deus ſapientiſſimus Artifex animam rationalem & intellectivam corpori uti formam copulaſſe.

Reſpondeo diſtinguendo in anima rationali & intellectiva duplicem cognitionem, nempè unam connaturalem, & alteram præternaturalem. Cognitio connaturalis animæ rationalis & intellectivæ eſt, quando ipſa anima rationalis & intellectiva, ut diſtincta ab Angelis, cognoſcit aut intelligit modo ſibi connaturali. Cognitio autem præternaturalis animæ rationalis & intellectivæ eſt, quando cognoſcit vel intelligit ad modum Angelorum, ſicuti contingit in ipſa anima rationali, dum eſt à corpore ſeparata. Concedo itaque, animam rationalem & intellectivam ſocietate corporis impediri à cognitione præternaturali, non tamè à cognitione connaturali; imò hæc cognitio fieri

&

& haberi non potest, nisi præcedat ministerium sensuũ ad corpus pertinentiũ, ut suo loco dicetur.

Articulus Secundus.

Quotuplex sit anima, & quot sint modi vivendi?

Dico 1. rectè & adæquatè dividitur anima in communi sumpta in animam vegetativam, sensitivam, & rationalem. Ita communiter Philosophi cùm Aristotele lib. 2. de anima cap. 3. Et in primis, illa animæ divisio est recta, quia tunc aliquod superius rectè in inferiora dividitur, quando ista inferiora verè & propriè participant naturam superioris divisi; ut manifestum est; atqui anima vegetativa, sensitiva, & rationalis, verè & propriè participant naturam animæ in communi: ergo &c. Prob. min. natura animæ in communi sumptæ consistit in eo, quòd sit actus primus substantialis informativus materiæ organicæ, proxima potentia vitam habituræ, ut ex dictis in artic. præcedenti patet, atqui anima vegetativa, sensitiva, & rationalis, hoc verè & propriè participant; etenim anima vegetativa est verè & propriè actus primus substantialis informativus materiæ organicæ, proxima potentia vitam vegetativam habituræ; anima sensitiva est verè & propriè actus primus substantialis informativus materiæ organicæ, proxima potentia vitam sensitivam habituræ; & tandem anima rationalis est verè & propriè actus primus substantialis informativus materiæ organicæ, proxima potentia vitam rationalem habituræ: ergo &c. Recta ergo est animæ in communi sumptæ divisio in vegetativam, sensitivam, & rationalem: quarum prima reperitur in plantis, secunda in brutis, & & tertia in homine.

Quòd autem illa divisio animæ in vegetativam, sensitivam, & rationalem, sit adæquata, ita ut nulla sit assignabilis anima, quæ non contineatur, vel

sub

ſub anima vegetativa, vel ſub ſenſitiva, (quæ in varias ſpecies ſubdividuntur) vel ſub rationali, (quæ eſt ſpecies infima aut atoma (ſic declaratur. Cùm anima in communi accepta ſit radicale vitę ſeu vivendi principium, quot diverſa ſunt genera vitæ, totidem ſunt diverſa animarum genera: atqui tria ſunt dumtaxat genera vitæ; nempè, vegetativæ, ſenſitivæ, & rationalis; cùm nulla alia ſit aſſignabilis vita: ergo &c.

Dices 1. videtur anima vegetativa non participare verè & propriè naturam animæ. Siquidem anima verè & propriè dicta debet eſſe operationum vitalium radicale principium: atqui anima vegetativa, non eſt operationũ vitalium radicale principium: ergo &c. Ma. eſt certa. Prob. mi. operationes vitales debent eſſe immanentes; ut communiter docent Philoſophi: atqui anima vegetativa non eſt operationum immanentium radicale principium: ergo &c. Prob. min. operationes, quarum anima vegetativa eſt radicale principiũ, ſunt præſertim tres; nimirum nutritio, augmentatio, & generatio; ut infrà dicetur: atqui tres illæ operationes non ſunt immanentes, ſed tranſeuntes: ergo &c. Prob. mi. nutritio quippe ſicut & augmentatio, non recipiuntur in ſuppoſito, à quo procedunt, ſed tranſeunt ad cibum externum, ex quo ſuppoſitum vivens nutritur, & augetur. Similiter generatio novæ plantæ fit intra terram, proindeque non recipitur in ſuppoſito plantæ generantis, ſed tranſit ad terram externam.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. ad cujus prob. conceſſa iterum ma. nego mi. ad prob. ejus dico, nutritionem & augmentationem poſſe dupliciter conſiderari, nẽpè ex parte ſui, vel ex parte termini. Ex parte ſui tranſeunt ad cibum externum, & in eo recipiuntur; prout nempè ſunt actiones alterativæ ſubſtantiæ & quantitatis cibi, quas ſic diſponunt, ut in ſubſtantiam & quantitatem *viventis* convertantur. At ſi nutritio & augmentatio conſiderentur ex parte ſui termini, recipiun-

[illegible]untur in ipso *viventis* supposito; primarius quip[illegible] nutritionis terminus, ad quem producendum [illegible]imariò tendit, est nova portio substantię ab ipso [illegible]*wentis* supposito acquirenda, & ita in eo reci[illegible]enda; similiter primarius augmentationis ter[illegible]inus est nova quantitatis pars, quam idē *viven*[illegible] suppositum acquirit & recipit. Unde licèt nu[illegible]itio & augmentatio non sint operationes entita[illegible]wè immanentes, sunt tamen operationes termi[illegible]a.tivè immanentes; & hoc sufficit, ut sint vitales [illegible]italitate imperfecta, (sicut & ipsa anima vegeta[illegible]wa est omniū animarum imperfectissima;) opera[illegible]iones enim vitales debent quidem esse immanē[illegible]s; at vel entitativè, (si operationes illæ sint vita[illegible]s vitalitate perfecta) vel terminativè, (si sint [illegible]itales vitalitate dumtaxat imperfecta.)

Generatio, quæ competit animæ vegetativæ, [illegible]uobus etiam modis sumi potest, videlicet, vel [illegible]ro actione, qua fructus, tamquam semen plan[illegible]æ aut arboris, aliam in terra plantam aut arbo[illegible]em producit; vel pro actione, qua planta aut ar[illegible]or generat fructum. Generatio conveniens plan[illegible]æ aut arbori, hoc secundo modo, est immanens [illegible]titativè; cum entitativè sumpta, intra plantę vel [illegible]lboris generantis suppositum exerceatur & ma[illegible]eat. Generatio autem, quæ plantæ aut arbori [illegible]ompetit primo modo, non est quidem immanēs [illegible]rmaliter & entitativè, benè tamen virtualiter & [illegible]rminativè; quatenùs est effectus & terminus ge[illegible]erationis secundo modo acceptæ, quæ est actio [illegible]el operatio formaliter & entitativè immanens.

Dices 2. in recta divisione, unum membrum di[illegible]dens non debet in alio includi; ut docetur in Lo[illegible]ica: atqui in præfata divisione, unum membrum [illegible]ividens includitur in alio; nimirum anima ve[illegible]etativa in sensitiva, & utraque in rationali; ut [illegible]onstabit ex infrà dicendis: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. anima [illegible]uippe vegetativa ad gradum vegetādi contracta [illegible] limitata, (qualis est in plāta vel arbore) non in-

clu-

cluditur in ſenſitiva; neque anima ſenſitiva ad gradum ſentiendi determinata (qualis eſt in bruto) includitur in rationali; ſed ſe invicem excludũt, & ſub hac ratione ſunt prædictæ diviſionis membra: quamvis anima vegetativa ad gradum vegetandi non limitata, includatur in ſenſitiva ſicut & ſenſitiva in rationali, ſi ipſa anima ſenſitiva conſideretur, ut ad gradum ſentiendi non determinata.

Dico 2. diviſio animæ in vegetativam, ſenſitivam, & rationalẽ, eſt univoca; ita ut ratio animę in communi, univocè aut ex æquo, cõveniat ſingulis illis animabus. Hæc concluſio communis eſt apud Philoſophos, contra Averroem, & aliquos alios.

Ratio eſt; quia tunc diviſio alicujus prædicati ſuperioris in inferiora eſt univoca, quando ea inferiora univocè ſeu ex æquo participant naturam prædicati ſuperioris: atqui anima vegetativa, anima ſenſitiva, & anima rationalis, univocè ſive ex æquo participãt naturã animæ in cõmuni ſumptę: ergo &c. Ma. eſt clara. Prob. mi. natura animæ in communi conſiſtit in eo, quòd ſit *actus primus ſubſtãtialis informativus materiæ organicæ proximæ potentia vitam habituræ*: hoc autem univocè aut ex æquo participatur ab anima vegetativa, ſenſitiva, & rationali; cùm una ex illis animabus nõ ſit magis *actus primus ſubſtantialis, &c.* quàm altera.

Dices: *Immateriale, & materiale; indiviſibile, & diviſibile*; non ſe habent univocè vel ex æquo, ut ſatis patet: atqui anima rationalis eſt immaterialis, anima verò ſenſitiva, vel vegetativa, materialis eſt; itẽ anima ſenſitiva in animalibus perfectis eſt indiviſibilis, anima autem vegetativa in plantis diviſibilis eſt; ut infrà patebit: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. *Immateriale, & materiale; indiviſibile, & diviſibile*; non ſe habent univocè, vel ex æquo: ſi conſiderentur ut talia, concedo: ſi conſiderentur, prout abſtrahunt ab immaterialitate, & materialitate; ab indiviſibilitate, & diviſibilitate, nego; ideòq; ſi anima rationalis ſpectetur reduplicativè ut immaterialis, anima ve-

ɔ sensitiva, vel vegetativa reduplicativè ut ma-
a:lis accipiatur; item si anima sensitiva in per-
iss animalibus sumatur reduplicativè ut indi-
ɔiilis, & anima vegetativa in plãtis reduplicati-
ɔæ divisibilis usurpetur, (quæ omnia se tenent
ɔ:arte differentiarum illarum animarum) reve-
om se habent univocè seu ex æquo; at si tres
- animæ considerentur, prout quælibet illarum
=*actus primus substantialis informativus materia*
=*micæ proxima potentia vitam habituræ*, sub qua
oone communi abstrahunt ab immaterialitate,
n:aterialitate, indivisibilitate, & divisibilitate;
=abent omninò univocè & ex æquo; eo simili
d·o, quo substantia incorporea, & substantia
p·orea, prout abstrahunt ab incorporeitate,
c·orporeitate, & sunt entia completa per se
si stentia, univocè & ex æquo se habent.

Dico 3. quatuor sunt modi vivendi à se invicem
=ursi, videlicet vegetativus, sensitivus, loco mo-
ıss, & intellectivus. Ita communiter Philoso-
cum Arist. 2. de anima c. 2. t. 18. & D. Thom.
l.. lect. 3. & 1. p. q. 18. a. 2. ad 1. nec nõ q. 78. a. 1.
R:atio est; quia per diversos vivendi modos in-
iguntur Philosophi diversos veluti vitæ gradus,
r·um priores possunt sine posterioribus reperi-
aıqui illi gradus sunt quatuor; scilicet vegeta-
π, sensitivus, &c. ergo &c. Prob. min. discur-
d·o per singulos vitæ gradus: eorum quippe,
: ·vivunt, quædam solùm vegetant, seu solùm
e:nt vegetativum gradum; ut plantæ: quæ-
ı verò sunt, in quibus cum vegetativo gradu
m:itur sensitivus gradus, non tamen loco-mo-
s:, ut in immobilibus animalibus (v. g. in con-
iis & ostreis contingit,) quæ sentiunt quidem,
mẽ nõ possunt se de uno loco ad aliũ movere;
ıunt tamẽ perfecta animalia se movere de uno
ad aliũ locũ, unde præter gradũ vegetativum,
nõ sensitivũ, habẽt loco-motivũ, cùm enim in-
æant multis procul positis ad vitæ sustentatio-
»opus habent, ea quærere per localem morũ.

Quæ-

Quædam tamdem ſunt, in quibus, præter hæc omnia, invenitur gradus intellectivus; & hujuſmodi ſunt homines. Ex quibus omnibus infertur, eſſe quatuor gradus vitæ à ſe invicem diverſos; videlicet vegetativum, ſenſitivum, loco-motivum, & intellectivum; quorum priores poſſunt ſine poſterioribus reperiri, ſcilicet gradus vegetativus ſine ſenſitivo, ſenſitivus ſine loco-motivo, & loco-motivus ſine intellectivo. Et quidem præter illos quatuor vivendi modos, nullus alius aſſignari poteſt, qui ab illis diverſus ſit, vel ad illos reduci non poſſit.

Dices 1. gradus appetitivus eſt verus vivendi modus: ergo diviſio modi vivendi in vegetativum, ſenſitivum, loco-motivum, & intellectivum, non eſt adæquata.

Reſpondeo negando conſeq. licèt enim gradus appetitivus ſit verus vivendi modus, adhuc tamen manet, diviſionem modi vivendi in vegetativum, ſenſitivum, loco-motivum, & intellectivum, eſſe adæquatam, quia gradus appetitivus non eſt diverſus à ſenſitivo, vel intellectivo; vel enim gradus appetitivus eſt ſenſitivus, (qualis eſt in bruto) & ſic reducitur ad gradum vel modum ſenſitivum; vel eſt intellectivus & rationalis, (qualis eſt in homine) & ita reducitur ad gradum aut modum intellectivum & rationalem.

Dices 2. ſunt quatuor modi vivendi, videlicet vegetativus, ſenſitivus, loco-motivus, & intellectivus: ergo ſunt etiam quatuor animarum genera, ſcilicet anima vegetativa, anima ſenſitiva, loco-motiva, & intellectiva.

Reſpondeo negando conſeq. etenim, ut ſuprà diximus, tot debent eſſe animarum genera, quot ſunt genera vitæ; ſunt autem tria tantùm genera vitæ, nimirum vitæ vegetativæ, vitæ ſenſitivæ, & vitæ rationalis, ſeu intellectivæ: *loco-motivum* autem non eſt genus vitæ à vita ſenſitiva diſtinctæ, ſed eſt dumtaxat quidam ejus gradus, qui ſolis animalibus perfectis reperitur.

A R-

Articulus Tertius.

Quotuplex sit forma substantialis in composito, & anima in vivente?

IN hac difficultate quatuor sunt Philosophorum sententiæ. Prima sententia docet, in quolibet vivente tot esset animas realiter distinctas, quot sunt in illo genera vitæ: ita ut in planta, v. g. sit unica anima; quia planta unicum habet genus vitæ, nimirum vegetativæ; in bruto autem, sint duæ animæ realiter distinctæ, vegetativa nempè, & sensitiva; quoniam in bruto sunt duo genera vitæ, vegetativæ nimirum, & sensitivæ: in homine demùm sint tres animæ realiter distinctæ, videlicet anima vegetativa, anima sensitiva, & anima rationalis; quia sunt in homine tria genera vitæ; scilicet vitæ vegetativæ, vitæ sensitivæ, & vitæ rationalis. Ita docent Okamus, & Nominales.

Secunda sententia ponit quidem unam animam in uno vivente; sed præter illam, aliam ponit formam substantialem, quam vocat *formam corporeitatis*. Ita Scotus & Scotistæ.

Tertia sententia constituit in quolibet vivente unicam formam aut animam totalem: sed præter illam, admittit plures formas substantiales partiales, juxta membrorum varietatem; hinc admittit formam partialem oculi, &c. Hanc sententiam docent plures Recentiores, pro qua etiam sententia citatur Scotus.

Quarta sententia, in quolibet vivente, & in quolibet composito substantiali Physico unicam agnoscit animam, vel formam substantialem, quę totum corpus, & singula ejus membra, informet. Hanc sententiam docet Thomistarum schola.

§. I.

In uno vivente, quantumvis omnia vitæ genera habeat, eſt unica anima, quæ omnia vitæ munera præſtat, & tribuit omnes gradus.

PRob. 1. auctoritate octavæ Synodi generalis can. 2. ubi ſic legitur: *Apparet, quoſdam in tantum impietatis deveniſſe, ut hominem duas animas habere dogmatizent: tales igitur impietatis inventores, cum vetus & novum teſtamentum, omneſque Eccleſiæ Patres, unam animam rationalem, hominem habere aſſeverent, ſancta Synodus Anathematizat.*

Reſpondent Nominales, Synodum loqui de duabus animabus rationalibus; non autem de duabus animabus, quarum una ſit ſenſitiva, & alia rationalis.

Sed contra hanc reſponſionem eſt, quòd iſta reſponſio apertè rejiciatur in Lib. Eccleſiaſtic. Dogm. c. 15. his verbis: *Neque duas animas eſſe dicimus in uno homine, ſicut Iacobus, & alii Syrorum ſcribunt, unam animalem, (ſeu ſenſitivam) qua animetur corpus, & immixta ſit ſanguini; alteram ſpiritualem, (id eſt rationalem) quæ rationem miniſtrat: ſed dicimus, unam eandemque animam in homine eſſe, quæ & corpus ſua ſocietate vivificet, & ſemetipſam ſua ratione diſponat.*

Prob. 2. ex communi axiomate, *Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate*; nulla autem eſt neceſſitas multiplicandi animas in uno & eodem vivente, v. gr. in uno & eodem homine; quod ſic prob. unica anima, v. g. rationalis, tribuere poteſt uni & eidem homini omnia vitę genera: ergo ultra illam, ſine neceſſitate, in uno & eodem homine multiplicantur animæ. Prob. ant. ſicut numerus ſuperior continet eminenter omnes numeros inferiores, & omnes eorum effectus eminenter præſtare poteſt; quo pacto numerus quaternarius eminenter continet ternarium, & binarium, eorumque

que effectus omnes præbere potest : sic et-
m anima superior, v. g. anima rationalis, con-
inet eminenter omnes animas inferiores, v.g. ani-
niam vegetativam, & animam sensitivam, & ita
omnes earum effectus eminenter tribuere potest;
rroindèque dare potest omnia vitæ genera, quę ab
ujusmodi animabus præberentur, si adessent.

Sanè, si una & eadem forma accidentalis, v. g.
ma & eadem albedo, quatenus est qualitas, color,
albedo, constituit idem subjectũ, *quale*, *colora-
um*, & *album* : quare una & eadem substantialis
orma, v.g. una & eadem anima rationalis, quate-
us est eminenter vegetativa, sensitiva, & ra-
ionalis, non poterit constituere eundem
ominem vegetativum, (seu viventem vita vege-
ativa) sensitivum, & rationalem, tribuendo ipsi
enera vitę vegetativæ, sensitivæ, & rationalis ?

Prob. 3. si in uno & eodem homine, essent simul
ræs animæ realiter distinctæ; nempè anima vege-
ativa, sensitiva, & rationalis ; idem foret simul
lanta, brutum, & homo : ergo cùm hoc planè ab-
rdum sit, in uno & eodem homine non sunt tres
nimæ realiter distinctæ. Prob. ant. proprium mu-
us propriusq; effectus formalis animæ vegetativæ
ealiter à sensitiva distinctę, est constituere plantã;
roprium verò munus, propriusq; effectus forma-
s animæ sensitivę realiter à rationali distinctę, est
onstituere brutum ; & deniq; propriuni munus,
proprius effectus formalis animæ rationalis, est
onstituere hominem : ergo si in uno & eodem
omine essent simul tres animæ realiter distinctæ,
delicet anima vegetativa, sensitiva, & rationa-
, idem foret simul planta, brutum, & homo.

Prob. 4. si in homine essent tres animæ realiter
stinctæ, nimirum anima vegetativa, sensitiva, &
tionalis; homo esset duntaxat ens unum per ac-
dens : atqui homo non est ens unum per acci-
ens duntaxat ; imò hoc inauditum & absurdum
; ergo &c. Prob. ma. ex communi Philosophorũ
octrina, ens per se unum in Physicis non fit, nisi

ex actu & potentia ſubſtantiali; ſi igitur homo fieret aut componeretur ex tribus animabus realiter diſtinctis, tanquam ens unum per ſe, non autem ſicut unum per accidens tantùm, deberet una ex illis tribus animabus ſe habere ad modũ actus ſubſtantialis, & alia ad modum potentiæ ſubſtantialis: atqui ex tribus animabus, una non poteſt ſe habere ad modum actus ſubſtantialis, & alia ad modum potentiæ ſubſtantialis; cùm enim ex communi Peripateticorum doctrina, omnis anima ſit eſſentialiter actus ſubſtantialis, nequit unquã ulla anima fieri potentia ſubſtãtialis. ergo &c.

Ex dictis inferes contra Okamũ & Nominales, in quolibet ſubſtantiali cõpoſito plures gradus Metaphyſicos habente, non eſſe niſi unicam formam. quæ omnes illos gradus tribuat; adeò ut v.g. in ligno gradus Metaphyſicos ſubſtantiæ, corporis, & ligni habente, ſit unica ſubſtantialis forma, quæ tres illos gradus præbeat. In primis namque, ſi una & eadẽ forma accidentalis, quatenus eſt qualitas, dat uni & eidem ſubjecto gradum qualitatis; quatenus verò eſt color, confert gradum coloris; & tandem, quatenus eſt albedo, tribuit gradum *albedinis*: quare una & eadem ſubſtantialis forma, v.g. *ligni*, quatenus eſt ſubſtantialis, non poterit dare uni & eidẽ compoſito ſubſtantiali, v.g. uni & eidem ligno, gradum ſubſtantiæ; quatenus eſt corporea, gradum corporis; & denique, quatenus eſt lignea, gradum ligni?

Objic. 1. ubi ſunt effectus formales diverſarum animarum, ibi ſunt diverſæ animæ: atqui in uno & eodem homine ſunt formales effectus trium animarum diverſarum; ſcilicet gradus vitæ vegetativæ, gradus vitæ ſenſitivæ, & gradus vitæ rationalis; qui ſunt formales effectus animæ vegetativæ, animæ ſenſitivæ, & animæ rationalis: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. negando mi. etenim, licèt gradus vitæ vegetativæ in planta, gradus vitæ ſenſitivæ in bruto, & gradus vitæ rationalis in homine, ſint formales effectus trium animarum

rum diverſarum; attamen in uno & eodem homine tres illi gradus vitę ſunt effectus formales unius & ejuſdem animę rationalis formaliter eminenter animam vegetativam & ſenſitivam continentis.

Objic. 2. ex Ariſtotele lib. 2. de Generat. animal. fœtus humanus, qui eſt in utero materno, primùs habet vitam plantæ, vegetando; deinde vitam animalis, ſentiendo; & demùm vitam hominis, intelligendo: ergo ſucceſſivè in eodem vivente exiſtit triplex anima.

Reſpond. 1. argumentum illud non eſſe ad propoſitum: difficultas quippe hic non eſt, utrùm multiplex anima poſſit ſucceſſivè eſſe in eodem viivente; ſed an plures animæ reipſa ſint ſimul in uno & eodem vivente?

Reſponderi poteſt 2. diſtinguendo duplicem vitam; nimirum *primam*, quæ eſt ipſa anima, prout eſt radix operationum vitalium, & *ſecundam*, quæ in operationibus vitalibus poſita eſt. Fœtus igitur humanus, qui eſt in utero materno, priùs habet vitam ſecundam plantæ, deinde vitam ſecundam hominis, id eſt, priùs exercet operationes vitales animæ vegetativæ, quæ eſt in planta; deinde elicit operationes vitales animę ſenſitivæ, quæ eſt in animali, ſeu bruto, & tandem habet operationes vitales animæ intellectivæ ſeu rationalis, (licèt imperfectiſſimas) quę eſt in homine; & hoc fit propter diverſam ſucceſſivam organorum diiſpoſitionem. At fętus humanus in utero materno ſimul habet aut recipit primam vitam vegetativam, ſenſitivam, & intellectivam, ſive rationalē, id eſt, eodem in inſtanti recipit animam humanā, quę eſt in actu primo, aut in aptitudine, principiū radicale operationum vegetativarum, ſenſitivarū, & intellectivarum ſeu rationalium; quòd ſi hujuſmodi operationes omnes ſimul in actu ſecundo non exerceat, hoc eſt per accidens, nimirum propter indiſpoſitionem organorum corporis.

Obj. 3. ubi ſunt diverſę operationes vitales, ibi ſunt diverſæ animæ, quæ ſint prima & radicalia il-

larum operationum principia: atqui in uno & eodem vivente ſunt nonnunquam diverſæ operationes vitales, ut patet in homine, in quo ſunt operationes vegetativæ, ſenſitivæ, & intellectivæ: ergo &c.

Reſp. diſting. ma. ubi ſunt diverſæ operationes vitales, ibi ſunt, vel realiter, vel virtualiter, diverſę animæ, quæ ſint &c. cõcedo: ibi ſunt realiter sẽper diverſæ animæ, nego. Unde quia in uno & eodem homine ſunt diverſę operationes vitales, nimirum operationes vegetativæ, sẽſitivę, & intellectivę ſeu rationales; ſequitur quidem, animam vegetativam ſenſitivam, & intellectivam ſeu rationalem in uno & eodem homine diſtingui virtualiter vel ęquivalenter, quatenus anima intellectiva ſive rationalis in homine eminenter continens animam vegetativam, & ſenſitivam, virtualiter aut æquivalenter ita ſe habet, ac ſi realiter eſſet multiplex, eoſdemque præſtat effectus, quos præſtarent anima vegetativa, anima ſenſitiva, & anima intellectiva ſeu rationalis, realiter diſtinctæ, ſi adeſſent: at minimè ſequitur, eſſe in uno & eodem homine tres animas realiter diſtinctas ſeu diverſas. Diverſæ igitur operationes vitales in diverſis viventibus ſunt effectus vel exercitia animarum realiter diverſarum; at in uno & eodem vivente ſunt effectus, aut exercitia, vel actus ſecundi, animarum virtualiter duntaxat, aut æquivalenter diverſarum.

Objic. 4. homo in oſſibus vegetat tantùm, in carne ſentit ſolùm, & in cerebro intelligit: ergo in homine ſunt tres animæ realiter diſtinctæ, videlicet anima tantùm vegetativa in oſſibus, anima ſolùm ſenſitiva in carne, & anima intellectiva in cerebro.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. quòd enim hominis anima in oſſibus vegetet tantùm, & in carne ſentiat, & non intelligat, hoc ex eo non oritur, quòd ipſa hominis anima non ſit in hujuſmodi membris in actu primo intellectiva, ſeu de ſe ad intelligendum apta; ſed id procedit ex de-

fectu

·ctu & indiſpoſitione eorumdem membrorum.

Inſtabis;ſi anima intellectiva ſeu rationalis eſſet
i oſſibus, foret in illis inutilis, cũ in eis nec intel-
ligat,nec in ipſis intelligere poſſit. Reſpondeo ne-
ando, animam intellectivam eſſe in oſſibus inuti-
im;quamvis enim ob oſſium diſpoſitionem ad in-
·lligendũ ineptam,anima intellectiva, in ipſis oſ-
bus,nec intelligat, nec intelligere poſſit; poteſt
imẽ,ut formaliter eminẽter vegetativa, cõſtitue-
oſſa vegetãtia;& hoc ſufficit,ut inutilis non ſit.

Urgebis:fruſtrà eſt actus primus,qui non poteſt
·duci ad actum ſecundum : ergo ſi anima intelle-
iiva non poteſt in oſſibus ad actum ſecundum in-
llectionis reduci, eſt in illis inutilis.Reſpondeo
ſſting.ant.fruſtrà eſt actus primus,qui non poteſt
duci ad ullum actum ſecundum, concedo: fru-
rà eſt actus primus, qui non poteſt reduci ad ali-
em actum ſecundum,benè tamen ad alium, ne-
: licèt autem anima intellectiva in oſſibus non
ſſit ad actum ſecundum intellectionis reduci,
mè tamen ad actum ſecundum vegetationis.

Obji.5.ſi eadem anima in homine eſſet vegetati-
„ ſenſitiva, & rationalis ſive intellectiva, ea-
m anima foret corporea & ſpiritualis; quando-
iidem anima vegetativa,& anima ſenſitiva, ſunt
rporeæ, anima verò rationalis aut intellectiva
ſpiritualis: atqui eadem anima nequit eſſe cor-
·ea & ſpiritualis: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma.ſi eadem anima in
mine eſſet formaliter purè vegetativa,ſenſitiva,
rationalis ſive intellectiva, eadem anima foret
rporea & ſpiritualis,&c. concedo: ſi eadem ani-
iin homine eſſet formaliter eminenter vegeta-
a:,ſenſitiva,& rationalis ſive intellectiva,eadem
ima foret corporea & ſpiritualis, nego.

Tunc aliqua anima eſt formaliter purè vegeta-
a:,& ſenſitiva, quando habet formales ratione-
mæ vegetativæ & ſenſitivæ,cum earum imper-
tionibus:tunc verò aliqua anima eſt formaliter
imenter vegetativa & ſenſitiva, quando habet

formales rationes animæ vegetativæ, & ſenſitivæ, & illarum formales præſtat effectus, ſeclusis tamen earum imperfectionibus. Anima ergo, quæ eſt formaliter purè vegetativa & ſenſitiva, includendo imperfectiones illarum animarum, eſt ſine ulla dubitatione corporea; & ejuſmodi eſt anima bruti: at anima, quæ eſt vegetativa, & ſenſitiva, formaliter eminenter, ſecluſis earum animarum imperfectionibus, non debet eſſe corporea: anima autē hominis eſt quidē vegetativa, & ſenſitiva; at non formaliter purè, ſed formaliter eminenter; & ſecluſis imperfectionibus animę vegetativę plantarum, & animæ ſenſitivæ brutorum; ut infrà exponetur.

Dici etiam poteſt, animam hominis non eſſe quidem corpoream ut *quod*, ſeu entitativè; eſt tamen corporea ut *quo*, & informativè; quatenùs eſt forma corporis, eſtque id, quo conſtituitur compoſitum corporeum, nempè humanum: & hoc ſufficit, ut anima hominis ſit formaliter eminenter vegetativa & ſenſitiva.

Inſtabis: ſi anima hominis eſſet vegetativa, vegetaret: atqui anima hominis non vegetat: ergo &c. Ma. videtur manifeſta. Prob. mi. id vegetare dicitur, quod nutritur & creſcit: atqui anima hominis, cùm ſit ſpiritualis & indiviſibilis, nequit nutriri, & creſcere: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi anima hominis eſſet vegetativa, vegetaret activè, id eſt, foret principium radicale activum actionum ſeu operationum vegetativarum, videlicet nutritionis & augmentationis, concedo: ſi anima hominis eſſet vegetativa, vegetaret paſſivè, hoc eſt, nutriretur & creſceret, nego: quamvis autem anima rationalis, quæ in homine eſt, utpotè ſpiritualis & indiviſibilis, non poſſit nutriri & creſcere; poteſt tamen eſſe principium radicale activum nutritionis & augmentationis, quibus homo nutriatur & creſcat.

Urgebis: Si anima hominis eſſet, non modò rationalis, ſed etiam ſenſitiva; ſicut ſeparata à corpore ratiocinari poteſt, ita etiam ſentire poſſet: atqui

uii anima hominis ſeparata à corpore ſentire non ot:eſt : ergo &c. Reſp. negando ma. omnis enim ntſſatio ex ſua natura petit ab organo ſenſus im- ie·diatè procedere ; unde quia anima hominis à or:pore ſeparata caret omni organo ſenſus, in ſta- u ſſeparationis ſentire nequaquam poteſt : at ra- ioːcinatio immediatè ab intellectu provenit ; id- cò·que quia anima hominis à corpore ſeparata ha- eit intellectum , ratiocinari poteſt .

Objic. 6. actus contrarii oriri non poſſunt, niſi à rïincipiis realiter diſtinctis: atqui ab anima ſenſi- iwa, & raiionali, in homine oriuntur nonnũquam ctus contrarii; idem enim homo interdum eodem empore , appetitu ſenſitivo proſequitur voluptа- em, & appetitu rationali eandem reſpuit; ut teſta- ur D. Paulus in Epiſt. ad Rom. cap. 7. his verbis : *Video aliam legem in membris meis repugnantem le- i mentis meæ* : ergo anima ſenſitiva , & rationa- is: , in homine realiter diſtinguuntur .

Reſp. diſting. ma. actus contrarii oriri non poſ- u.nt , niſi à principiis proximis realiter diſtinctis ; oncedo: oriri non poſſunt, niſi à principiis radica- ibus realiter diſtinctis, nego; non repugnat enim, t: realiter eadem anima ſit radix principiorum r·oximorum realiter diſtinctorum , ſive realiter iſtinctarum potentiarum proximè operativarũ , uæ poſſunt verſari circa idem objectum eodem e:mpore , ſub rationibus contrariis : & ita con- ingit in uno & eodem homine , in quo eadem a- iima, ſub diverſa ratione, eſt radix appetitus ſenſi- wi, & appetitus rationalis, (nam prout eſt forma- iter eminenter ſenſitiva, eſt radix appetitus ſenſi- wi; & prout rationalis eſt , radix eſt appetitus ra- onalis) qui poſsũt eodẽ tẽpore ſub rationibus cõ- ariis circa idẽ objectũ, v. g. circa voluptatem, oc- upari ; ita ut appetitus ſenſitivus occupetur per placentiã circa voluptatẽ, prout bona eſt boni- ate delectabili ; & appetitus rationalis per dete- ationẽ occupetur circa eandem voluptatẽ, prout ſt mala malitia morali, contra rectę mentis legẽ .

§. II.

Plures Animæ, etiam de potentia Dei abſoluta, non poſſunt ſimul eſſe in uno & eodem vivente.

HAnc veritatem docent communiter D. Thomæ Diſcipuli; contra Gregorium, Fonſecã, Suarez, Rubium, & alios plures Recentiores. Eſt autem iſta veritas ex mente Angelici Doctoris, 1. p. q. 76. a. 3. & 4. item opuſc. 33. & quodlib. 1. a. 6. ubi univerſaliſſimè aſſerit, impoſſibile eſſe, ut in uno & eodem cõpoſito ſint plures formæ ſubſtantiales, & ita plures animæ, quæ ſunt ſubſtantiales formæ.

Prob. 1. ſi de potentia Dei abſoluta poſſent eſſe ſimul in uno & eodem vivente plures animæ, maximè plures animæ ſubordinatæ, cujuſmodi ſunt anima vegetativa, anima ſenſitiva, & anima rationalis; hæ enim animę videntur habere minorem incompatibilitatem, quàm animæ diſparatæ, cujuſmodi ſunt anima equi, & anima Leonis: atqui plures animæ ſubordinatæ non poſſunt de potentia Dei abſoluta ſimul eſſe in uno & eodẽ vivente: ergo &c. *Ma. videtur clara.* Prob. mi. ſi plures animæ ſubordinatæ eſſent ſimul in uno & eodẽ vivente; v. g. ſi anima vegetativa, anima ſenſitiva, & anima rationalis, realiter diſtinctæ, forent ſimul in uno & eodem homine; quælibet ex illis animabus eſſet anima, & non eſſet anima; quod manifeſtam implicat contradictionem, nec de potentia Dei abſoluta fieri poteſt. Et in primis, quælibet ex illis animabus foret anima, ut ſupponitur. Quòd verò non eſſet anima, ſic declaratur: anima verè, propriè, ac ſimpliciter dicta (de qua ſola nunc eſt ſermo) debet eſſe verè, propriè, ac ſimpliciter actus primus ſubſtantialis; ut docent omnes Peripatetici: atqui ſi plures animæ ſubordinatæ eſſent ſimul in uno & eodem vivente, quælibet ex illis animabus non eſſet verè, propriè, ac

simpliciter actus primus substantialis: ergo &c.
Prob.min.ille actus substantialis non est verè, proprièe, ac simpliciter primus, qui priorem actum substantialem, prioritate naturæ & rationis, supponit: atqui si plures animæ subordinatæ essent simul in uno & eodem vivente, una ex illis supponeret priorem, proprietate naturæ & rationis, actum substantialem, nempè priorem animam in illo vivente; quandoquidem subordinatio non invenitur, nisi inter ea, quorum unum est prius alio prioritate naturæ & rationis: sic v.g. si in uno & eodem homine esset simul anima vegetativa, anima sensitiva, & anima rationalis, realiter distinctæ, anima rationalis prioritate naturæ & rationis supponeret animam sensitivam, & anima sensitiva supponeret animam vegetativam: ergo &c.

Prob.2. si in uno & eodem vivente essent simul plures animæ, vivens illud foret ens unum per se, & non foret: ergo cùm hoc implicet contradictionem, id fieri non potest, etiam de Dei absoluta potentia. Prob. ant. & in primis, illud vivens esset ens per se unum; partes enim omnis viventis per se ordinantur ad faciendum unum, nempè ad componendum unum totum compositum. Quòd autem illud vivens non esse ens per se unum, sed per accidens tantùm, colligitur ex dictis in præcedenti §. ubi ostensum est, plures animas non posse facere ens per se unum, eo quòd una ex eis nequit se habere ad modum potentiæ substantialis, & alia ad modum actus substantialis.

Ex dictis infertur, plures formas substantiales quæcumque sint; nempè, sive sint animæ, sive sint puræ formæ substantiales; cujusmodi sunt formæ ligni, forma lapidis, &c.) non posse simul esse, etiam ex absoluta Dei potentia, in uno & eodem composito Physico. In primis namque, si plures formæ substantiales possent de potentia Dei absoluta simul esse in uno & eodē composito Physico, maximè plures formæ substantiales subordinatæ, cùm istæ videantur minorem inter se re-

repugnantiam habere: atqui plures formæ ſubſtantiales ſubordinatæ non poſſunt de potentia Dei abſoluta ſimul eſſe in eodem compoſito Phyſico; quoniam ſi ſimul eſſent, quælibet ex eis foret verè, propriè, ac ſimpliciter actus primus ſubſtantialis, & ſimul non foret; foret quidem, quia omnis forma ſubſtantialis eſt eſſentialiter, verè, propriè, ac ſimpliciter actus primus ſubſtantialis; ut docent Peripatetici: non foret autem; quia, cùm una ex illis formis ſubordinaretur alteri, una ſupponeret alteram, & ita ſupponeret priorem actum ſubſtantialem; ſicque non foret verè, propriè, ac ſimpliciter actus primus ſubſtantialis.

Deinde, ſi in uno & eodem compoſito Phyſico eſſent plures formæ ſubſtantiales, tale compoſitum foret ens unum per ſe, ut ſupponitur, & ſimul non foret ens per ſe unum; quia ex communi doctrina, ens per ſe unum fieri debet ex actu & potentia; ex pluribus verò formis ſubſtantialibus una nequit ſe habere ad modum actus, & alia ad modum potentiæ; quoniam omnis forma ſubſtantialis eſt eſſentialiter actus ſubſtantialis, (ut docent Peripatetici) proindèque nequit unquam ulla ſubſtantialis forma fieri potentia.

Objic.1. poſſunt, ex abſoluta Dei potentia, plura corpora eſſe ſimul in uno & eodem loco: ergo poſſunt ſimiliter plures animæ ſimul eſſe in uno & eodem vivente, de potenria Dei abſoluta. Reſpondeo negando paritatem: ut enim duo vel plura corpora ſint ſimul in uno & eodem loco, eſt ſatis, ut Deus impediat effectum ſecundarium quantitatis illorum corporum, ſcilicet ipſorum impenetrabilitatem; quòd utique præſtare poteſt Deus de potentia ſua abſoluta: at, ut duæ vel plures animæ ſimul eſſent in uno & eodem vivente, quod eſt unum per ſe, una ex eis deberet fieri ſubſtantialis potentia, (ut ſuprà dicebamus) quod repugnat eſſentiæ animæ, (quæ eſt eſſentialiter actus ſubſtantialis) quodque proindèque nec de potentia abſoluta fieri poteſt.

Objic.2.

Objic.2.non repugnat,plures animas simul esse in una & eadem materia unius & ejusdem vivẽtis: ergo de potentia Dei absoluta possunt plures animiæ simul esse in una & eadẽ materia unius & ejusdem viventis. Conseq. constat; id enim omne est possibile ex Dei absoluta potentia, quod nõ repugnat. Prob. verò ant. si repugnaret, deberet,vel ex parte materiæ, vel ex parte animarum, repugnaræ: atqui non repugnat ex parte materiæ; quia materia ex eo, quòd unam habeat animam, non amittit potentiam ad alias animas habendas; sed semper est omnium capax: non repugnat etiam ex parte animarum; quoniam una non est negatio aut privatio alterius, (omnes quippe animæ sunt entia positiva, non verò meræ negationes vel privationes) & ideò ex eo,quòd una anima est in materia viventis,non infertur rectè negatio vel privatio alterius in eadem materia; proindèque simul esse potest una anima cum altera in eadem viventis materia, saltem de potentia Dei absoluta.

Respondeo negando ant. ad cujus prob. dico, repugnare præsertim ex parte animarum; ut enim plures animę simul essent in una & eadem viventis materia, deberent plures animæ unum & idem vivens componere;& quia ens per se unum (cujusmodi est vivens) componi debet ex actu & potentia,una anima deberet se habere ad modum actus, & alia per modum potentiæ;quod repugnat essentiæ animæ, ut patet ex dictis. Et licèt una anima non sit formaliter negatio vel privatio alterius, benè tamen causaliter; ita ut una anima necessariò causet negationem vel privationem alterius animæ in materia, aut in vivente, in quo est.

Objic.3. calor & frigus etiam in summo gradu possunt divinitùs simul esse in uno & eodem subjecto:ergo etiam divinitùs possunt duę animæ simul esse in una & eadem materia vivẽtis.Prob.conseq. ex eo, quòd inter calorem & frigus est cõtrarietas propriè dicta;inter duas autẽ animas nõ invenitur contrarietas propriè sumpta, (hæc enim contra-

rie-

rietas inter ſolas qualitates reperitur) ſed impropriè tantùm accepta, pro ſimplici incompoſſibilitate: proindèque magis videtur repugnare, calorem & frigus eſſe ſimul in uno & eodem ſubjecto, quàm duas animas eſſe ſimul in una & eadem materia viventis; ſi itaque primum divinitùs eſt poſſibile, à fortiori & ſecundum.

Reſpondeo dato ant. negando conſeq. quantumvis enim ſit contrarietas propriè dicta inter calorem & frigus, non autem inter duas animas; attamen ſemper verum eſt, duas animas magis repugnare in una & eadem materia viventis, quàm calorem & frigus in uno & eodem ſubjecto; nam calorem & frigus in ſummo gradu ſimul eſſe in uno & eodem ſubjecto, non repugnat ex conceptu eſſentiali caloris & frigoris, (quandoquidem etiam naturaliter poſſunt ſimul eſſe in gradu remiſſo, ut patet in tepido) ſed ex ſolo gardu ſummo, qui accidentaliter convenit calori & frigori: at duas animas ſimul eſſe in una & eadem materia viventis, repugnat ex ipſo conceptu eſſentiali animæ, ex eo nempè, quòd eſt eſſentialiter actus ſubſtantialis; hinc enim oritur, quòd anima non poſſit fieri potentia etiam divinitùs: ſi verò duæ animæ eſſent ſimul in una & eadem materia ejuſdem viventis, una deberet eſſe actus, & alia potentia; ut ex dictis patet.

Objic. 4. D. Auguſtinus lib. 17. de Civit. Dei cap. 8. refert, hominem ſuo tempore fuiſſe natum, qui manus quatuor, quo pectora, & capita duo; unicum tamen ventrem, & duos duntaxat pedes habebat: in illo autem monſtro duæ erant animæ; quod conjicitur ex eo, quòd determinatum ſit ab Eccleſia, hujuſmodi monſtro duplex baptiſma eſſe tribuendum: duæ verò illæ animæ erant ſimul in unoquoque pede; quod colligitur ex hoc, quòd ubi unus pes acicula pungebatur, dolor ab utroque illo homine percipiebatur: duæ igitur animæ poſſunt ſimul eſſe in eadem materia unius pedis ver. gr.

Reſ-

Reſpondeo 1. poſſe negari, quòd dum unus eius acicula pungebatur, dolor ab utroque illo homine ſentiretur; hoc enim nec refert, nec aſſerit S. Auguſtinus. Reſpondeo 2. diſtinguendo: concedo namque, quòd in utroque pede eſſent quidem duæ animæ; at non ſecundùm eaſdem pedis portiones, ſed ſecundùm diverſas; propter ſympathiam tamen, dolor ab utroque illo homine percipiebatur.

§. III.

Una numero ſubſtantialis forma, nec naturaliter, nec ſupernaturaliter, poteſt ſimul informare plures materias numero diſtinctas.

QUod in primis una numero ſubſtantialis forma non poſſit naturaliter ſimul informare plures materias numero diſtinctas, videtur manifeſtum: ſiquidem materia prima, & ſubſtantialis forma, ſibi mutuò correſpondent, tanquam potentia informabilis, & actus informans: proindè ſicut naturaliter una numero ſubſtantialis forma habet unam numero materiam primam informandam, adeò ut non poſſit naturaliter una numero ſubſtantialis forma plures numero diſtinctas materias totales & adæquatas ſimul informare; quamvis una numero ſubſtantialis forma in uno compoſito ſubſtantiali Phyſico naturaliter ſimul informet plures materias partiales & inadæquatas: diverſarum partium integralium.

Quòd verò una numero ſubſtantialis forma non poſſit ſupernaturaliter plures materias totales, & adæquatas ſimul informare, docent communiter diſcipuli D. Thomæ, contra multos recentiores. Prob. autem 1. implicat contradictionem, unam eandem numero formam ſubſtantialem informare plures numero diſtinctas materias totales & adæquatas: ergo id ſupernaturaliter fieri non poſſit. Conſeq. patet. prob. ant. ſi una & eadem nu-

mero forma ſubſtantialis informaret ſimul plures numero diſtinctas materias totales & adæquatas, foret una numero illa forma, & non foret una numero; quod implicat contradictionem: ergo implicat contradictionem, unam & eandem numero formam ſubſtãtialem informare ſimul plures numero diſtinctas materias totales & adæquatas. Pro.ant.& primò quidẽ illa ſubſtantialis forma foret uno numero, ut ſupponitur. Nõ eſſet autẽ una numero; quia, ut in Metaphyſica probabitur, forma ſubſtantialis ſumit unitatem numericam à materia; proindèque ut ſubſtantialis forma ſit una numero, debet eſſe in una materia, ipſam informando; ſi verò informet plures materias totales & adæquatas, non erit una, ſed multiplex numero.

Prob.2. ſi una & eadem numero forma ſubſtantialis plures materias totales & adæquatas informaret, compoſitum ex forma illa, & ex hujuſmodi materiis, foret unum per ſe, & non foret unum per ſe; quod implicat contradictionem: ergo implicat contradictionem, unam & eandem numero formam ſubſtantialem informare ſimul plures materias totales & adæquatas, ac proinde ſupernaturaliter id fieri nequit. Prob.ant.& primò quidem *compoſitum illud foret unum per ſe*, quia eſſet compoſitum ſubſtantiale Phyſicum, quod in omnium ſententia, eſt unum per ſe. Quòd autem compoſitum illud non eſſet unum per ſe, ſed per accidens tantùm, ſic declaratur: unum per ſe, ſi ſit compoſitum ſubſtantiale Phyſicum, quale eſſet præfatum compoſitum, conſtare debet ex actu, & potentia ſubſtantiali; ut docent Peripatetici; ut ergo prædictum compoſitum eſſet unum per ſe, deberent materiæ ipſum conſtituentes, deberent inquam, ſe habere ad ſe mutuò, ſicut actus, & potentia ſubſtantialis; repugnat verò materiæ, ut fiat actus ſubſtantialis, cùm ſit eſſentialiter potentia ſubſtantialis, ex communi Peripateticorum doctrina.

Objic.1. idem numero Corpus Chriſti poteſt

ſimul

simul esse in multis hostiis consecratis numero distinctis; ergo pariter eadem numero substantialis forma potest (saltem supernaturaliter) simul esse in multis materiis totalibus & adæquatis numero distinctis. Respondeo concesso ant. negando conseq. & paritatem; etenim Corpus Christi non sumit unitatem suam numericam ab Hostia consecrata, sed à propria materia sibi intrinseca: at forma substantialis desumit unitatem vel multiplicitatem numericam à materia totali & adæquata; & idcircò debet necessariò multiplicari numero ad multiplicationem materiæ totalis & adæquatæ.

Objic.2. eadem numero persona Divina potest per incarnationem simul esse in pluribus naturis humanis, ut communiter docent Theologi, in Tract. De Incarnat. ergo etiam eadem numero substantialis forma potest (saltem supernaturaliter) esse per informationem in pluribus materiis totalibus & adæquatis numero distinctis.

Respondeo etiam, concesso ant. negando conseq. & paritatem: nam, ut evidens est, persona Divina non accipit suam unitatem numericam ab humana natura, quam per Incarnationem assumit, sed à seipsa eam habet: at, ut dictum est, substantialis forma desumit unitatem vel multiplicitatem numericam à materia totali & adæquata, quam informat.

Objic.3. potest supernaturaliter eadem numero anima informare simul partes corporis separatas, v.g. caput, & reliquum corpus, à quo caput fuit separatum: (ut legitur de B. Dionysio Areopagita, qui abscissum caput suum sustulit, & progressus ad duo millia passuum, illud in manibus gestavit:) ergo etiam supernaturaliter potest eadē numero anima, vel substantialis forma, plures materias totales & adæquatas simul informare.

Respondeo, dato ant. negando conseq. & paritatem: si etenim una & eadem numero anima, vel substantialis forma, plures materias totales &

adæ-

adæquatas ſimul informaret, multiplicaretur principium unitatis numericę animæ, vel ſubſtantialis formæ, nempè materia totalis & adæquata, non multiplicata numericè anima, vel ſubſtantiali forma; quod repugnat: hoc autem non ſequeretur in ea hypotheſi, in qua una & eadem numero anima, vel ſubſtantialis forma, partes ejuſdem corporis ſeparatas ſimul informaret, quia partes illæ prout ſupernaturaliter per eandem animam, vel ſubſtantialem formam, ſimul informarentur, & Phyſicè (licèt non Mathematicè) continuarentur, unicam duntaxat illius animæ, vel ſubſtantialis formæ, materiam adæquatam, & ita unicum unitatis numericæ principium adæquatum, conſtituerent.

Dici etiam poſſet, animam rationalem in capite B. Dionyſii ſupernaturaliter remanſiſſe; & reliquum corpus, non ab anima, ſed à Deo, divinitùs motum fuiſſe.

§. IV.

In uno & eodem vivente, præter animam, non datur forma corporeitatis, realiter diſtincta ab Anima.

NOmine, *forma corporeitatis*, intelligunt hìc Philoſophi formam ſubſtantialem, rationę cujus, compoſitum ſubſtantiale Phyſicum exigit quantitatem trinam dimenſionem habentem, (videlicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem) & qua in *eſſe* compoſiti corporei conſtituitur: quæritur ergo in hoc §. utrùm iſta forma realiter diſtinguatur à forma ſpecifica, in quovis compoſito ſubſtantiali; & præſertim in vivente, an realiter diſtinguatur ab anima; v.g. utrùm in homine realiter ab anima rationali diſtinguatur? Hoc præmiſſo.

Occurrit in primis opinio Avicennæ; qui lib. 1. ſufficientię c. 2. ponit formam corporeitatis, materiæ coævam, ab eaque inſeparabilem in omnibus com-

ompositis substantialibus Physicis à forma spe-
ifica distinctam.

Sequitur deinde opinio Scoti in 4.sent. dist.11.
.3.a.2.qui formam corporeitatis admittit in om-
ibus & solis vivētibus,realiter ab ipsorum anima
istinctam,eamque vocat *formam mixti*, quia, in-
uit,ex mixtione elementorū ad invicem pugnan-
ium consurgit: vult autem Scotus,formam illam
sse generabilem atque corruptibilem, ita ut,v.g.
um generatur Petrus, priùs saltem prioritate na-
uræ,quàm Anima rationalis introducatur,forma
orporeitatis à generante producatur, qua Petrus
abeat *esse corporeum substantiale*; ipso autem Pe-
ro mortuo, asserit Scotus, remanere adhuc cor-
oreitatis formam,donec ex mutua elementorum
ugna, oriatur forma aliqua specifica, vel ele-
enti, vel mixti inanimati, quia producta, cor-
umpitur hujusmodi corporeitatis forma.

Denique tertia opinio est D.Thomæ,qui 1.p.q.
6.ar.3.& 4.nec non lib.2. contra Gent. c.58.& 7.
Metaph.lect.12.atq;alibi sæpè asserit, nullam dari
ormam corporeitatis,à forma specifica compositi
lbstantialis physici, aut ab Anima *viventis*,reali-
er distinctam. Hanc sententiā Angelici Doctoris
ententur communiter Philosophi. Ipsaque sic

Prob.1. si in homine, v.g. daretur substantialis
orma corporeitatis, distincta realiter ab anima
ationali,eaque prior; anima rationalis in homine
oret verè, propriè, ac simpliciter forma substan-
alis,& non foret: ergo cùm hoc implicet contra-
ictionem, forma illa corporeitatis in homine nō
atur.Prob.ant.& primò quidem anima rationalis
ie verè,propriè,ac simpliciter, forma substantia-
s;ut ultrò fatētur adversarii.Quòd autem anima
ationalis in homine non esset,in facta hypothesi,
erè,propriè,ac simpliciter forma substantialis,ex
o ostenditur, quòd anima rationalis in ea hypo-
hesi præsupponeret priorem actum substantialē
empè priorem formā substantialem corporeita-
s:forma autē substantialis,verè,propriè, ac sim-

pli-

pliciter dicta, non debet præſupponere priorem actum ſubſtantialem, cùm ipſa ſit eſſentialiter actus primus ſubſtantialis, ad differentiam formæ accidentalis, quæ eſt actus ſecundarius & accidentalis duntaxat.

Prob.2.ſi darentur in homine forma corporeitatis,& anima rationalis,realiter ab invicem diſtinctę,facerent unum duntaxat per accidens:ut enim ſuprà dicebamus, unum per ſe, ſaltem in ordine Phyſico,debet fieri ex actu & potentia ſubſtantiali,proindèque ut in homine,forma corporeitatis, & anima rationalis,realiter ab invicem diſtinctæ, facerent,in ordine Phyſico,unum per ſe,non verò unum per accidens tantùm,deberent ſe habere ad modum actus & potentiæ ſubſtantialis; quod dici non poteſt.Etenim anima rationalis eſt eſſentialiter actus ſubſtantialis, idemque ſentiunt adverſarii de forma corporeitatis realiter ab anima rationali diſtincta, ac proinde, neque anima rationalis,neque forma corporeitatis, poteſt ſe habere ad modum potentiæ ſubſtantialis: proindeque ſi unirentur in homine, non facerent unum per ſe, ſed per accidens tantùm; & ita homo, qui (ſecundùm adverſarios) ex anima rationali, & ei forma corporeitatis componitur, foret ens unum per accidens ſolùm; quod abſurdum eſt.

Prob.3.*inutilis* eſt in homine forma corporeitatis realiter ab anima rationali diſtincta: ergo non datur. Prob. ant. ſi in homine utilis foret forma corporeitatis realiter ab anima rationali diſtincta maximè ad tribuendum homini *gradum corporis*: ut docent ipſi adverſarii:atqui ad hoc eſt *inutilis*: ergo &c.Prob.mi.anima rationalis poteſt tribuere homini gradum corporis:ergo ad tribuendum homini gradum corporis, inutilis eſt corporeitatis forma realiter ab anima rationali diſtincta. Prob. ant. eadē forma accidentalis, quatenus eſt qualitas, dat parieti gradū qualitatis; quatenus eſt color, dat eidem parieti gradum coloris; & tandem quatenus eſt *albedo*, dat albedinis gradum: ergo

pa-

rriter eadem anima rationalis sola, quatenus est rma corporis, tribuit homini gradum *corporis*: atenus est eminenter formaliter vegetativa, tri-iit gradum *viventis*; quatenus est eminenter for-a.liter sensitiva, tribuit gradum *animalis*; & qua-mus est rationalis, dat *homini* gradum: si etenim dem forma, accidentalis, quę est substãtiali for-nat longè imperfectior, plures gradus præbere po-sst, sub diversa consideratione: quare eadem for-na substantialis, quæ est longè perfectior & emi-ẽtior, qualis est anima rationalis, non poterit sub iwersa ratione, plures & diversos pręstare gradus?

Ob. 1. anima supponit *corporis gradum*: ergo supponit corporeitatis formam, quæ gradum illum ribuat. Prob. ant. ex ipsa animæ definitione, quæ st hæc: *Anima est actus primus corporis naturalis rganici, potentia vitam habentis*: ex hac enim efinitione colligitur, animam supponere corpus; proindèque & *gradum corporis*.

IResp. neg. ant. ad cujus prob. dici potest, nomine *corporis* in definitione animæ, non debere intelligi compositum Physicum, quod habet *gradum corporis*; sed debere intelligi materiam per præcedentes dispositiones organizatam, & ad animam talem recipiendam proximè præparatam.

IResponderi potest 2. quòd si in definitione animæ, nomine *corporis* sit intelligendum compositum Physicum, habens *gradum corporis*, dico animam non definiri per ordinem ad corpus ita sumptum, tamquam per ordinem ad subjectum, quod supponat, sed tamquam per ordinem ad effectum formalem, quem constituit: eo simili modo, quo illor deficitur: *actus calidi*: calidum quippe est rmalis effectus caloris, quem nimirum calor onstituit; non verè subjectum, quod supponat.

Objic. 2. ex Scriptura Sacra, nec non ex sanctis tribus, variis in locis, Christi corpus fuit idem mero, in cruce, & in Sepulchro: ergo retinuit rmã corporeitatis ab anima rationali distinctã, iita fuit in Christo, antè mortem, forma cor-

porei-

pliciter dicta, non debet præſupponere priorem actum ſubſtantialem, cùm ipſa ſit eſſentialiter actus primus ſubſtantialis, ad differentiam formæ accidentalis, quæ eſt actus ſecundarius & accidentalis duntaxat.

Prob. 2. ſi darentur in homine forma corporeitatis, & anima rationalis, realiter ab invicem diſtinctę, facerent unum duntaxat per accidens: ut enim ſuprà dicebamus, unum per ſe, ſaltem in ordine Phyſico, debet fieri ex actu & potentia ſubſtantiali, proindèque ut in homine, forma corporeitatis & anima rationalis, realiter ab invicem diſtinctæ facerent, in ordine Phyſico, unum per ſe, non verò unum per accidens tantùm, deberent ſe habere ad modum actus & potentiæ ſubſtantialis; quod dici non poteſt. Etenim anima rationalis eſt eſſentialiter actus ſubſtantialis, idemque ſentiunt adverſarii de forma corporeitatis realiter ab anima rationali diſtincta, ac proinde, neque anima rationalis, neque forma corporeitatis, poteſt ſe habere ad modum potentiæ ſubſtantialis: proindeque ſi unirentur in homine, non facerent unum per ſe, ſed per accidens tantùm; & ita homo, qui (ſecundùm adverſarios) ex anima rationali, & ea forma corporeitatis componitur, foret ens unum per accidens ſolùm; quod abſurdum eſt.

Prob. 3. *inutilis* eſt in homine forma corporeitatis realiter ab anima rationali diſtincta: ergo non datur. Prob. ant. ſi in homine utilis foret forma corporeitatis realiter ab anima rationali diſtincta maximè ad tribuendum homini *gradum corporis*: ut docent ipſi adverſarii: atqui ad hoc eſt inutilis: ergo &c. Prob. mi. anima rationalis poteſt tribuere homini gradum corporis: ergo ad tribuendum homini gradum corporis, inutilis eſt corporeitatis forma realiter ab anima rationali diſtincta. Prob. ant. eadē forma accidentalis, quatenus eſt qualitas, dat parieti gradū qualitatis; quatenus eſt color, dat eidem parieti gradum coloris; & tandem quatenus eſt *albedo*, dat albedinis gradum: ergo pa-

pariter eadem anima rationalis sola, quatenus est forma corporis, tribuit homini gradum *corporis*: quatenus est eminenter formaliter vegetativa, tribuit gradum *virentis*; quatenus est eminenter formaliter sensitiva, tribuit gradum *animalis*; & quatenus est rationalis, dat *homini* gradum: si etenim eadem forma, accidentalis, quę est substātiali forma longè imperfectior, plures gradus præbere potest, sub diversa consideratione: quare eadem forma substantialis, quæ est longè perfectior & eminētior, qualis est anima rationalis, non poterit sub diversa ratione, plures & diversos pręstare gradus?

Ob. 1. anima supponit *corporis gradum*: ergo supponit corporeitatis formam, quæ gradum illum tribuat. Prob. ant. ex ipsa animæ definitione, quæ est hæc: *Anima est actus primus corporis naturalis organici, potentia vitam habentis*: ex hac enim definitione colligitur, animam supponere corpus; proindèque & *gradum corporis*.

Resp. neg. ant. ad cujus prob. dici potest, nomine *corporis* in definitione animæ, non debere intelligi compositum Physicum, quod habet *gradum corporis*; sed debere intelligi materiam per prævias dispositiones organizatam, & ad animam vitalem recipiendam proximè præparatam.

Responderi potest 2. quòd si in definitione animæ, nomine *corporis* sit intelligendum compositum Physicum, habens *gradum corporis*, dico animam non definiri per ordinem ad corpus ita sumptum, tamquam per ordinem ad subjectum, quod supponat, sed tamquam per ordinem ad effectum formalem, quem constituit: eo simili modo, quo calor deficitur: *actus calidi*: calidum quippe est formalis effectus caloris, quem nimirum calor constituit; non verè subjectum, quod supponat.

Objic. 2. ex Scriptura Sacra, nec non ex sanctis Patribus, variis in locis, Christi corpus fuit idem numero, in cruce, & in Sepulchro: ergo retinuit formā corporeitatis ab anima rationali distinctā, & ita fuit in Christo, ante mortem, forma corporei-

poreitatis ab animal rationali diſtincta. Prob. conſeq. neque enim dici poteſt idem numero corpus, niſi retineat eamdem numero formam, quam antea habebat: ergo ut idem numero corpus Chriſti fuerit in ſepulchro, quod fuerat in Cruce; debuit eamdem numero formam retinere, videlicet eamdem corporeitatis formam.

Reſpondeo diſtinguẽdo ant. ex Scriptura Sacra, nec non ex Sanctis Patribus, variis in locis, Chriſti corpus fuit Metaphyſicè, ſeu ex parte ſuppoſiti, idem numero, in Cruce, & in Sepulchro, concedo reipſa enim idem numero ſuppoſitum divinum, quod fuerat hypoſtaticè unitum corpori Chriſti in Cruce pendenti, remanſit hypoſtaticè unitum Chriſti Corpori in ſepulchro conſtituto. Ex Scriptura Sacra, nec non ex Sanctis Patribus, variis in locis, Chriſti corpus fuit idem numero Phyſicè, (ſeu ex parte naturæ Phyſicæ) in cruce, & in ſepulchro, nego; etenim natura Phyſica Chriſti per mortem in cruce corrupta deſtructaque eſt. Ad prob. conſeq. (quæ neganda eſt) diſtinguo ant. neque enim dici poteſt idem numero corpus Phyſicè, niſi retineat eamdem numero formam, quam antea habebat, cõcedo: neq; enim dici poteſt idem numero corpus Metaphyſicè, niſi retineat eamdem numero formam, quam anteà habebat, nego; ad hoc quippè ſufficit, ut retineat idem numero ſuppoſitum; quod quidem naturaliter, & in ſuppoſitis creatis, fieri nequit; at ſupernaturaliter, & in ſuppoſito increato ac divino, quale eſt ſuppoſitum Chriſti, id evenire poteſt.

Dicẽs 1. quæ ſunt unum numero, ſunt unum ſpecie; ut dicitur 5. Metaph. ca. 6. Textũ 12. atqui Corpus Chriſti pendẽtis in Cruce non fuit unum ſpecie cum corpore in ſepulchro poſito: ergo &c. Prob. min. corpora, quæ habent formas ſubſtantiales eſſentialiter diverſas, non ſunt unum ſpecie, ſed potiùs ſpecie diverſa ſunt; ut patet: atqui Corpus Chriſti in Cruce pendentis, & corpus in Sepulchro poſitum, habuerunt formas ſubſtantia-

iales essentialiter diversas; forma quippe substantialis Corporis Christi in Cruce pendentis fuit anima rationalis; forma verò substantialis Corporis Christi in sepulchro positi fuit forma cadaverica: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. quæ sunt unum numero, sunt unum specie: si considerentur sub ea ratione, sub qua sunt unum numero, concedo: si spectentur sub ea ratione, sub qua non sunt unum numero, nego: corpus autem Christi in cruce pendentis, & corpus in Sepulchro positum, non fuerunt unum numero, quantùm ad naturam physicam, sed dumtaxat quantùm ad suppositum: fuerè verò Corpus Christi in Cruce pendentis, & corpus positum in sepulchro, fuerint diversa specie, quantùm ad naturas specificas physicas, per diversas essentialiter formas constituras; non fuerunt tamen diversa specie, quantùm ad suppositum.

Dices 2. si corpus Christi in cruce pendentis, & corpus positum in sepulchro, dici potuerunt unum & idem numero corpus, quia habuerunt eem numero suppositum divinum; sequitur, quòd si mortuo in Cruce Christo, divinum ejus suppositum assumpsisset, aut sibi univisset naturam Leoninam, Corpus Christi pendentis in cruce, & Corpus Leoninum, dici potuissent unum & idem numero; quoniam unum numero suppositum habuissent.

Respondeo negando sequelam & paritatem; nam corpus cadavericum, (quale fuit corpus in sepulchro Christi positum) quodamodò subordinatur corpori animalis, quod vixit, ipsique secundùm legem ordinariam succedit; unde juxta communem loquendi modum, corpus cadaverinum dici & appellari solet, corpus animalis, quod vixit, & nunc mortuum est: & ideò si aliunde utrumque corpus habeat idem numero suppositum, stricte ac propriè dici potest, esse unum & idem numero corpus: at corpus humanum, & corpus Leoninum,

ninum, ſunt corpora omninò diſparata; & idcircò non videntur poſſe dici unum & idem numero corpus, quantumvis habeant unum & idem numero ſuppoſitum divinum.

Dices 3. ex communi Thomiſtarum doctrina, in morte & corruptione animalis, fit reſolutio uſque ad materiam primam: ergo in morte Chriſti remanſit ſola materia prima, proindèque non remanſit idem numero corpus.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguendo conſequens: ergo in morte Chriſti remanſit ſola materia prima in ordine Phyſico, concedo: ergo in morte Chriſti remanſit abſolutè ſola materia prima, ita ut in ordine Metaphyſico, idem numero ſuppoſitum divinum non manſerit, nego; idem autem numero ſuppoſitum divinum junctum eidem numero materiæ, quæ fuerat in Chriſto, quæque erat brevi reunienda animæ rationali Chriſti, idem numero corpus Chriſti poterat dici.

Dices 4. corpus cujuſcumque alterius hominis non eſt idem numero, vivum, & mortuum: ergo neq; Corpus Chriſti vivum in cruce, & mortuum in ſepulchro, idem numero fuit. Ant. videtur clarum: conſeq. verò ex eo patet, quòd corpus Chriſti fuit ejuſdem rationis & conditionis cum aliis corporibus humanis.

Reſpondeo negando paritatem: nam in aliis hominibus, corpus vivum, & corpus mortuum; non habent idem numero ſuppoſitum, ſed ſuppoſita planè diverſa: at in corpore Chriſti, ſive vivo, ſive mortuo, idem numero ſuppoſitum divinum fuit.

Quando verò dicitur, corpus Chriſti fuiſſe ejuſdem rationis & conditionis cum aliis corporibus humanis; diſtinguendum eſt: concedendum ſiquidem eſt, Corpus Chriſti fuiſſe ejuſdem rationis & conditionis cum aliis corporibus humanis, quantùm ad naturāhumanam; at non quantùm ad ſuppoſitū, quod in Chriſti corpore divinum fuit.

Obji. 3. & ampliùs inſtabis: poſt Chriſti mortem,

tem, animæ rationali ſeparatæ à corpore non ſucceſſit forma cadaverica : ergo ſupereſt, ut remanſerit corporeitatis forma. Conſeq. patet; perſpicuum eſt enim, quòd ſi in corpore mortuo Chriſti non fuit forma cadaverica, quæ animæ rationali ſeparatę ſucceſſerit, alia non fuerit forma, quę gradum corporis dederit corpori mortuo Chriſti, pręter corporeitatis formam. Prob. autem ant. ſi poſt mortem Chriſti animæ rationali ſeparatæ à corpore ſucceſſit forma cadaverica, debuiſſet divinũ Chriſti ſuppoſitum aſſumere hanc formam: atqui divinum Chriſti ſuppoſitum illam formam non aſſumpſit : ergo &c. Ma. in primis manifeſta eſt; nam, ut docent communiter Theologi, & præſertim D. Thomæ diſcipuli, divinum ſuppoſitum non potuit aſſumere materiam ſolam, ſed duntaxat ſimul cum forma; ſi igitur ſuppoſitũ divinũ aſſumpſit materiã corporis in ſepulchro poſiti, debuit aſſumere formam cadavericã, ſi in eo corpore fuit, & animæ rationali ſeparatæ ſucceſſit. Prob. verò mi. ex D. Thoma 3. p. q. 50. a. 3. ad 3. Divinum Chriſti ſuppoſitum aſſumpſit duntaxat humanam naturã, & ejus partes : ergo cùm forma cadaverica non ſit pars humanæ naturæ, ipſam divinum Verbum, vel Divini Verbi ſuppoſitum, non aſſumpſit.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. diſtinguo ma. ſi poſt mortẽ Chriſti, animæ rationali ſeparatę à corpore ſucceſſiſſet forma cadaverica, debuiſſet divinũ Chriſti ſuppoſitũ tranſeunter aſſumere hanc formam, cõcedo; debuiſſet divinũ Chriſti ſuppoſitum permanenter aſſumere hanc formã nego: divinum quippe Chriſti ſuppoſitum non debuit formam cadavericam aſſumere, niſi pro eo tẽpore, pro quo anima rationalis Chriſti debebat abeſſe; anima verò rationalis Chriſti non debebat permanenter abeſſe, ſed tranſeunter tantùm, nempè pro triduo. Ad prob. mi. ex D. Thoma deſumptam, dico, D. Thomam loqui de aſſumptione permanẽti, nõ autẽ de aſſumptione ſolùm tranſeuntı.

Inſtabis 1. Si Deus, aut Divini Verbi ſuppoſi-

tum, aſſumpſiſſet naturam cadavericam fuiſſet vera hæc propoſitio: *Deus eſt cadaver*: ſicut qui aſſumpſit naturam humanam, vera eſt hæc propoſitio: *Deus eſt homo*: atqui illa propoſitio: *Deus eſt cadaver*: nunquam fuit vera: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi Deus, aut divini Verbi ſuppoſitum, aſſumpſiſſet abſolutè, ſimpliciter, & permanenter, naturam cadavericam, fuiſſet vera hæc propoſitio: *Deus eſt cadaver*; concedo ma. Si Deus, aut Divini Verbi ſuppoſitum aſſumpſiſſet tranſeunter ſolùm & ſecundùm quid naturam cadavericam, fuiſſet vera hæc propoſitio: *Deus &c.* ſubdiſtinguo: fuiſſet vera tranſeunter tantùm, & ſecundùm quid, concedo: fuiſſet vera abſolutè, ſimpliciter, & permanenter, nego. Unde alio modo iſta propoſitio: *Deus eſt homo*: eſt vera; ſcilicet abſolutè, ſimpliciter, ac permanenter: alio modo illa vera fuit: *Deus eſt cadaver*: videlicet tranſeunter duntaxat, & ſecundùm quid, quia ſuppoſitum Divini Verbi aſſumpſit humanam naturam abſolutè, ſimpliciter, & permanenter; cadavericam verò naturam tranſeunter tantummodò & ſecundùm quid.

Inſtabis 2. Si divini verbi ſuppoſitum, non tantùm naturam humanam, ſed etiam cadavericam, aſſumpſiſſet; duplex facta fuiſſet incarnatio: ergo cùm hoc inauditum ſit, Divini Verbi ſuppoſitum non aſſumpſit cadavericam naturam. Prob. ant. Incarnatio (ſecundùm Theologos) nihil eſt aliud, quàm naturæ creatæ ad divinum ſuppoſitum aſſumptio; proindèque cùm in præfata hypotheſi fuiſſet duplicis naturæ creatæ, nimirum humanæ, & cadavericæ, ac Divini Verbi ſuppoſitum aſſumptio, fuiſſet quoque duplex incarnatio.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ſi Divini Verbi ſuppoſitum &c. duplex facta fuiſſet Incarnatio; nempè una permanens, (quæ eſſet permanens naturæ humanæ ad Verbi Divini ſuppoſitum aſſumptio) & alteram tranſiẽs, (quæ foret tranſiens aſſumptio naturæ cadavericæ ad idem ſuppoſitum divi-

idivinum) concedo: duplex facta fuisset incarnatio permanens, nego.

Instabis 3. si Divini Verbi suppositū, post Christi mortem assumpsisset naturam cadavericam, & eam post in ejusdem Christi resurrectione dimisisset; falsum esset commune Theologorum axioma: *Quod semel suppositum divinum assumpsit, nũquã dimisit.* Respondeo negando sequelam; illud quippe Theologorum axioma intelligendum venit de his quæ Divini Verbi suppositum per se & permanẽter assumpsit; non verò de his, quæ per accidens ac trãseunter tantùm ab ipso Divini Verbi supposito assumpta fuere; cujusmodi fuit natura cadaverica.

Instabis 4. assumptio naturæ cadavericæ ad Divinum Christi suppositum, nihil conducebat ad nostram salutem: ergo supervacanea omninò fuit. Respondeo distinguendo ant. assumptio naturæ cadavericæ ad Divinum Christi suppositum, nihil antecedenter conducebat ad nostram salutem, concedo: nihil consequenter conducebat ad nostram salutem, nego. quòd enim Deus pro nobis moreretur, & in sepulchro poneretur, sine ulla dubitatione, ad nostram salutem conducebat; Deus autem, vel Divinum Christi suppositum, mori & in sepulchro poni non potuit, nisi consequenter ad mortem Christi, in qua naturam cadavericam in sepulchro positam assumeret.

Instabis 5. forma cadaverica non magis ad Christum pertinebat, quàm forma bovis: ergo sicut Divinum Christi suppositum non assumpsit formam bovis; ita etiam nõ assumpsit formã vel naturã cadavericam. Respond. negando ant. etenim forma cadaverica, quæ Corpus Christi in sepulchro positum informavit, quodammodò fuit animæ rationali Christi subordinata, ipsique immediatè successit; ideòque quodammodò ad Christum pertinebat. At forma bovis erat omninò disparata respectu animæ rationalis Christi, ideòque nullo modo ad Christum pertinebat.

Objic.4. quando homo moritur, & anima ra-

tionalis à corpore ſeparatur, remanet idem numero corpus (& hanc ob cauſam reliquiæ Sanctorum à nobis honorantur;) ergo per animam rationalem non conſtituebatur, ſed per corporeitatis formam, quæ poſt hominis mortem permanet.

Reſpondeo diſtinguendo ant. quando homo moritur, & anima rationalis à corpore ſeparatur; remanet populariter idem numero corpus, quatenus remanet eadem numero materia, ſub membris quantùm ad figuram humanis, quæ communi judicio populi cenſetur idem numero corpus humanum, ac præcedens, concedo: remanet Phyſicè idem numero corpus, id eſt, numero eadem natura corporea Phyſica, eandem numero formam ſubſtantialem, ipſam conſtituentem, eundemque numero corporis gradum, retinens, nego.

Inſtabis 1. quando homo moritur, remanet ſaltem idem ſpecie corpus; remanet quippe idem ſpecie caput, idem ſpecie venter, &c. ergo remanet eadem forma, ſcilicet corporeitatis; unitas namque ſpecifica corporis, ab una eademque forma petenda eſt.

Reſpondeo ſimiliter diſtinguendo ant. quando homo moritur, remanet populariter ſaltem idem ſpecie corpus, quatenus populariter, ſeu communi judicio populi, permanet idem ſpecie caput, idem ſpecie pectus, idem ſpecie venter, &c. concedo: quando homo moritur, remanet Philoſophicè, ſeu judicio Philoſophorum rectè verèque ſentientium, ſaltem idem ſpecie corpus, ita ut remaneat idem Philoſophicè caput, idem pectus, idem venter, &c. ſecundùm ſpeciem, nego: cum etenim poſt hominis mortem, abſit à corpore forma ſive anima humana, & ſucceſſerit forma cadavericа ab illa ſpecie diſtincta, non poteſt ampliùs apud Philoſophos dici idem ſpecie corpus, neque idem ſpecie caput &c. ſed dici debet corpus cadavericum, ſicut & caput cadavericum, &c.

Inſtabis 2. quando homo moritur, permanent Philoſophicè eadem ſpecie accidentia; ut idem

ſpe-

ſpecie calor, idem ſpecie color, & ejuſmodi : ergo etiam Philoſophicè permanet idē ſpecie corpus.

Reſpondeo negando paritatem: accidentia ſiquidē, quantùm ad ſuam unitatem vel identitatē ſpecificam non pendent ab unitate vel identitate ſpecifica formarū ſubſtantialium ; videmus etenim in diverſis ſpecie compoſitis diverſas ſpecies formas ſubſtantiales habentibus, eadem ſpecie accidentia; ſic in Mauro & corvo, eſt eadem ſpecie nigredo; in pariete verò & nive, eſt eadem ſpecie albedo ; &c. at unitas vel identitas ſpecifica corporis pēdet atque deſumitur ab unitate vel identitate ſpecificæ formæ ſubſtantialis; ideòque ubi eſt formarum ſubſtantialium ſpecifica diverſitas, ibi ſint diverſa ſpecie corpora neceſsè eſt: in corpore autem hominis vivi , & in corpore hominis mortui, ſunt diverſæ ſpecie ſubſtantiales formæ; in corpore enim hominis vivi eſt anima rationalis , in corpore verò hominis mortui eſt ſubſtantialis forma cadaverica, quæ formæ ſubſtantiales ſpecie differunt, ut patet; & idcircò neceſsè eſt, ut corpus hominis vivi, & corpus hominis mortui , ſint apud Philoſophos rectè verèque ſentientes , diverſa ſpecie corpora, non autem unum & idem ſpecie corpus .

Objic. 5. Si in triduo mortis Chriſti, aliquis Apoſtolorum Hoſtiam conſecraſſet, poſuiſſet ibi Corpus Chriſti ; ut certum eſt: tunc autem Corpus Chriſti non fuiſſet conſtitutum per animam rationalem, quoniam tunc abfuiſſet; neque etiam fuiſſet per cadavericam formam conſtitutum ; alioquin nunc Chriſti corpus in Hoſtia conſecrata poſitum conſtitueretur etiam per cadavericam formam : ſupereſt igitur , ut Corpus Chriſti in Hoſtia conſecrata tunc poſitum, fuiſſet per formam corporeitatis conſtitutum.

Reſpondeo, quòd in facta hypotheſi Corpus Chriſti in Hoſtia conſecrata poſitum, fuiſſet per ſubſtātialem formam cadavericam in *eſſe* corporis conſtitutū. Nec tamē inde ſequitur, Corpus Chriſti nūc in Hoſtia conſecrata poſitū, eſſe per formā

cadavericam conſtitutum; quia corpus Chriſti in Hoſtia conſecrata ſacramentaliter poſitum, debet per eam ſubſtantialem formam conſtitui, per quam in ſeipſo extra Sacramentum conſtituitur; nunc autem Chriſti corpus in ſeipſo extra Sacramentum non conſtituitur per formam cadavericam, (ſicut conſtituebatur in triduo mortis) ſed per animam rationalem.

Inſtabis: ſi Hoſtia à Chriſto conſecrata in Cœna ultima, fuiſſet per triduum mortis ipſius Chriſti conſervata: quæritur, quænam forma fuiſſet in Chriſti corpore in Hoſtia illa remanente? non fuiſſet in primis anima rationalis; quia Chriſti corpus exiſtens in præfata hoſtia, fuiſſet idem cū corpore ejuſdem Chriſti in ſepulchro quieſcente: ſicut igitur in iſto corpore non extitit anima rationalis, quia mortuum fuit; ita neque fuiſſet in Chriſti corpore in præfata hoſtia exiſtente: ergo fuiſſet etiam forma cadaverica, quia actio conſecratoria, qua Chriſtus adhuc vivens, in Cœna ultima confeciſſet ſui corporis Sacramentum, non poſuiſſet in hoſtia conſecrata corpus cadavericum ac mortuum, ſed vivum: ſupereſt ergo, ut tunc in Chriſti corpore foret corporeitatis forma.

Reſpondeo, quòd in facta hypotheſi fuiſſet in Chriſti corpore forma cadaverica; cùm etenim fuiſſet idem corpus moriens in Cruce, & præſens in hoſtia illa conſecrata, ſicut in Cruce verè mortuum fuiſſet, ſic etiam in præfata hoſtia verè fuiſſet mortuum; ideòque, ſicut in Chriſti corpore pendente in Cruce fuit forma cadaverica, poſt mortem Chriſti, ita eadem extitiſſet forma in Chriſti corpore in prædicta hoſtia præſente; unde forma cadaverica non fuiſſet ibi per actionem conſecratoriam, qua Chriſtus in Cœna ultima confeciſſet ſui corporis Sacramentum, ſed per actionem, qua fuiſſet in Cruce occiſus.

Objic.6. dum homo generatur, debet aſſignari formalis terminus generationis: atqui iſte terminus non eſt alius præter formam corporeitatis: ergo

go &c. Prob. mi. Anima rationalis nequit dici formalis terminus humanæ generationis, cùm sit formalis terminus creationis; ergo alius nequit esse formalis terminus humanæ generationis præter formam corporeitatis.

Respondeo concessa ma. negando mi. ad cujus prob. dico, animam rationalem esse formalem terminum humanæ generationis; non quidem, ut est in *esse* producenda, sic enim sumpta est formalis terminus creationis; sed ut est materiæ vel corpori uniendæ, in ordine ad hominem genitum constituendum.

Objic. 7. debet dari substantialis forma in homine, ad quam gravitas pertineat, tanquam connaturalis proprietas: atqui hæc forma nequit esse alia, præter corporeitatis formam; ergo &c. Ma. videtur certa. Prob. mi. cùm gravitas sit communis homini cum aliis rebus corporeis, v. g. cum brutis, plantis, lapidibus, &c. forma, cujus connaturalis proprietas est gravitas, debet esse communis homini cum aliis rebus corporeis, v. g. cum brutis, plantis, lapidibus, &c. atqui forma, quæ est communis homini cum aliis rebus corporeis, v. g. cum brutis, plantis, lapidibus, &c. non potest esse alia, præter corporeitatis formam; non enim potest esse anima rationalis, cùm hæc anima soli conveniat homini: ergo &c.

Respondeo negando ma. gravitas enim, & similia accidentia materialia, non debent esse proprietates connaturales, vel materiæ, vel formæ substantialis, sed totius naturæ corporeæ & materialis; ideòque necesse non est: ut detur in homine substantialis forma, ad quam pertineat gravitas tanquam connaturalis proprietas; sed satis est, ut gravitas sit connaturalis proprietas totius humanæ naturæ, prout corporea est & materialis, sub qua ratione convenit cum natura bruti, plantæ, lapidis, &c.

Objic. 8. in *vivente*, anima præsupponit in materia

teria prima corporeitatis formam: ergo hæc forma datur in *vivente*. Prob. ant. Anima nequit immediatè in materia prima recipi: ergo debet in ea præſupponere corporeitatis formam, qua conſtituatur in ratione corporis, ut fiat ſubjectum animæ immediatè receptivum; quam ob cauſam anima definitur; *Actus primus corporis &c.* Prob. ant. ſi anima immediatè in materia prima reciperetur, ipſique immediatè adhæreret, anima foret in ordine imperfectiſſimarum formarum, quæ nimirum immediatè adhærent materiæ primæ.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. diſtinguo ant. anima nequit immediatè in materia prima nudè ſumpta recipi, concedo: anima nequit immediatè in materia variè organizata, ſeu ad varias operationes vitales diſpoſita, recipi, nego: & per hoc differt anima à formis imperfectiſſimis, quæ immediatè adhærent materiæ primæ, variæ illa organizatione & diſpoſitione ſpoliata. Dum autem anima definitur: *Actus primus corporis &c.* nomine *corporis* intelligi debet materia prima organizata.

Objic. 9. debet in homine dari forma, quæ det ipſi homini *eſſe corporeum*, ſeu gradum *corporis*; atqui hæc forma non eſt alia, quàm corporeitatis forma: ergo &c. Ma. evidens eſt. Prob. mi. anima rationalis non poteſt dare homini *eſſe cerporeum*: ergo forma, quæ dat homini *eſſe corporeum*, non eſt alia, quàm corporeitatis forma Prob. ant. anima rationalis non poteſt dare oppoſitum ſui *eſſe*; ut patet: atqui *eſſe corporeum* eſt oppoſitum *eſſe* animæ rationalis; cum anima rationalis habeat *eſſe incorporeum*: ergo &c.

Reſpondeo conceſsa ma. negando mi. ad cujus prob. diſtinguendum eſt: nam *eſſe corporeum* dupliciter accipi poteſt. Primò enim *eſſe corporeum* ſignificare poteſt *eſſe* formaliter extenſum in longũ, latum, atque profundũ; alio modo *eſſe corporeum* deſignare poteſt ſubſtantialem corporis gradum, qui trinam illam in longum, latum, atque profundum,

dum, exigit dimensionem. Si igitur *esse corporeum* sumatur primo modo, non datur, nec dari potest ab anima rationali; est quippe formalis effectus quantitatis: at si *esse corporeum* accipiatur secundo modo, datur ab anima rationali considerata, ut est forma substantialis corporis.

Et dum instatur ac dicitur, animam rationalem non posse dare oppositum sui *esse*; concedendum est. at dico, quòd licèt *esse corporeum* sit oppositum *esse* animæ rationalis, si primo modo usurpetur, prout videlicet significat *esse* formaliter extensum ac divisibile in longum, latum, atque profundum, eò quòd anima rationalis, secundū suum *esse* connaturale, sit formaliter inextensa & indivisibilis: attamen si *esse corporeum* sumatur secundo modo, scilicet pro substantiali gradu corporis, non opponitur *esse* animæ rationalis; quamvis enim anima rationalis non habeat *esse* corporeum *ut quod*, seu entitativè, quia reverà entitatem habet immaterialem & incorpoream, habet tamen *ut quo*, *esse* materiale & corporeum substantiale, quatenus est forma substantialis materiæ primæ, seu corporis, informativa, & compositi materialis atque corporei, nempè humani, constitutiva, ita ut sit id, quo compositum illud constituitur, & ideò sub ista ratione sumpta rationalis anima, dare potest homini *esse corporeum* secundo modo sumptum, seu substantialem corporis gradum.

Instabis: forma lapidis, & quævis alia forma substantialis purè materialis & corporea non est alio modo materialis & corporea, quàm *ut quo*, quatenus nempè est id, quo materia vel corpus informatur, & quo compositum materiale & corporeum constituitur: ergo, si anima rationalis est materialis & corporea, *ut quo*, est materialis & corporea eo modo, quo alia forma purè materialis & corporea.

Respondeo negando ant. materiale quippè & corporeū *ut quod*, in præsenti dicitur id, quod in se, aut in sua entitate, est materiale vel corporeum,

adeò ut ſecundùm entitatem ſuam à materia aut à corpore dependeat, (cujuſmodi eſt forma lapidis, & quævis alia ſimilis) quamvis ſit etiam materialis & corporea *ut quo*, modo explicato: at anima rationalis non eſt in ſe, vel in ſua entitate, materialis & corporea; ſed potiùs immaterialis & incorporea, quatenus ſecundùm entitatem ſuam eſt à materia vel à corpore independens; ideòque dici non poteſt materialis & corporea *ut quod*, ſicut forma lapidis, & quævis alia ſimilis.

Quæres, quonam modo anima rationalis contineat animam vegetativam, ſenſitivam, imò & formam corpoream?

Reſpondeo in primis, animam rationalem continere aliquo modo animam vegetativam, ſenſitivam, & formam corpoream, quia præſtat formales earum effectus; videlicet gradum *viventis*, gradum *animalis*, & gradum *corporis*; ut conſtat ex dictis in hoc articulo: at quomodo anima rationalis illas contineat formas, ampliùs eſt explicandum.

Poteſt autem tribus modis aliquid in alio contineri. Primò, formaliter tantùm, ſecundò eminenter ſolùm, & tertiò formaliter ac eminenter ſimul. *Tunc aliquid* continetur in alio formaliter tantùm, quando ſubjectum continens habet rationem formalem & denominationem rei contentæ, cum limitatione ad ipſam, & cum imperfectionibus illis annexis: hoc modo, anima vegetativa eſt in planta; planta namque habet rationem formalem animæ vegetativæ, ab ea denominatur *vivens* vita vegetativa, ad ipſam quoq; limitatur, ita ut aliam non habeat animam, habetq; omnes imperfectiones illi annexas, ſive omnes imperfectiones, quarum capax eſt anima vegetativa. Tunc verò aliquid in alio continetur eminenter ſolùm, quando ſubjectum continens habet totam rei contentæ perfectionē, ſublatis ejus imperfectionibus, non habet tamen formalem rei contentę denominationē; hoc modo equus, arbor, lapis, & alia ejuſmo-

modi entia creata imperfectionem in suo concep-
essentiali involventia, in Deo continentur; Deus
uippe continet totam eorum perfectionem, (ut-
otè infinitè perfectus) sublatis eorum imperfe-
ionibus, (utpotè omnis imperfectionis incapax)
on habet tamen Deus, equi, arboris, lapidis,
c ejusmodi entium creatorum formalem deno-
minationem; neque enim Deus denominatur for-
naliter equus, arbor, lapis, &c.

Denique tunc aliquid continetur in alio forma-
iter, ac eminenter simul, quando subjectum con-
imens habet formalem rationem & denominatio-
nem rei contentæ, sine limitatione ad ipsam, &
xclusis omnibus aliis imperfectionibus ipsius:
hoc modo intellectus, voluntas, sapientia, & hujus-
modi perfectiones in Deo continentur; Deus enim
habet formales rationes *intellectus*, *voluntatis*, *sa-
pientiæ*, *&c.* & præterea formaliter *intellectualis*,
volens, *sapiens*, *&c.* denominatur; & eandem Deus
illas continet perfectiones, sine limitatione, &
aliis imperfectionibus, cum quibus in creaturis
reperiuntur. His positis.

Respondeo 2. Animam rationalem continere
formaliter & eminenter simul animam vegetati-
vam, sensitivam, & formam substantialem cor-
poream. Et primò quidem, quòd anima rationalis
contineat formaliter animam vegetativam, sensi-
tivam, & formam substantialem corpoream: ex
eo ostenditur, quòd continet formales earum ra-
tiones, quandoquidem tribuit homini effectus
formales illarum, videlicet gradum *viventis*, gra-
dum *animalis*, & substantialem *corporis* gradum.
Et præterea anima rationalis denominatur forma-
liter vegetativa, & sensitiva; id est, radicale ope-
rationum vegetativarum & sensitivarum princi-
pium: denominatur quoque formaliter corporea
ut quo, modo suprà explicato

Anima rationalis est etiam vegetativa, sensitiva,
& forma corporea (*ut quo*) eminenter; quia con-
tinet hujusmodi formas sine limitatione, quam

anima vegetativa habet in planta, quam anima ſenſitiva habet in bruto, & quam ſubſtantialis forma corporea habet, v. g. in lapide: ac præterea anima rationalis continet eaſdem formas abſque aliis imperfectionibus, cum quibus in præfatis ſubjectis inveniuntur.

Dices: ut anima rationalis formaliter & eminenter contineret animam vegetativam, & animam ſenſitivam, deberet formales illarum animarum effectus præſtare: atqui anima rationalis non præſtat formales effectus animæ vegetativæ, & animæ ſenſitivæ: ergo &c. Ma. videtur evidens. Prob. mi. formalis effectus animæ vegetativæ eſt conſtituere plantam; effectus verò formalis animæ ſenſitivę eſt conſtituere brutum: atqui hos effectus non præſtat anima rationalis; alioquin homo per animam rationalem conſtitutus, foret planta & brutum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ut anima rationalis formaliter & eminenter contineret animam vegetativam, & animam ſenſitivam, deberet formales illarum animarum abſolutè & ſecundùm ſe ſumptarum effectus præſtare, concedo: deberet formales illarum animarum ut limitatarum effectus præſtare, nego: licèt autem anima rationalis non præſtet formalem effectum animæ vegetativę, ut ad plantam limitatæ, quia hic effectus eſt conſtituere plantam; licèt etiam anima rationalis non præbeat formalem effectum animæ ſenſitivæ, ut ad brutum limitatæ, quia ille effectus eſt conſtituere brutum: attamen anima rationalis præbet effectum formalem animæ vegetativæ abſolutè & ſecundùm ſe acceptæ, videlicet conſtituit hominem *viventem vita vegetativa*; ſimiliter præſtat formalem effectum animæ ſenſitivæ abſolutè & ſecundùm ſe ſumptæ, nempè conſtituit hominem *viventem vita ſenſitiva*.

§. V.

§. V.

Virùm in vivente sint admittendæ partiales formæ?

ADvertendum est ex Aristotele lib. 1. de Hist. Animal.c. 1. in quolibet vivente, & præsertim in quolibet animali, duo esse partium genera. Aliæ enim partes dicuntur *similares*, seu homogeneæ, hoc est ejusdem rationis & denominationis, atque conditionis; ita ut in se totis, & in suis quibusque particulis, eandem habeant denominationem: hujusmodi sunt in animali omnes partes & particulæ carnis, vel ossis, vel nervi, &c. ejusmodi etiam sunt in planta, omnes partes & particulæ radicis, vel corticis, aut folii, &c. Aliæ sunt partes *dissimilares*, seu heterogeneæ, id est diversæ rationis, conditionis, & denominationis; cujusmodi sunt in animali caro, ossa, nervi, &c. & in planta, radix, cortex, folia, &c. Quæritur ergo, utrùm omnes partes dissimilares & heterogeneæ *viventis*, præter animam, (quæ est forma totalis) proprias habeant formas substantiales partiales, quæ illis substantialem, tribuat diversitatem; adeò ut non tantùm differant accidentaliter, ratione diversæ figuræ; sed etiam substantialiter, ratione diversarum formarum substantialium partialium? circa quam difficultatem tres sunt Pphilosophorum sententiæ.

Prima sententia docet, dari in quolibet *vivente* formam corporeitatis compositam ex variis formis substantialibus partialibus, quæ diversis correspondeant partibus dissimilaribus: hanc sententiam tuentur Scotistæ cum Doctore & præceptore subtili.

Secunda sententia est multorum recentiorũ rejicientium corporeitatis formam, admittentium tamen diversas formas partiales in vivẽte, quę animã prȩcedant, materiãque prȩparent & organizẽt,

ad

ad recipiendam animam, ipſique animæ in materiam introductæ receptæque ſubſerviant, quæque poſt mortem *viventis* permaneant in cadavere, donec ipſum cadaver corrumpatur.

Tertia tandem ſententia eſt Thomiſtarum omnium, (poſt Angelicum præceptorem) qui cum pluribus aliis rejiciunt formas partiales, nullamque formam ſubſtantialem in vivente corporeo admittunt, præter animam: cum quibus.

Dico; in *vivente*, præter animam, non dantur ullæ formæ ſubſtantiales partiales.

Prob.1. ratione, qua utitur D. Thomas q. unica de Spir. creat. a. 4. ſi in *vivente* ſimul cum anima eſſent plures formæ ſubſtantiales partiales: vel facerent unum per ſe, vel unum dumtaxat per accidens: atqui neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob.mi.& in primis dici nequit, illas ſubſtantiales formas partiales facere unum dumtaxat per accidens; alioquin *vivens*, quod apud adverſarios ex hujuſmodi partialibus formis componitur, foret unum per accidens tantùm; quod planè abſurdum eſt. Neque dici poteſt, formas illas partiales facere unum per ſe: nam in Phyſicis (de quibus hìc loquimur) non fit unum per ſe, niſi ex actu & potentia ſubſtantiali; ut docent communiter Philoſophi: una autem ex prædictis formis partialibus non ſe haberet reſpectu alterius, ut potentia ſubſtantialis, cùm potiùs, juxta adverſariorum doctrinam, quælibet ex illis formis eſſet eſſentialiter forma & actus ſubſtantialis.

Reſpondent aliqui, formam ſubſtantialem totalem non poſſe quidem fieri potentiam ſubſtantialem, benè tamen formam ſubſtantialem partialem. Sed contrà: idcircò forma ſubſtantialis totalis non poteſt fieri potentia ſubſtantialis, quia eſt eſſentialiter actus ſubſtantialis: ergo cùm omnis forma ſubſtantialis partialis ſit etiam apud adverſarios eſſentialiter forma & actus ſubſtantialis, nequit quoque fieri potentia ſubſtantialis.

Reſpondent alii, formas partiales ſubſtantiales da-

ıpliciter poſſe accipi: poſſunt namque ſumi, -l cum reſpectu ad materiam primam, vel cum ſpectu ad animam. Sub primo reſpectu, formæ ırtiales ſubſtantiales ſunt (inquiunt) actus ſub-antiales; at ſub ſecundo reſpectu, ſunt potentiæ bſtantiales per ipſam animam perfectibiles.

Sed contrà ſic argumentor: ſicut quod eſſentia-:er eſt rationale, nequit ſub ullo reſpectu fieri :ationale, quoniam *rationale* & *irrationale*, op-onuntur: ita quod eſſentialiter eſt actus ſubſtan-alis, nequit ſub ullo reſpectu fieri potentia ſub-antialis, quia ratio *actus*, & ratio *potentiæ*, ſunt ıtiones oppoſitæ: ergo cùm ex adverſariorum octrina, formæ ſubſtantiales partiales ſint eſſen-aliter actus ſubſtantiales, eò quòd in eadem do-ırina, ſunt eſſentialiter formę ſubſtantiales; non oſſūt ſub ullo reſpectu fieri potētiæ ſubſtātiales.

Prob. 2. inutiles ſunt formæ partiales ſubſtan-i:ales in *vivente*, quæ ab anima diſtinguantur; ggo non dantur. Prob. ant. anima in vivente :æſtare poteſt effectus formarum partialium bſtantialium ab ipſa anima diſtincta.um: ergo utiles ſunt illæ formæ in *vivente*. Conſeq. patet. rob. ant. effectus formarum partialium ſubſtan-allium ab anima diſtinctarum ſunt, conſtitue-organa ſive partes organizatas aut organicas *ventis*; conſtituere, v. g. carnem, oſſa, nervos, c:.atqui anima in *vivente* præſtare poteſt, imò de ecto præſtat hos effectus, adeò ut reipſa conſti-uat carnem, oſſa, nervos, &c. ergo &c. Ma. eſt ipſa lwerſariorum doctrina. Prob. verò mi. anima in-rimando totum corpus, ipſum conſtituit in *eſſe* or:poris humani (neque enim corpus eſt huma-um, niſi quia anima humana informatur:) ergo militer anima in vivente informando carnem, ſſa, nervos, & ejuſmodi partes organicas *viven-s*:, ipſas conſtituit in eſſe partium organicarum, g.. in *eſſe* carnis, oſſis, nervi, &c.

Deinde anima rationalis in homine continet niinenter animam vegetativam, & animam ſenſi-

ti-

tivam, ipſarumque præſtat effectus; ut ſuprà oſtenſum eſt: ergo continet etiam eminenter formas ſubſtantiales partiales, earumque præſtat effectus; faciliùs quippè plures formæ partiales videntur poſſe cõtineri in una forma ſuperiori,(qualis eſt anima rationalis)quã plures formæ totales, eujuſmodi sũt anima vegetativa,& anima sẽſitiva.

Ob.1. quæ differunt ſpecie,debent diverſas habere formas; differentia quippe ſpecifica cujuslibet rei ſumenda eſt à forma; ut communiter docent Philoſophi: atqui caro, & os unius hominis ſpecie differunt; ut docet D. Thomas q. unica de Spiricreat.a.4.ad 1. & opuſc. 31. §. a. ergo caro, & os, unius hominis debent diverſas habere formas, videlicet partiales.

Reſpondeo diſtinguendo ma.quæ differunt ſpecie eſſentiali,debent diverſas habere formas, concedo: quæ differunt ſpecie accidentali,debent diverſas habere formas; ſubdiſtinguo ĩ: debent diverſas habere formas accidentales, concedo: debent diverſas habere formas ſubſtantiales, nego: licèt autem caro, & os unius hominis differant ſpecie accidentali,non tamen ſpecie eſſentiali;unde debẽt quidem diverſas habere formas accidentales,(nempè diverſas figuras) non tamen diverſas formas ſubſtantiales, etiam precisè partiales.

Objic. 2. anima rationalis in homine nequit conſtituere corpus organicum in ratione organici: ergo ſupereſt, ut corpus organicum hominis per formas partiales in ipſo homine exiſtentes conſtituatur. Conſeq. ex eo conſtat, quòd ſi corpus organicum hominis per animam rationalem non conſtituatur,non apparet, per quid aliud conſtituatur,quàm per formas partiales in ipſo homine exiſtentes. Prob.ant. anima rationalis, utpotè immaterialis & indiviſibilis, nequit conſtituere corpus materiale & diviſibile: atqui corpus organicum in ratione organici eſt materiale & diviſibile; ut patet: ergo &c.

Reſp. negando ant. quamvis enim anima ratio-

ionali sit *ut quod* & entitativè immaterialis & in-
iviſibilis; eſt tamẽ materialis & diviſibilis *ut quo*,
uatenus eſt forma materiæ ſeu corporis materia-
s & diviſibilis; ſive clariùs, quatenus eſt id, quo
nformatur corpus materiale & diviſibile.

Objic. 3. quæ habent temperamenta naturalia
pecie diverſa, diverſas ſpecie formas ſubſtantia-
es habeant neceſſe eſt; neque enim alicubi poſ-
unt plura ſpecie diverſa temperamenta natura-
ia reperiri, niſi quia ibi plures inveniuntur ſub-
ſtantiales formæ ſpecie diverſæ, quæ connaturali-
ter illa exigant temperamenta: atqui unius ho-
minis caro, oſſa, cor, cerebrum, &c. habent tempe-
amenta naturalia ſpecie diverſa; caro namque
iſt mollis, oſſa ſunt dura, cor calidum eſt, cere-
brum eſt frigidum, &c. ergo caro, oſſa, cor, cere-
brum &c. unius hominis diverſas ſpecie formas
ubſtantiales habeant neceſſe eſt.

Reſpondeo diſtinguendo ma. quæ habent tem-
eramenta naturalia adæquata, ſpecie diverſa,
qualia ſunt temperamenta hominis, & leonis)
i iverſas ſpecie formas ſubſtantiales habeant ne-
eſſe eſt, concedo: quæ habent temperamenta na-
uralia inadæquata, ſpecie diverſa, diverſas ſpe-
ie formas ſubſtantiales habeãt neceſſe eſt; nego;
on repugnat enim, ut forma ſubſtantialis ſupe-
ior plures exigat operationes ſpecie diverſas, ad
quas exercendas requirantur organa naturalia
pecie accidẽtali diverſa, propter diverſa tempera-
menta inadæquata: ſic v.g. anima rationalis, prout
ſit eminenter formaliter vegetativa & ſenſitiva,
exigit connaturaliter varias operationes vegetati-
as & ſenſitivas, ad quas exercẽdas requirũtur ca-
o mollis, oſsa dura, cor calidũ, cerebrũ frigidũ, &c.

Inſtabis: anima rationalis, utpote incorporea,
exigere nequit mollitiem carnis, duritiem oſſiũ,
alorem cordis, frigus cerebri, & ſimiles corpo-
eas qualitates: ergo ſupereſt, ut qualitates illæ
orporeæ à diverſis ſubſtantialibus formis partia-
ibus corporeis exigantur. Reſp. diſtinguendo ant.

ani-

anima rationalis, utpotè incorporea, exigere nequit mollitiem carnis, duritiem oſſium, calorem cordis, frigus cerebri, & ſimiles corporeas qualitates: ſi anima rationalis conſideretur, præcisè prout eſt in ſe incorporea, concedo: ſi conſideretur, ut eſt corporea *ut quo*, & eminenter formaliter vegetativa & ſenſitiva, nego.

Objic. 4. & ampliùs inſta. diverſæ ſpecie proprietates, potentiæ, & operationes, exigunt diverſas ſpecie formas ſubſtantiales: atqui in diverſis partibus organicis, v.g. hominis, ſunt diverſæ ſpecie proprietates, potentiæ, & operationes; v.g. viſio, auditio, olfactio, &c. ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. diverſę ſpecie proprietates, potentiæ, & operationes adæquatæ, exigunt diverſas ſpecie formas ſubſtãtiales, concedo: diverſæ ſpecie proprietates, potentię, & operationes inadæquatę, exigũt diverſas ſpecie formas ſubſtantiales, nego; in diverſis autẽ partibus organicis hominis ſunt quidem diverſæ ſpecie proprietates, potentiæ, & operationes, ſed inadæquatæ tantùm; ita ut diverſæ illæ proprietates conſtituant unam proprietatem adequatam hominis; & idem dicendum eſt *de diverſis potẽtiis & operationibus, quæ in diverſis partibus organicis hominis* inveniũtur.

Inſtabis: ſi in carne, oſſibus, nervis, oculo, aure, naſo, & ſimilibus partibus organicis hominis non eſſent formæ ſubſtantiales partiales, deberent omnes illæ partes eadem anima rationali ſola informari: atqui omnes illæ partes organicæ non informantur ſola anima rationali: ergo &c. Ma. manifeſta eſt. Prob. mi. Si omnes illæ partes organicæ eadem anima rationali informarentur, forent prorſus ejuſdem rationis, & ita eaſdem haberent proprietates, potentias, & operationes; quod ex dictis patet eſſe falſum.

Reſpondeo conceſſa ma. negando mi. ad cujus prob. reſpondeo negando, ſequi, omnes partes organicas hominis eſſe prorſus ejuſdem rationis, eaſdemque habere proprietates, potentias, & operatio-

ones, ex eo, quòd informentur eadem anima ra-
onali, quia anima rationalis non informat omnes
as partes ſub eadem ratione, ſed potiùs ſub di-
erſa ratione inadæquata; etenim anima rationalis
format caput, prout eſt rationalis; informat car-
em, prout eſt ſenſitiva: informat oſſa, prout eſt
egetativa; informat nervos, prout eſt radicale
rincipium reſiſtendi; informat oculum, prout eſt
adicale vidēdi principium; informat aurem, pro-
t: eſt radicale principium audiendi, informat na-
um, prout eſt radicale principium olfaciendi; &
a de aliis partibus organicis hominis: unde non
ſt mirum, ſi illæ partes organicæ ſint diverſæ ra-
onis inadæquatæ, habeantque diverſas proprie-
ates, potentias, & operationes inadæquatas.

Objic.5. Si organicæ partes hominis non habe-
ent ſubſtantiales formas partiales ſibi proprias,
ed informarentur anima rationali ſola, partes il-
æ poſt mortem *hominis*, & animæ rationalis ſe-
aurationem, *non forent eædem, ut patet*: atqui
artes organicæ *hominis poſt ipſius mortem*, &
nimæ rationalis ſeparationem, ſunt eædem; v.
. eſt eadem caro, eadem oſſa, iidem nervi, &c.
rgo &c.

Reſpondeo cum diſtinctione: concedo namque,
oſt mortem hominis, & animæ rationalis ſepa-
ationem, remanere quidem eaſdem, quantùm ad
ateriam primam, & quantùm ad ſimilitudinem
ccidentium, organicas partes hominis, quate-
us materia prima, quæ erat in organicis partibus
ominis *viventis*, perſeverat in partibus organicis
umani cadaveris, in quibus etiam cernuntur ac-
dentia ſimilia accidentibus, quæ fuerant in or-
anicis partibus hominis, ante ipſius mortem, &
nimæ rationalis ſeparationem: cùm enim ſub-
antialis forma humani cadaveris ſubordinetur
ormæ humanæ, ſeu animæ rationali, & ei ſuc-
edat, fit inde, ut ambæ illæ formæ exigant ac-
dentia ſimilia: at nego, poſt hominis mortem,
animæ rationalis ſeparationem, eſſe ſubſtan-

tiali

tialiter & formaliter eaſdem partes organicas hominis, quæ anteà erant; cùm enim tunc abſit ſubſtantialis forma, qua anteà informabantur organicæ hominis partes, nempè cùm abſit anima rationalis, non poſſunt ampliùs dici ſubſtantialiter & formaliter eædem.

Objic. 6. Si caro, & os hominis, eadem ſubſtantiali forma informarentur, & proprias formas ſubſtantiales partiales non haberēt; caro hominis eſſet os, & os eſſet caro: ergo cùm hoc abſurdum ſit, caro, & os, hominis, eadem ſubſtantiali forma non informantur, ſed proprias formas ſubſtantiales partiales habent: Prob. ant. quod habet formam ſubſtantialem carnis, eſt caro; & quod habet ſubſtantialem formam oſſis, eſt os: atqui, ſi caro, & os, hominis, eadem ſubſtantiali forma informarentur, caro hominis haberet formam ſubſtantialem oſſis, & os haberet ſubſtantialem formam carnis; quandoquidem caro, & os hominis, eamdem formam ſubſtantialem haberent: ergo &c.

Reſpondeo negando ma. etenim non ſolùm forma ſubſtantialis, verùm etiam mollities, & quædam alia accidentia, ad carnis conſtitutionē pertinent; ſimiliter ad oſſis conſtitutionem non tantùm *ſubſtantialis forma*, ſed etiam durities, & alia accidentia, requiruntur: ut igitur aliqua hominis pars dicatur *Caro*, ſatis non eſt, ut habeat ſubſtantialem carnis formam, ſed inſuper eſt neceſsè, ut habeat mollitiem, & omnia alia accidētia ad carnis conſtitutionem concurrentia; quæ quidem accidentia non habet os: ſimiliter, ut aliqua pars hominis dici poſſit *Os*, non eſt ſatis, ut habeat ſubſtātialem oſſis formam, ſed præterea opus eſt, ut habeat duritiem, & alia omnia accidentia ad conſtitutionem oſſis requiſita; quæ quidem accidentia non habet caro. Fateor tamen, carnem, & oſſa, hominis viventis, non differre ſubſtantialiter, ſed accidentaliter tantùm, propter diverſa carnis, & oſſium, accidentia.

Inſtabis: Si caro, & os, hominis viventis, informa-

marentur ſola anima rationali, os Petri viventis magis differret ab oſſe Petri mortui, quàm differunt ab invicem, caro, & os, hominis viventis: atqui hoc videtur abſurdum: ergo &c. Prob. ma. quæ differunt ſpecie ſubſtantiali, magis ab invicem differunt, quàm differant ea, quæ in eadem ſpecie ſubſtantiali conveniunt: atqui, ſi caro, & os hominis viventis informarentur eadem anima rationali ſola, ſequeretur, carnem & os Petri viventis, convenire in eadem ſpecie ſubſtantiali; quandoquidem informarentur eadem forma ſubſtantiali, videlicet eadem anima rationali; ſequeretur verò è contrà, os Petri viventis, & os Petri mortui, differre ſpecie ſubſtantiali; quandoquidem ſecundùm nos, informantur diverſis ſubſtantialibus formis; videlicet os Petri viventis informatur anima rationali, & os Petri mortui informatur forma ſubſtantiali cadaverica: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo; concedo namque, os Petri viventis, & os Petri mortui magis differre ſubſtantialiter, quàm differant ab invicem caro, & os, hominis viventis; nam ut rectè oſtenditur inſtantia, os Petri viventis, & os Petri mortui, differunt ſpecie ſubſtantiali, non autem caro, & os hominis viventis: nego tamen, os Petri viventis, & os Petri mortui, magis differre accidentaliter: etenim os Petri viventis, & os Petri mortui, habent omnia accidentia ſimilia; non autem caro, & os hominis viventis; cùm hoc ſit mollis, & os durum.

Objic. 7. forma ſubſtantialis, quæ in homine conſtituit oculum, non videtur conſtituere aurem vel naſum: ergo neceſſe eſt, ut oculus, auris, & naſus, in homine diverſas habeant formas ſubſtantiales partiales, quibus conſtituantur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. forma ſubſtantialis quæ in homine conſtituit oculum, non videtur ſub eadem ratione, conſtituere aurem, vel naſum, concedo: non videtur poſſe, ſub diverſa ratione inadæquata, conſtituere aurem, vel naſum,

naſum, nego: eadem itaque ſubſtantialis forma, nempè eadem rationalis anima, prout eſt radicale videndi principium, conſtituit oculum; prout eſt principium radicale audiendi, conſtituit aurem; & prout eſt olfaciendi principium radicale, conſtituit naſum.

Objic. 8. non minùs videntur diſtingui forma ſubſtantialis carnis, & ſubſtantialis forma oſſis, in homine; quàm ſubſtantialis forma ligni, & ſubſtãtialis forma lapidis. atqui ſubſtantialis forma ligni, & ſubſtantialis forma lapidis, realiter diſtinguuntur; ut patet: ergo etiam ſubſtantialis forma carnis, & ſubſtantialis forma oſſis, in homine, realiter diſtinguuntur; proindèque caro, & os, in homine, habent proprias formas ſubſtantiales, ſaltem partiales, realiter diſtinctas.

Reſpondeo negando paritatem: lignum enim & lapis ſunt duæ ſpecies totales, quæ conſequenter exigunt duas ſubſtantiales formas totales realiter ſpecificè diſtinctas: at caro, & os hominis, ſunt duntaxat partes compoſiti unius ſpeciei, nempè compoſiti humani; ideòque informari poſſunt una forma totali ſpecifica, nempè una anima rationali, totum compoſitum humanum, cujus ſunt partes, conſtituente: ideòque ſuperfluunt formæ partiales, quibus informentur.

Objic. 9. ubi ſunt plures generationes, ibi ſunt plures formæ productæ; cùm generatio terminetur ad formam, tamquam ad terminum formalem atqui ſunt in homine plures generationes: ergo &c. Prob. mi. ex Ariſtotele lib. 3. de partib. Animal. ubi ait, *Primum omnium generari cor in homine*: per hunc enim loquendi modum inſinuare videtur Philoſophus, tot eſſe in homine, generationes partiales, quot ſunt hominis partes.

Reſpondeo data ma. negando mi. dum etenim ait Ariſtoteles loco citato, *Primum omnium generari cor in homine*; verborum illorum ſenſus non eſt, tot eſſe in homine generationes partiales, quot ſunt hominis partes; ſed eſt sẽſus, quòd licèt

om-

omnes hominis partes fiant per unicam totius hominis generationem; hæc tamen generatio priùs prioritate naturæ ad cor terminatur, quàm ad reliquas partes, eo quòd cor est pars præstantissima.

Objic. 10. ex D. Thoma 1. p. q. 11. ar. 2. ad 2. *in quolibet toto heterogeneo* (habente nimirùm partes diversæ denominationis) *quælibet pars caret forma totius*. Ex qua doctrina sic potest argui: in quolibet toto heterogeneo quælibet pars caret forma totius: atqui homo est totum heterogeneum, cùm habeat partes diversæ denominationis; ut caput, brachia, &c. ergo quælibet illius pars caret forma totius hominis, proindèque propriam debet habere formam partialem.

Respondeo distinguendo allatam D. Thomæ propositionem: *In quolibet toto heterogeneo, quælibet pars caret forma totius*: caret secundùm denominationem, concedo: caret secundùm rem, nego. Vult itaque S. Doctor ibi ponere discrimen inter totum heterogeneum, & totum homogeneum, in eo, quòd quælibet pars totius homogenei habet formam totius secũdùm denominationem, ita ut ab ea accipiat denominationem totius compositi; sic quælibet pars aquę habet & accipit à forma substantiali aquæ, (qua informatur) quòd denominetur aqua verè & propriè, sicut & tota aqua: at quælibet pars totius heterogenei habet quidem secundùm rem, seu reipsa, formam substantialẽ totius compositi; non accipit tamen ab ea totius cõpositi denominationem: sic v. g. quęlibet hominis pars habet quidẽ secundùm rem, seu reverà, eamdem totius hominis formam substantialem, scilicet animã rationalem, attamen ab ipsa non accipit totius hominis denominationem; neque enim, v. g. caput hominis denominatur homo.

Objic. 11. formæ substantiales partiales, quæ erant in embryone ante animationem, (id est in fœtu nondum animato) quæque varia constituebant membra, remanent post animationem in *vivente*: ergo dantur in *vivente* formæ substantiales par-

partiales. Prob. ant. formæ accidentales, ſeu accidentia, quæ erant in embryone ante animationē, (v. g. accidentia carnis, oſſis, nervi &c.) remanent poſt animationem in *vivente*; ut patet etiam ad oculum: ergo remanent quoque formæ ſubſtantiales partiales; cum non ſit major ratio de formis accidentalibus, quàm de ſubſtantialibus.

Deinde, ſi formæ ſubſtantiales partiales, quæ erant in embryone ante animationem, perirent adventu animæ, fruſtrà laboraſſet natura in producendis illis ſubſtantialibus formis. Denique nulla eſt neceſſitas deſtruendi formas illas ſubſtantiales partiales in adventu animæ, quandoquidem permanent diſpoſitiones ad ipſarum conſervationem ſufficientes.

Reſpondeo negando ant. ad cujus primā prob. diſtinguo ant. formæ accidentales, ſeu accidentia, quæ erant in embryone ante animationem, ſecundùm ſimilitudinem remanent poſt animationē in *vivente*, concedo ant. remanent reipſa & numero eadem, nego ant. & diſtinguo etiam conſeq. ergo remanent quoque, ſecundùm ſimilitudinem, formæ ſubſtantiales partiales, concedo conſeq. ergo remanent quoque reipſa & numero eædem formæ ſubſtantiales partiales, nego conſeq.

Ad 2. prob. Reſpondeo, quòd ſicut licèt motus pereat & ceſſet, in adventu termini, propterea tamē fruſtrà non fuit motus; quia mobile per motum, veluti per viam, ad terminum pervenit: ita ſimiliter, quamvis formæ ſubſtantiāles partiales, quæ erant in embryone, ante animationem, pereant ceſſentque in adventu animæ; fruſtrà tamen non laboravit natura in producendis illis ſubſtantialibus formis; quoniam natura per illas formas, velut per viam, in generatione *viventis*, ad animam, tamquam ad terminum, pervenit; & idcircò formæ illæ deſtruantur pereantque neceſsè omninò eſt, in adventu animæ, quæ ampliùs neceſſariæ non ſunt.

Et dum dicunt adverſarii, quòd in adventu animæ

mæ permaneant dispositiones ad formarum substantialium partialium embryonis conservationem sufficientes, id negandum est; ad hoc quippè necesse foret, ut eadem numero accidentia, quæ fuerant in embryone, ante animationem, quæque erant dispositiones ad prædictarum formarum conservationem requisitæ, perseverarent in adventu animæ; hæc autem accidentia non perseverant eadem numero, sed duntaxat eadem secundùm similitudinem; ut alibi dictum est.

Objic.12. quando homo moritur, remanent in cadavere subsantiales formæ partiales, quæ fuerant in homine vivo: ergo revera sunt formæ substantiales partiales in *vivente*. Prob. ant. quando homo moritur, non producitur forma substantialis cadaverica de novo: ergo supereſt, ut remaneant in humano cadavere subsantiales formæ partiales, quæ fuerant in homine vivo; nam alioquin nulla foret subsantialis forma in humano cadavere. Pro.ant. quando homo moritur, non sunt sufficientes in materia dispositiones ad formam substantialem cadavericam de novo recipiendam: ergo tunc non producitur forma subsantialis cadaverica de novo. Prob.ant. homo moritur, modò nimio calore, modò nimio frigore, modò in mediis aquis, modò in igne, modò pugione, modò veneno, &c. ergo in casibus adeò discrepantibus nequit materia esse sufficienter dispositа ad recipiendam eandem specie formam cadavericam.

Respondeo negando ant. ad cujus Prob. nego iterum ant. ad Prob. ejus, nego adhuc ant. ad Prob. ipsius nego conseq. tunc enim materia cēsetur sufficienter dispositа ad recipiendam eandem specie formam cadavericam, quando est ad eandem specie animam relinquendam præparata & determinata, quoniam eidem animæ derelictæ, eidem, inquam, specie, succedit semper eadem specie forma cadaverica: sive autem homo moriatur nimio calore, sive nimio frigore, sive in aquis, sive in igne, sive pugione, sive veneno, &c. semper mate-

ria hominis eſt ad eandem ſpecie animam relinquendam præparata & determinata, nempè ad eandem animam rationalem derelinquendam; ideòque mirum non eſt, ſi ſit in illis omnibus caſibus ad eandem ſpecie formam cadavericam recipiendam ſufficienter diſpoſita & determinata.

Inſtabis: diverſæ ſpecie diſpoſitiones, ad diverſas ſpecies formas ordinantur: ergo cùm in præfatis caſibus ſint in materia diverſæ ſpecie diſpoſitiones, nequit materia eſſe per illas ad eandem ſpecie formam cadavericam recipiendam præparata & determinata.

Reſpondeo diſtinguendo ant. concedo quippe, diverſas ſpecie diſpoſitiones ad diverſas ſpecie formas ordinari, quando diſpoſitiones illæ ſunt diverſæ formaliter, ſive in ratione diſpoſitionum, ſed id nego, quando diſpoſitiones illæ ſunt diverſæ materialiter tantùm, ſive in ratione entis duntaxat: licèt autem in præfatis caſibus ſint in materia diſpoſitiones ſpecie diverſæ materialiter, aut in ratione entis; non ſunt tamen tunc in materia diſpoſitiones, quæ ſint ſpecie diverſæ formaliter, vel in ratione diſpoſitionum; conveniunt quippe omnes *hujuſmodi* diſpoſitiones in eo, quòd præparent ac determinent materiam ad eandem ſpecie formam ſubſtãtialem relinquendam, (nempè ad eandem animam rationalem derelinquendam) & conſequenter ad eandem ſpecie formam ſubſtantialem cadavericam de novo recipiendam.

Dices: diſpoſitiones, quæ ſunt in homine morìente, cum ipſo percunt, nec remanent ampliùs eædem numero; ut communiter docent D. Thomæ Diſcipuli: ergo poſt hominis mortem non permanet materia per illas diſpoſitiones ad novam ſubſtantialem formam cadavericam præparata & determinata.

Reſpondeo diſtinguendo ant. diſpoſitiones, quæ ſunt in homine moriente, cum ipſo pereunt; nec remanent amplius formaliter in ſeipſis, eædem numero, concedo; nec remanent ampliùs virtua-

ua liter eædem numero, nego: ſicut etenim ma-
eria in virtute diſpoſitionum in homine morien-
e exiſtentium, eſt ad hanc ſpecie formam ſub-
tantialem, videlicet ad animam rationalem, re-
inquendam præparata & determinata: ita in vir-
ute earundem diſpoſitionum eſt præparata & de-
erminata ad eandem ſpecie formam cadavericam
le novo recipiendam, taliſque permanet poſt
nortem hominis.

Articulus Quartus.

De informatione animæ.

QUidam antiqui Philoſophi aſſeruerant, ani-
mam in una tantummodò parte corporis re-
dere; neque de ea parte convenerunt inter ſe.
llato namque & Cicero ſolùm caput Animatum
rediderunt; unde apud ipſos, anima erat in capi-
e tanquam in arce, & ex capite cætera regebat
embra ſuo imperio. Aliqui verò non in toto ca-
e animam collocabant; ſed Hippocrates in ce-
boro, Xenocrates in vertice, & Eraſiſtratus in
embranulis. Epicurus autem poſuit animam in
ſtore; Stoici verò, & cum eis Philo Judæus,
nimam in ſolo corde collocarunt. Idem cen-
t Tertullianus in lib. de Reſurr. carn. allegans
ud Matth.9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus*
ſtris? Idem aſſeruit in lib. de anima cap. de
agemonico.

Idem docet B. Albertus Magnus hìc Tract. 1.
p.7. quantùm ad animam ſenſitivam perfecto-
n animalium, imò etiam quantùm ad animam
tionalem hominis: in aliis verò vult, animam
e in aliqua parte, quæ quodammodò habeat ra-
onem cordis: cujuſmodi eſt ſpina in quibuſdam
ima.libus, quorum partes, reciſæ vivunt; ut ſunt
guillæ, vermes, &c. Aſſeverat quoque, in veſpis,
bus:, &c. animam exiſteret in annulis: unde ſi
gillæ, vermes, &c. ſcindantur ſecundùm lon-

gitudinem, partes eorum non vivunt quia ſcinditur ſpina,quę eſt ſedes animæ;ſi autem ſcindantur in latitudine, partes eorum diviſæ vivunt, quoniam in ejuſmodi partibus diviſis portio integra ſpinæ permanet: ſimiliter, ſi dividantur veſpæ, apes &c.ſecundùm longitudinem, partes eorum non vivunt;quia tunc dividuntur annuli,in quibus eſt anima; ſi verò ſecentur in latitudine, partes diviſæ vivunt, quia in eis aliqua portio annulorum remanet integra. Alii tandem in abdito quodam corporis loco latitare animam dixere; ex quo, velut araneæ, cùm res poſtulat, per totum corpus diſcurrit.

§. I.

Licèt anima ſit principaliùs in capite, pectore, corde, & in ejuſmodi partibus præcipuis viventis; ipſa tamen eſt in toto corpore vivente, ſive in omnibus & ſingulis ejus partibus, in quibus aliqua vitæ operatio cernitur.

ITa docent communiter Peripatetici, cum Ariſtotele lib.2.de Anim. c.2. Textu 20. & in lib. de Animalium inceſſu cap.7. & alibi ſæpè. Idque Prob. facilè: cùm enim anima ſit vitæ principium, in ea parte eſt anima, quæ vivit: atqui non tantùm caput,pectus,cor,& hujuſmodi præcipuæ partes *viventis*, ſed etiam aliæ omnes ejus partes vivunt; ut experientia patet: ergo &c.

Deinde, ſi anima eſſet in ſolo capite, vel in ſolo pectore, vel in ſolo corde, tanquam in adæquato informationis ſubjecto, viveret animal, ſolo capite, vel pectore ſolo, vel ſolo corde, integro remanente; tamdiu enim vivit animal; quandiu anima ejus non eſt ſeparata; anima verò non ſeparatur, adæquato ejus informationis ſubjecto remanente integro: experientia autem conſtat, animal non vivere, ſolo capite, vel pectore, vel corde, integro remanente.

De-

Denique, ſingulæ partes animalium imperfectorum animantur : ergo ſingulæ etiam partes animalium perfectorum animantur;(proindèque anima eſt in eis ſicut in ſubjecto informationis) alioquin partes pefectorum animalium ignobiliores forent partibus imperfectorum animalium. Prob.ant.exemplo ſerpentis, cujus ſingulæ partes ſeparatæ animantur ; quod ex eo colligitur, quòd dum punguntur, dolorem ſentiunt, proindèque anima ſenſitiva animantur.

Licèt autem anima rationalis ſit, non modò in capite, ſed etiam in pedibus; non modò in carne, ſed etiam in oſſibus; non tamen eodem modo, etenim eſt in capite,non ſolùm ſecundùm ſnbſtantiam ſuam, verùm etiam ſecundùm operationes vitæ vegetativæ, ſenſitivæ, & rationalis; quia ſunt in capite facultates ſeu potentiæ illarum omnium operationum elicitivę ; in carne eſt anima rationalis, non tantùm ſecundùm ſubſtantiam ſuam, ſed etiam ſecundùm operationes vitæ vegetativæ (nutritur quippè caro,augetur, & generat;) & ſecundùm operationem tactus, quæ pertinet ad vitam ſenſitivam. At anima rationalis eſt quidem in oſſibus, & ſecundùm ſubſtantiam ſuam, & ſecundùm operationes vitæ vegetativæ, (oſſa namque nutriuntur & augentur ; nutritio autem & augmentatio ſunt operationes vitæ vegetativæ) non tamen ſecundùm operationes vitæ ſenſitivæ; (quoniam in oſſibus non ſunt ulla organa ad operationum ſenſitivarum exercitium requiſita) neque ſecundùm operationes vitæ rationalis, quæ ſine prævиis operationibus ſenſuum haberi non poſſunt.

Ex quo colliges,quare anima rationalis non ratiocinetur in pede? quia nimirum non ſunt in pede organa ſenſuum internorum, imò nec externorum, ſi organum tactus excipiatur ; ratiocinatio autem fieri non poteſt, ſine ſenſuum internorum & externorum miniſterio; unde anima rationalis eſt quidem in pede ſecundùm ſubſtantiam ſuam,

ſecundùm operationes vitæ vegetativæ, (pes etenim vegetat, ſive nutritur & augetur) & ſecundùm operationes tactus, non tamen ſecundùm operationes vitæ rationalis.

Objic. 1. Ariſtoteles in lib. de communi animalium motu, cap. 10 comparat animal civitati benè inſtitutæ, & animam Regi, vel gubernatori: ſicut ergo neceſſe non eſt, Regem vel gubernatorem eſſe in tota Civitate, ita etiam non eſt neceſſe, animam eſſe in toto animalis corpore.

Reſpondeo, animam poſſe duobus modis conſiderari; nempè, vel prout eſt forma corporis organici, vel prout eſt motrix, ſeu prout eſt primum & radicale principium motus, corporis animalis, Si itaque anima ſpectetur, prout eſt forma corporis organici, debet eſſe in toto animalis corpore, non autem in unâ tantùm ejus parte; quoniam una pars ſola corporis animalis non eſt corpus organicum, ſed id de toto animalis corpore duntaxat affirmari poteſt. Si verò anima ſpectetur, prout eſt motrix, ſive prout eſt primum & radicale principium motus corporis animalis; ſic ſumpta anima eſt in determinata parte corporis animalis, videlicet in corde, ex quo, mediis ſpiritibus vitalibus, *derivatur motus in reliquas corporis partes.*

Inſtabis: Ariſtoteles lib. 3. de partibus animalis c. 4. & in lib. *de Senect.* c. 2. ait, principium radicale ſenſationis eſſe in corde: ergo cùm anima ſit radicale ſenſationis principium, ex mente Ariſtotelis, anima eſt in corde.

Reſpondeo diſtinguendo; concedo namque, animam, prout eſt radicale ſenſationis principium, eſſe principaliùs in corde, quod in animali eſt prima omnium ſenſationum radix: at nego, animam non eſſe abſolutè in aliis partibus animalis; nam cùm ſenſus, ſeu ſenſitivæ potentiæ, quæ ſunt proxima ſenſationum principia, ſint in aliis partibus animalis; v. gr. potentia viſiva in oculis, potentia auditiva in auribus, & potentia tactiva in toto corpore; neceſſe omninò eſt, ut anima

pro-

prout eſt radicale principium earundem ſenſationum, ibidem ſit.

Objic. 2. anima eſt actus corporis organici; proindèque non eſt, niſi in corpore organico: atqui quælibet pars animalis non eſt corpus organicum, ſed duntaxat pars corporis organici: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. Anima eſt actus corporis organici, proindèque non eſt, niſi in corpore organico, tanquam in ſubjecto adæquato, concedo: tanquam in ſubjecto inadæquato, nego. Quando itaque definitur anima: *Actus primus ſubſtantialis corporis naturalis organici &c.* definitur per ordinem ad ſubjectum ſuum adæquatum, quod ex partibus organicis, velut ex ſubjectis animæ inadequatis, coaleſcit.

Inſtabis: ſi anima eſſet in qualibet corporis animalis parte; v.g. ſi eſſet in oculo, oculus eſſet animal: atqui *hoc inauditum eſt*: ergo &c. Prob. maj. ex anima & ſubjecto, in quo eſt, conſtituitur anima: ergo ſi anima eſſet in oculo, ſicut in ſubjecto, oculus foret animal.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi anima eſſet in qualibet corporis animalis parte, tanquam inadæquato informationis vel animationis ſubjecto; v.g. ſi eſſet in oculo tanquam in ſubjecto adæquato, oculus eſſet animal, concedo; ex anima enim, & ex ſubjecto adæquato, in quo eſt, conſtituitur animal: ſi anima eſſet in qualibet corporis animalis parte, ſicut in ſubjecto duntaxat inadæquato, v.g. ſi eſſet in oculo, ſicut in ſubjecto ſolùm inadæquato, oculus eſſet animal, nego; ex anima enim & ex ſubjecto inadæquato, in quo eſt, non conſtituitur animal, ſed pars animalis: anima autem non eſt in qualibet corporis animalis parte, v.g. non eſt in oculo, velut in ſubjecto adæquato, ſed inadæquato tantùm.

Urgebis 1. quælibet pars ignis eſt ignis: ergo etiam quælibet pars animalis eſt animal.

Reſpondeo negando paritatem: ignis quippe

eſt aliquod totum homogeneum, in quo omnes partes debent eſſe ejuſdem denominationis cum ipſo toto: at animal eſt totum aliquod heterogeneum; cum etenim animal exigat varias operationes diverſæ denominationis, v.g. exigat viſionem, auditionem, olfactionem, &c. petit quoque varias partes, variaque organa hujuſmodi operationum elicitiva, quæ ſint diverſæ denominationis, tum à ſe invicem, tum à toto animali; unde non eſt mirum, ſi quælibet ex illis partibus non denominetur animal.

Urgebis 2. quod conſtat ex materia, & ex anima, eſt animal; ex materia namque, & ex anima, fit animal: atqui ſi in digito; v.g. eſſet anima, digitus conſtaret ex materia, & ex anima, ut patet: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. quod conſtat ex materia habente omnia organa ad omnes animalis operationes exercendas neceſſaria, & ex anima, eſt animal, concedo: quod conſtat ex materia non habente omnia organa ad omnes animalis operationes exercendas neceſſaria, & ex anima, eſt animal, nego: licèt autem anima ſit in digito, & digitus conſtet ex materia, & ex anima; illa tamen digiti materia non habet omnia organa ad omnes animalis operationes exercendas neceſſaria, ut patet; ſed omnia iſta organa in ſola materia totius animalis reperiuntur.

Objic. 3. ſi anima foret in brachio, & in pede, poſſet contingere, ut anima ſimul moveretur, & quieſceret: atqui hoc videtur abſurdum: ergo &c. Prob. ma. nam ut dicitur 2. Topic. cap. 3. moto ſubjecto, vel ipſo quieſcente, moventur, vel quieſcunt ea, quæ ſunt in ſubjecto: ſi itaque anima eſſet in brachio, velut in informationis vel animationis ſubjecto, moto brachio, anima moveretur: ſimiliter quieſcente pede, quieſceret anima, ſi ipſa anima foret in pede, ſicut in ſubjecto informationis aut animationis: proindèque, cùm poſſit contingere, ut ſimul & eodem tempore,

:, brachium moveatur, & pes quiescat, contin-
:re quoque potest, ut animal simul & eodem
:mpore moveatur, & quiescat.

Respondeo distinguendo ma. si anima foret in
rachio, & in pede, posset contingere, ut anima
mul moveretur, & quiesceret, per accidens &
cundùm diversa subjecta inadæquata, concedo:
oset contingere, ut anima simul moveretur,
& quiesceret, per se, secundùm idem, nego. Sicut
rgo non est absurdum, ut idem homo in navi
xistens moveatur per accidens, & secundùm di-
'ersa, sive ratione diversorum, motibus contra-
iis, adeò ut à navi vehatur versùs Occasum, &
b alio homine trahatur versus ortum: ita mini-
nè repugnans & absurdum est, ut eadem anima
ecundùm diversa subjecta inadæquata, sive se-
undùm diversas animalis partes, moveatur, &
quiescat, quamvis motus, & quies, opponantur.

Instabis: *si anima esset in pede, abscisso pe-*
dle, *moreretur animal; sicuti moritur, læso cor-*
dle: *atqui hoc apertè falsum est, & quotidianæ*
:xperientiæ repugnans: ergo &c. Respondeo ne-
:ando ma. & paritatem, cùm enim cor diffundat
piritus vitales in reliquas animalis partes, requi-
itur necessariò cor in animali, non tantùm ad
integritatem, sed etiam ad vitæ conservationem;
t pes requiritur quidem ad animalis integrita-
em, & ad ambulationis motum, sed non ad vitæ
conservationem.

Urgebis: *Pes accipit vitam immediatè ab ani-*
ma: *ergo in vivendo non pendet à corde.* Respon-
deo distinguendo ant. Pes dispositus per vitales
piritus à corde receptos, accipit vitam immedia-
è ab anima, concedo: Pes carens spiritibus vitali-
ius à corde recipiendis, accipit vitam immediatè
b anima, nego ant. & conseq.

Objic. 4. cum potentia visiva, potentia auditi-
a, & aliæ animalis potentiæ, radicentur in ipsa
imæ essentia, ubi est animæ essentia, ibidem esse
ebent omnes animalis potentiæ, proindèque

& anima ſecundùm eſſentiam ſuam foret in oculo, in ipſo oculo eſſent potentia viſiva, potentia auditiva, & omnes aliæ animalis potentiæ; quod omninò falſum eſt.

Reſpondeo negando, omnes animalis potentias debere eſſe, v.gr. in oculo, ex eo, quòd in ipſo ſit anima ſecundùm eſſentiam ſuam, quoniam licèt omnes animalis potentiæ radicentur in eſſentia animæ in actu primo, attamen ex eſſentia animæ non reſultant in actu ſecundo, niſi in partibus animalis ad exercitium operationum ſuarum idoneis, oculus autem non eſt idoneus ad exercitium potentiæ auditivæ, & ſimiliter potentiarum animalis.

§. II.

Virùm ſanguis animetur.

AD difficultatis intelligentiam notandum eſt, ſanguinem eſſe duplicem. Alius enim eſt ſanguis inchoatus, alius eſt ſanguis perfectus & conſummatus. Sanguis imperfectus inchoatuſque eſt *chylus*, prout vi caloris naturalis incipit *rubeſcere* & *colorem* ac *apparentiam veri* ſangui*nis induere*. *Sanguis* verò perfectus & conſummatus eſt humor aliquis ortus ex chylo perfectè & conſummatè in jecore, vel in corde decocto. Certum autem eſt, ſanguinem imperfectum & inchoatum non animari anima totius viventis, quia hic ſanguis non eſt pars viventis, ſed dumtaxat quoddam ejus nutrimentum: tota itaque difficultas eſt de ſanguine perfecto atque conſummato.

Duplex autem eſt ſententia. Prima eſt Scoti, & Diſcipulorum ejus, nec non Richardi, Durandi, Abulenſis, Paludani, Galeni, Suaris, Vaſquis, D. Bonaventuræ, Alenſis, & ex (Thomiſtis) Capreoli, ac Soti; aſſeritque hæc ſententia, nullum ſanguinem animari anima totius *viventis*.

Se-

Secunda ſenten
perfectum & con
tius *viventis*. H
niter Thomiſtæ,
Pro hac ſecunda

Dico: Sangui
ex chylo perfect
corde decocto,
ſus, verè & pro
tis. Hanc conc
de Hiſtoria ani
guine ſic ait: *P*
animalium, pulſu
que omnium hum
malium eſt; & ſe
guis unus anim
hil clarius dici p

Nec valet reſ
dicentium, illæ
ferves, non repe
prete addita fui
inquam; hoc q
nim verba illa in
rentur, non debe
nis reperiri, qu

Eandem verit
Sacra; nam Le
nis in ſanguine
detur Scriptura
modo quodam
in animali null
animam, tam ar
tercedat; recip
longè faciliùs, q
in pavore, fugit
verecundia & r
ægrotat, reddit
reddit animal a
permiſcetur, &
dum nimiùm a

erfectus & consummatus, ortus
&. consummatè in jecore vel in
per venas atque arterias divi-
iẽ animatur anima totius vivent-
sionem docet Aristoteles lib. 3.
lium, cap. 19. ubi loquens de san-
guis ait intra venas sanguis omnium
ue simul undique movetur, solus-
tamen sparsus per totum corpus ani-
per quandiu vita servatur, sem-
er & fervet. Quibus verbis ni-
te:st.

pmsio quorumdam Recentiorum
luio ultima verba, *animatur*, &
irii in Textu Græco, sed ab inter-
e ex proprio sensu. Non valet,
ppe merum est effugium; si ete-
e:xtu Græco revera non inveni-
enit in omnibus editionibus lati-
uis periti omnes utuntur.

em satis apertè docet Scriptura
ti ci cap. 17. Sic ait: *Anima car-*
. His namque verbis docere vi-
animam carnis, seu animalis,
pe ciali, animare sanguinem. Hinc
omninò pars est, inter quam &
a:, tamque manifesta affinitas in-
siquidem animæ impressiones
àm cæteræ animalis partes: nam
d cor: in ira, æstuat circa cor: in
ore, suffunditur ad vultum: dum
animal languidum: dum viget,
ac re: dum melancholico humore
veluti fœdatur, tristitiam causat:
mitur, tribuit furorem. dum deni-

que

que copioſa bili flava perfunditur, reddit animalis motus ſubitos & ardentes.

Prob. etiam concluſ. ratione fundamentali: omnis pars integralis animalis animatur anima totius animalis: atqui ſanguis animalis, ſaltem perfectus & conſummatus°, eſt integralis pars animalis: ergo &c. Prob. in primis maj. intantùm aliquid eſt integralis pars animalis, in quantùm anima ipſius animatur; hinc ſputum, ſaliva, & alia ejuſmodi, quæ in animali hoſpitantur, nequeunt dici integrales animalis partes, quia ſcilicet animalis anima non animantur: ergo omnis pars integralis animalis animatur anima totius animalis. Deinde, ſi integrales animalis partes non animarentur anima totius animalis, ſed propriis informarentur formis ſubſtantialibus ab ipſa animalis anima diſtinctis, darentur in eodem animali plures formæ ſubſtantiales; quod eſſe impoſſibile, ſupraoſtenſum eſt.

Prob. etiam mi. in primis ex Ariſtotele, lib. 2. de partibus anim. c. 2. ubi enumerando varias eorum partes integrales ſic ait: *Partes autem animalium ſimilares, aut molles ſunt, aut humidæ, aut ſiccæ & ſolidæ: molles, ut ſanguis, &c.* & lib. 3. de Hiſtoria animal. cap. 1. agens de omnibus integralibus animalis partibus, diſſerit de ſanguine; addit que, ſanguinem *nutriri* & *augeri*; quod non convenit, niſi animatis partibus animalis.

Deinde prob. eadem min. ex D. Thoma, qu. 3. p. q. 54. ar. 2. ſic fatur: *Manifeſtum eſt, quòd ad naturam corporis humani pertinent carnes, & oſſa, & ſanguis, & alia hujuſmodi*: quod verò pertinet ad naturam humani corporis, eſt integralis pars hominis, ut patet. Inſuper S. Doctor ibidem ad 3. ſic loquitur: *Totus ſanguis, qui de corpore Chriſti fluxit, cùm ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Chriſti reſurrexit*: non poteſt autem ſanguis pertinere ad veritatem humanæ naturæ, niſi ex eo, quòd verè ſit pars integralis humani corporis.

Prob.

Christi debeat inter partes ejus
tari.
vinum Verbum assumpsit sangui.
D. Gregorius Nazianzenus orat.
factum est, non purativè, sed verè:
pus ex carne, ossibus, & sangui-
apparet autem, quare divinum
erit sanguinem, nisi quia sanguis
egralis humanæ naturæ, quam
assumpsit, ut docet fides.
guinem esse partem integralem,
italem animalis; ex eo manifestè
animal sine sanguine est truncum,
prorsus inutile. Hinc sic argui
vitale, quod nempè concurrit
ones vitales animalis, debet ani-
s animalis; alioquin non esset vi-
anima sit radix vitæ, quod non a-
t vitale: atqui sanguis animalis
le, concurrens nimirùm ad ex-
s vitales animalis, cùm istæ actio-
tur, nisi mediis spiritibus vitali-
us, qui nihil aliud sunt quàm pu-
rissimæ sanguinis partes, quæ-
m) vitali flamma accensæ, ideò-
nterdum lucentes: ergo &c.
Aristotelis verba sumpta ex lib.
nat. c. 10. *Nec ipse sanguis, in-
itius est, quippe qui nulla pars sit*
æ verba approbat D. Thomas 3.
dum dicit, sanguinem non esse
alis, sed in potentia tantùm.
Ihujus objectionis, notandum
im 4. distinct. 44. q. 1. a. 2. quæst.
solere appellari *Parvum mun-*
in majori mundo, duo sunt
ge-

genera partium integralium; quædam enim ſunt imperfectiores, & ad præſtantiores componendas ordinatæ; ut ſunt elementa, quæ ad mixta componenda ordinantur: aliæ ſunt partes integrales perfectiores & ultimæ, quæ nempè ad ulteriores componendas non ordinantur, cujuſmodi ſunt mixta. Ita ſimiliter in parvo mundo, ſive in homine, (idem dicendum eſt de quovis alio animali) partes integrales ſunt duplicis generis: quædam etenim ſunt imperfectiores, & ad præſtantiores nutriendas ordinatæ: aliæ ſunt perfectiores & ultimæ, quæ nimirum ad ulteriores partes nutriendas non tendunt: partes hujus poſterioris generis, ſunt ſolidæ, cujuſmodi ſunt caro, nervi, &c. partes verò prioris generis ſunt fluidæ, inter quas primum locum obtinet ſanguis.

Quando itaque Ariſtoteles dicit, ſanguinem eſſe nullam partem animalium, ſeu non eſſe partem eorum; loquitur de parte perfectiori & ultima, non autem de imperfectiori, & ad præſtantiores nutriendas ordinata: & eodem modo explicandus & diſtinguendus eſt D. Thomas, dum ait ſanguinem non eſſe actu partem animalis, ſed in potentia tantùm; nam reipſa ſanguis non eſt actu pars perfectior, ultima, & ſolida animalis, v. g. non eſt actu caro; ſed in potentia ſolùm, quatenus per calorem naturalem in illam tranſire poteſt: cæterùm ſemper manet, ſanguinem eſſe verè & propriè actu partem animalis imperfectiorem, & ad partes præſtantiores ac ſolidas ordinabilem; neque hoc negant Ariſtoteles & D. Thomas locis citatis.

Inſtabis: D. Thomas loco citato ex 3.p. dicit, humanitatem Chriſti ex ſanguine B. Virginis formatam eſſe, non autem ex carne, vel ex oſſibus illius, ne integritas corporis ipſius B. Virginis minueretur. Ex quo loquendi modo infertur, ſanguinem non pertinere ad integritatem humani corporis; alioquin dum Chriſti humanitas ex

ſan-

sanguine B. Virginis formata est, integritas corporis ejus imminuta fuit.

Respondeo cum distinctione data; videlicet humanitatem Christi non fuisse formatam, neque formari debuisse, ex carne, vel ex ossibus, aut ex aliqua alia parte solida & præcipua corporis B. Virginis; quoniam conveniens non fuit, ut integritas corporis Matris Christi, quantùm ad partes præcipuas, in Incarnatione minueretur: non tamen fuit ullum inconveniens, ut Christi humanitas ex sanguine B. Virginis formaretur; quoniam per hoc fuit facta imminutio integritatis corporis B. Virginis duntaxat in parte fluida & minùs præcipua, & aliunde hæc imminutio per cibi, vel chyli, conversionem in sanguinem; facilè potuit reparari.

Objic. 2. si sanguis in homine animaretur anima rationali, sequeretur, ut quia anima rationalis constituit *speciem humanam*, *sanguis participare deberet speciem humanam*: atqui sanguis in homine nō participat *speciem humanam*; ut docet D. Thomas 1. p. q. ultima a. 1. ad 3. ergo &c.

Respondeo distinguendo major. si sanguis in homine animaretur anima rationali, sequeretur, ut quia anima rationalis constituit speciem humanam, sanguis participare deberet imperfectè speciem humanam, concedo: sanguis participare deberet perfectè speciem humanam, nego; etenim sanguis in homine, eo tantùm modo debet speciem humanam participare, quo animatur anima rationali speciei humanæ constitutiva; sanguis autem in homine animatur anima rationali imperfectè solùm, videlicet prout est vegetativa duntaxat; ideòque sanguis in homine debet speciem humanam participare tantummodò imperfectè, nimirùm quantùm ad solas operationes vegetativas, cujusmodi sunt nutritio, & augmentatio, quæ sanguini conveniunt; & juxta hanc di-

Sin-

inctionem exponendus eſt Div. Thomas.

Objic. 3. illud duntaxat animatur anima totius animalis, quod eſt pars animalis: atqui ſanguis non eſt pars animalis: ergo &c. Ma. certa eſt. Prob. mi. alimentum animalis non eſt ipſius pars; alioquin animal ſua parte nutriretur, quod abſurdum videtur: atqui ſanguis eſt animalis alimentum; ut docet Ariſtoteles lib. 2. de partibus animal. cap. 3. & lib. 3. cap. 5. & alibi ſæpè: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. Ad cujus prob. diſtinguo ma. purum alimentum animalis non eſt ipſius pars, concedo: alimentum, quod non eſt purum alimentum, ſed ſub aliaratione, aliove reſpectu, pertinet ad integritatem animalis, (cujuſmodi eſt ſanguis perfectus & conſummatus) nego. Sanè in univerſo, non ſolùm animalia perfectiora, verùm etiam imperfectiora, ſunt integrales univerſi partes; & tamen animalia imperfectiora ſunt alimentum perfectiorum animalium; unde imperfectiora animalia, ſub diverſa ratione, diverſoque reſpectu, ſunt integrales partes univerſi, & alimentum perfectiorum animalium; nam reſpectu univerſi ſe habent ut partes integrales, quatenus pertinent ad integritatem ipſius univerſi; reſpectu verò perfectiorum animalium ſe habent ut alimentum, quatenus imperfectiora animalia ſunt à natura inſtituta propter perfectiora nutrienda & conſervanda: cur ergo ſimiliter non poterit ſanguis, qui eſt imperfectior animalis pars, eſſe ſub diverſa ratione, diverſoque reſpectu, & pars integralis animalis, & alimentum perfectiorum partium; ita ut ſanguis reſpectu animalis ſit pars ejus integralis, quatenus ad ipſius integritatem pertinet, & propria illius anima animatur; reſpectu autem perfectiorum partium ſolidarum, ſit alimentum, quatenus ſanguis eſt à natura inſtitutus propter ſolidas ac perfectiores partes nutriendas & conſervandas?

In-

Inſtabis, ſi ſanguis
nimalis, partes ſoli
ex ſanguine nutriri,
mentum partium
ſanguis non anima
non eſt partium
ant. cùm nutritio ſit
nutritionem requir
propria forma ſubſtan
ſem *viventis*, quod nu
tes animalis nutrientur
ſe, ut ſanguis tranſiret
tiali ad ſubſtantialem
rum, quæ in animali
animaretur anima
tranſire ſanguis à
ſubſtantialem partium
doquidem ſanguis
ſem non haberet,
dem ſubſtantiali forma
ma, informarentur: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo
nem, unam propriè
priè nuncupatam. Nutritio
quæ fit ex alimento
tio autem impropriè
ex alimento impropriè
propriè & ſimpliciter
impropriè ac ſecundùm
perfectiorum partium
compoſitum *viventis*.
dicta eſt converſio &
licet à forma ſubſtantiali
priè dicti, ad novam
viventis. Nutritio
ta, eſt converſio &
xat, qua nempè
tis accidentalis
tis perfectæ, ſub
tis, ſive ſub eadem

em : Rob.
tialis, ad
transeat à
substantia-
solidæ par-
et neces-
ma substan-
ium solida-
uii si sanguis
non posset
bstantiali ad
mam; quan-
substantia-
es: solidæa-
eademani-

n nutritio-
rum impro-
licta est ea
ipto : nutri-
la, quæ fit
quod nempè
s; & solùm
alimentum
substantiale
que propriè
tialis, vide-
puri & pro-
em formam
è nuncupa-
talis dunta-
transit à sa-
sarum par-
antiali vivem-
gitur solidæ
ani-

animalis non nutriuntur ex ſanguine perfecto & conſummato nutritione propriè dicta, ſed impropriè ſolùm nuncupata: quatenus ſanguis per majorem decoctionem & elaborationem à calore naturali procedentem, tranſit à ſtatu accidentali partis fluidæ ac imperfectæ, ad ſtatum partium ſolidarum, v. g. ad ſtatum carnis, nervorum, &c. ſub eadem forma ſubſtantiali animalis, ſeu ſub eadem anima.

Dices: ex Ariſtotele 1. de Generat. cap. 5. Textu 38. & lib. 2. de anima cap. 4. Textu 45. alimentum debet eſſe diſſimile anima nutrito, & alterius naturæ ab ipſo: ergo ſi ſanguis, & partes ſolidæ animalis, ſint ejuſdem animæ & naturæ, non poteſt ſanguis eſſe alimentum partium ſolidarum.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ex Ariſtotele &c. alimentum purum & propriè dictum debet eſſe diſſimile animali nutrito, & alterius naturæ ab ipſo, concedo: alimentum impropriè dictum, quod eſt propriè & ſimpliciter pars animalis, debet eſſet diſſimile animali nutrito, & alterius naturæ ab ipſo, nego: unde ex eo, quòd ſanguis, & partes ſolidæ animalis, ſint ejuſdem animæ & naturæ, non poteſt quidem ſanguis eſſe alimentum purum & propriè dictum partium ſolidarum animalis, benè tamen alimentum impropriè dictum ipſarum.

Objic. 4. quæ eadem anima animantur, debent eſſe continua; alioquin eadem anima naturaliter eſſet ſimul in pluribus ſubjectis non continuis; quod dici non poteſt; ſi igitur partes ſolidæ, & ſanguis animalis, eadem anima animarentur; deberent partes ſolidæ, & ſanguis animalis, inter ſe continuari: atqui partes ſolidæ, & ſanguis animalis, inter ſe non continuantur: ergo &c. Prob. min. in primis ex Ariſtotele, qui lib. 2. de part. Animal. cap. 3. ſic fatur: *Non enim ſanguis continuus carni, neque cognatus eſt; ſed in corde, ac venis, quaſi vaſis continetur.* Deinde,

res

es: *fluida* continuari nequit cum re ſolida; ſic
qua cum lapide continuari non poteſt: ergo
nguis fluidus cum partibus ſolidis animalis
equit continuari. Præterea, ſanguis in venis
arteriis movetur ſecundùm ſe totum, ipſis
emis & arteriis immotis; hoc autem non eveni-
et, ſi ſanguis cum venis & arteriis continuare-
ur. Denique, ſanguis elicitur & fluit ſine do-
oris ſenſu; non poſſet verò ſanguis elici & flue-
e: ſine doloris ſenſu, ſi cum partibus ſolidis
continuaretur, quia *ſolutio ſeu diviſio continui*
nter doloris cauſas communiter à Medicis nu-
meratur.

Reſpondeo conceſſa ma. diſtinguendo mi. at-
ui partes ſolidæ, & ſanguis inchoatus & imper-
ectus animalis, inter ſe non continuantur, con-
e: do: atqui partes ſolidæ, & ſanguis perfectus
c. conſummatus animalis, inter ſe non con-
inuantur, nego: *licèt itaque ſanguis inchoa-
tus & imperfectus animalis*, non continuetur,
eu non uniatur *cum ſolidis partibus animalis*;
anguis tamen perfectus & conſummatus in a-
imali, cum *illis* partibus continuus eſt; non
mediatè quidem, ſed mediantibus quibuſ-
aim fibris, quæ ſunt partes craſſiores & magis
ompactæ, per quas continuatur ſanguis ille
emis, & per venas carni, &c. hujuſmodi au-
eum fibris continuantur vel uniuntur aliæ ſangui-
is partes minùs craſſæ, minùſque compactæ, &
tii partibus rurſus continuantur, atque uniun-
ur aliæ partes ſubtiliores ſanguinis perfecti atque
onſummati, & ita totus ſanguis perfectus &
onſummatus fit continuus cum ſolidis partibus
nimalis; ideòque mirum non eſt, ſi partes ſo-
dæ, & ſanguis perfectus ac conſummatus, ani-
mantur eadem anima animalis; quoniam partes
olidæ ſit cum ſanguine perfecto ac conſumma-
o continuatæ & unitæ, conſtituunt unicum du-
axat unius animæ ſubjectum adæquatum ab ipſa
nimandum.

Ad

Ad 1. prob. mi. ex Ariſtotele deſumptam, dico, Ariſtotelem loqui eo in loco de ſanguine inchoato & imperfecto, non autem de perfecto & conſummato. Ad 2. prob. ejuſdem mi. reſpondeo cum diſtinctione: concedo namque, rem fluidam continuari non poſſe cum re ſolida, quando res fluida nullas habet fibras continuativas; cujuſmodi eſt aqua: at aliter dicendum eſt, quando res fluida habet fibras continuativas; & hujuſmodi eſt ſanguis. Ad 3. prob. min. reſpondeo concedendo, ſanguinem in venis & arteriis contentum moveri poſſe, ipſis venis & arteriis immotis; non quia ſanguis cum venis & arteriis nullo modo continuetur; ſed quia fibræ, quibus ſanguis cum venis & arteriis continuatur, longè ſubtiliores ſunt venis & arteriis, ac mobiliores atque fragiliores; ideòque mirum non eſt, ſi fibræ illæ moveri ac frangi poſſint per ſanguinis motum abſque eo, quòd venæ, vel arteriæ moveantur aut frangantur.

Denique ad 4. prob. min. dico, ſanguinem elici & fluere ſine doloris ſenſu, quia fibræ, quibus ſanguis cum ſolidis partibus continuatur, non animantur anima totius animalis, prout ſenſitiva eſt, & tribuit gradum ſenſitivum; ſed dumtaxat prout vegetativa eſt, & dat ſolum gradum vegetativum; ideòque dum in extractione & fluxu ſanguinis rumpuntur illæ fibræ, nullus ſentitur dolor.

Ad illud autem axioma Medicorum: *Solutio ſeu diviſio continui eſt doloris cauſa*: Reſpondeo, illud axioma debere intelligi de ſolutione vel diviſione continui, quod animetur anima totius animalis, prout eſt ſenſitiva, & prout tribuit ſenſitivum gradum; non autem de ſolutione vel diviſione continui, quod animetur anima totius animalis, prout præcisè vegetativa eſt, & prout dat ſolum gradum vegetativum; ejuſmodi autem eſt ſolutio vel di-

visio sanguinis & fibrarum ejus.

Objic. 5. in sanguine nullum est vitæ indium, nulla quoque in eo observatur actio talis: ergo sanguis non vivit, proindèque nec animatur; cùm etenim anima sit primum vitæ rincipium, quod animatur, vivit.

Respondeo negando ant. nam sanguis nutritur, & augetur ab intrinseco, fervetque ac movetur, vitaliter ascendendo, & circulando totum corpus, ac se se, quò totius animalis utilitas postulat, sponte ferendo, vitali quadam alacritate; qui motus non est liquoris inanimati, sed animati ac viventis.

Instabis: sanguis perfectus & consummatus non nutritur nec augetur alio modo, quàm per juxta positionem materiæ; sicut aqua, vinum, & cætera inanimata & non viventia; ergo sanguis perfectus & consummatus reipsa non animatur nec vivit.

Respondeo negando ant. sanguis quippe perfectus & consummatus nutritur & augetur per substantialem sanguinis inchoati & imperfecti conversionem in ipsum, non verò per meram sanguinis inchoati & imperfecti juxta-positionem.

Objic. 6. sanguis à vena in vas continuo fluxu erumpens, est ejusdem speciei, habetque eamdem formam substantialem, cùm totus iste sanguis continuetur ductu illo à vena ad vas: ergo cùm sanguis ille extra venam, & in vase positus, non informetur anima hominis, (anima quippe hominis extra corpus humanum non se extendit) neque etiam informatur eadem anima, dum est intra venam.

Respondeo negando ant. licèt enim totus ille sanguis sit mathematicè continuus, quatenus quantitas ejus non secatur; non est tamen continuus Physicè, quoniam statim ac sanguis foras erumpit; non continuant ampliùs in illo

Phy-

Phyſicæ diſpoſitiones ut per hominis animam in formetur; ideòque non animatur ampliùs, ſed ſola cadaverica forma informatur, quamvis ſanguis intra venam poſitus informetur ipſa hominis anima.

Objic. 7. ſi ſanguis in homine animaretur anima hominis, deberet eſſe integralis pars humani corporis, ut patet: atqui ſanguis in homine non eſt integralis pars humani corporis: ergo &c. Prob. mi. ſi ſanguis eſſet integralis pars humani corporis, poneretur in Euchariſtia ſub ſpecie panis ex vi verborum conſecrationis, & non per ſolam concomitantiam: atqui hoc dici non poteſt, cùm hoc ſit contra Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. c. 3. ergo &c. Prob. ma. cùm ex vi verborum conſecrationis ponatur ſub ſpecie panis, integrum Chriſti Corpus humanum, (ut docent Theologi) debet poni ex vi verborum conſecrationis omnes ejus partes integrales ſub eadem ſpecie panis: ergo ſi ſanguis eſſet integralis pars humani corporis, deberet poni ex vi verborum conſecrationis ſub ſpecie panis.

Reſpondeo conceſſa ma. negando mi. ad cujus prob. *diſtinguo* ma. *ſi ſanguis eſſet integralis pars ſolida humani corporis, poneretur in Euchariſtia ſub ſpecie panis ex vi verborum conſecrationis &c. concedo: ſi ſanguis eſſet integralis pars fluida humani corporis, poneretur &c. nego*; verba quidem conſecrationis panis non utcunque ſignificant humanum Chriſti Corpus in Euchariſtia ſub ſpecie panis, ſed ipſum practicè ſignificant ac ibidem ponunt, per modum cibi; juxta illud Joan. 6. cap. *Caro mea verè eſt cibus*: proindèque ex vi ſignificationis verborum conſecrationis panis, eæ tantùm partes integrales corporis Chriſti debent poni in Euchariſtia, ſub ſpecie panis, quæ ſunt aptæ, ut habere poſſint rationem cibi: partes autem ſolidæ ſunt quidem aptæ, ut cibi rationem habeant; at partes fluidæ ſunt tantùm aptæ ad habendam rationem potus: quia ergo ſan-

ſanguis Chriſti eſt dum
humani ipſius Chriſti
comitantiam ſub ſpecie
mitantiam ſeu connexi
ſolidis corporis Chriſti
verborum conſecrationis
cie panis; at ipſe ſangui
vi verborum ejuſdem
rum ſignificatione, ſub

§.

Dentes, ungues, & capilli verè ac propriè anima

ET in primis de dentibus
etenim Ariſtoteles lib. 2. de Ge
ca. 6. aſſerit, dentes & oſſa eſſe ejuſ
ergo ſicut oſſa ſunt naturæ viventis &
rè ac propriè, *oſſa quippe inter pr*
poris viventis & animati membra ab
cenſentur) ita & dentes.

Præterea ipſe Ariſtoteles lib. 3.
Animal. cap. 9. ponit ungues anim
partes eorum. Et lib. 1. de An
textu 79. nec non lib. 3. cap. 13. tex
aſſeverat de pillis vel capillis: An
tem partes verè ac propriè anim
vunt.

Prob. etiam ratione: quod per int
nem nutritur, verè ac propriè anima
proprium ſiquidem animatorum & vi
ut per intus-ſuſceptionem nutriantur
quæ inanimata & non viventia ſunt
dumtaxat per juxta-poſitionem, ut
docent omnes: atqui dentes, ung
pilli, per intùs-ſuſceptionem nutri
&c. Prob. min. nam in primis dent
nulas quaſdam inſertas, (ut conſidera
quibus attrahunt & intus-ſuſcipiunt

pomitur ex
vel exen-

animantium
finis.

perspicua:
ter. Animal.
rem naturæ:
animata ve-
ccipua cor-
mnibus re-

de histor.
alium inter
ma cap. 5.
tum 66. idem
animalium au-
nitur & vi-

es- susceptio-
tur & vivit;
ve:rtium est;
s aliæ verò,
nutriuntur
dimunitet
ues, & ca-
nitur: ergo
habent ve-
ti patebit)
lii mentum;
fidi-

ſimilis eſt ratio de unguibus & capillis, qui radices habent carni infixas, quibus etiam ſugunt, attrahunt, & intùs ſuſcipiunt alimentum. Eadem quoque eſt ratio de ungulis, pilis, ſetis, & cornibus quarumdam beſtiarum; ſicut & de lanavium, roſtris ac plumis avium, & ſquamiſcium; hæc quippe omnia habent radices, quibus alimentum ſugunt, attrahunt, & intus ſuſcipiunt, quæ proinde animantur & vivunt.

Dices 1. ea tantùm in animali animantur quæ cum partibus ipſius animalis continuantur: atqui dentes non continuantur cum partibus animalis; ut docet Ariſtoteles lib. 2. de Gener. animal. ca. 6. ergo &c. Reſpondeo conceſſa maj. negando min. quamvis enim dentes non continuantur cum oſſibus; ut docet Ariſtoteles loco citato his verbis: *Tangunt enim* (ſcilicet dentes) *oſſa non continuantur*: continuantur tamen cum carne per fibras, nervos, & venulas.

Dices 2. Dentes nonnunquam ſponte decidunt ergo cum aliis partibus non continuantur. Reſpondeo negando ant. licèt enim dentes videantur ſponte decidere; reipſa tamen non decidunt niſi corrupta ipſorum radice, qua anteà cum carne continuabantur; vel niſi propellantur a novis dentibus, ut contingit in pueris circa ſeptennium.

Dices 3. nulla eſt in dentibus medulla: ergo non nutriunur per intus-ſuſceptionem; proindèque non animantur, nec vivunt. Reſpondeo negando conſeq. alio enim modo nutriuntur oſſa, alio modo dentes, licèt & oſſa, & dentes, per intùs ſuſceptionem nutriantur; oſſa quippe nutriuntur per medullam, per quam attrahunt alimentum; dentes verò nutriuntur per venulas, fibras, & nervos, quibus alimentum attrahunt & intùs-ſuſcipiunt.

Dices 4. in dentibus nulla eſt operatio vitalis ergo dentes non animantur, nec vivunt. Reſpondeo negando ant. quamvis etenim nulla ſit operatio

Quæſt. I. *De Anima*, & ratio vitalis ſenſitiva in inveniuntur nutritio, & tùs-ſuſceptionem, quæ vegetativæ.

Dices 5. Partes anim amiſſæ non reparantur dentes, ungues, & c nequeunt dici partes an pondeo, argumentum quippe, (ſi quid probet tem animatam & vivente mel amiſſa caro, poteſt ri; carnem tamen eſſe par tem, certiſſimum eſt.

Diſtinguenda ergo ſur tarum & viventium gener partes animatæ & viven rante, medio ſemine, caput, &c. & hæ partes poſſunt naturaliter repar animatæ & viventes, qu converſionem alimenti po ſunt caro, dentes, ungu partes poſſunt per nutritio ipſas converſionem repar amiſſæ.

Dices 6. Dentes, ungu ex excrementis: ergo non Reſpondeo diſtinguendo capilli, &c. fiunt ex excr ctis, id eſt, ex portioni ti, concedo ant. fiunt e dictis, nego ant. excrem dictum illud eſt, quod tur, tanquam aliquid pr tum autem dentium, un &c. à natura elaboratur ad non repugnat verò, ut ventes minùs principales di ſunt dentes, ungues

ergo cum reparen
illi ; hujusmodi res
natæ & viventes . Res-
mis probare ; probat
carnem non esse par-
s :: quandoquidem ſe-
per nutritionem repara-
em animatam & viven-

duo partium anima-
:: aliæ namque ſunt
es, quæ à ſolo gene-
ieri poſſunt, ut cor ,
emel amiſſæ nunquam
rii ; aliæ ſunt partes
æ ab ipſo *Vivente* per
ſſunt fieri; cujuſmodi
s :, capilli , &c. & iſtæ
nem , & alimenti in
rii , quando fuerunt

es , capilli , &c. ſunt
animantur, nec vivunt .
ant. dentes , ungues ,
mentis impropriè di-
us craſſioribus alimen-
excrementis propriè
nitum quippe propriè
natura expellere moli-
rsùs inutile : alimen-
guium , capillorum ,
ipoſorum nutritionem :
artes animatæ ac vi-
animalis) cujuſmo-
capilli , &c.) fiant ,

vel nutriantur, exexcrementis impropriè dictis, ſive ex portionibus craſſioribus alimenti.

Dices 7. Sudor, ſaliva, & hujuſmodi, non animantur, nec vivunt: ergo ſimiliter dentes, ungues, capilli, &c. non animantur, nec vivunt. Reſpondeo negando paritatem; ſudor namque, ſaliva, & ejuſmodi, ſunt pura excrementa, quæ natura molitur expellere: natura autem non molitur expellere dentes, ungues, capillos, &c. ſed potiùs ſtudiosè ea nutrit ac conſervat; ideòque dentes, ungues, capilli, & ſimilia, non ſunt pura excrementa, ſed potiùs partes integrales hominis, quæ proinde ipſius anima informantur ſeu animantur ac vivunt.

Dices 8. Si capilli & ungues animarentur & viverent, capilli & ungues Chriſti fuiſſent hypoſtaticè Divino Verbo uniti; atqui capilli & ungues Chriſti non fuerunt hypoſtaticè Divino Verbo uniti: ergo &c. Patet ma. etenim omnes partes animatæ & viventes corporis Chriſti, fuerunt hypoſtaticè Divino Verbo unitæ; ut communiter docent Theologi. Prob. autem mi. ſi capilli & ungues Chriſti fuiſſent hypoſtaticè Divino Verbo uniti, capilli, qui fuere à Chriſti capite, pectine detracti; & ungues, qui fuerunt à manibus & pedibus illius interdum exciſi, remanſiſſent adhuc divino Verbo uniti; juxta illud commune Theologorum axioma: *Quod Verbum Divinam per hypoſtaticam unionem ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*: hoc autem videtur abſurdum.

Reſpondeo conceſſa ma. negando mi. ad cujus prob. nego ſequelam; etenim præfatum axioma Theologorum: *Quod Verbum Divinum &c.* debet intelligi de præcipuis partibus humani corporis; nimirum de corde, de capite, &c. non autem de minutis partibus; cujuſmodi fuerunt capilli, qui fuere à Chriſti capite, pectine detracti; & ungues, qui fuerunt à manibus & pedibus illius quandoque exciſi.

Di-

Dices 9. Capilli cadav
huc creſcunt, & tamen no
ter, licèt capilli hominu
propterea tamen non viv
animantur.

Reſpondeo negando par
li in hominibus vivis creſ
tionem alimenti, ac pro
vitali, & conſequenter
capilli verò in cadaveribu
ſis, creſcunt duntaxat p
humorum ad radices ipſo
humores ex proprio lent
viſcoſitate, radicibus cap
agglutinantur. Ex quo col
daveribus mortuis creſcere
autem vitali; unde capilli
vivunt.

Dices 10. In ſenibus pote
talis debilior eſt, quàm in
in ſenibus capilli, & ungue
go tale capillorum augme
potentia augmentativa vita
anima. Reſpondeo, conce
ſeq. reverà namque majus
rum & unguium in ſenib
augmentativa vitali, quæ
languida, plures in illorum
ſuperfluitates, ex quibus ca
ſiùs ſaginantur & creſcunt.

[illegible]: etiam capil-
li per intùs fuscep-
dle crescunt modo
imantur & vivunt;
mortuis & suspen-
juxta positionem
um capillorum, qui
e, & ex propria
lorum adhærent &
gitur, capillos in ca-
nodo mortuo, non
i non animantur, nec

ëa augmentativa vi-
wenibus; & tamen
magis crescunt: er-
tum non procedit à
proindèque nec ab
ant. negando con-
ugmentum capillo-
s provenit à potentia
ëa debilis est atque
orporibus relinquit
illi & ungues copio-

ARTICULUS QUINTUS.

De indiviſibilitate & diviſibilitate animæ.

I.

Anima rationalis eſt indiviſibilis.

HÆc veritas communis eſt apud Theologos & Philoſophos; & Prob. 1. à poſteriori: anima rationalis foret diviſibilis, deberent partes humani corporis vivere, dum ſunt à ſe invicem, & à toto corpore humano ſeparatæ, ſicuti partes ſerpentis à ſe mutuò, & à toto corpore ſerpentis ſeparatæ vivunt, eò quòd anima ſerpentis eſt diviſibilis, ita ut partes ejus remaneant in ſuperatis partibus ſerpentis; ut infrà dicetur: atqui partes humani corporis non vivunt ampliùs, dum ſunt à ſe invicem, & à toto corpore humano ſeparatæ, ut experientia patet: ergo &c.

Probari poteſt 2. à priori, hoc modo: illud eſt *indiviſibile* in partes integrales, quod non habet partes integrales: atqui anima rationalis non habet partes integrales: ergo &c. Prob. mi. quod habet partes integrales, debet neceſſariò habere quantitatem; quandoquidem apud Philoſophos partes integrales ſignificant partes *quantitativas*: atqui anima rationalis non habet quantitatem, quandoquidem quantitas eſt accidens materiale & corporeum, quod animæ rationali immateriali & incorporeæ convenire non poteſt: ergo &c.

Objic. 1. Si anima rationalis eſſet indiviſibilis, non poſſet ſimul eſſe in capite & in pedibus humani corporis: atqui anima rationalis poteſt ſimul eſſe in capite & in pedibus humani corporis, ut patet: ergo &c. Prob. ma. ſi anima ratio-

rationalis existendo indivisibilis, esset simul in capite, & in pedibus humani corporis; sequeretur, eandem entitatem indivisibilem esse simul in duobus subjectis à se mutuò distantibus: atqui eadem entitas indivisibilis nequit simul esse in duobus subjectis à se mutuò distantibus: ergo &c.

Respondeo negando ma. ad cujus prob. distinguo ma. si anima rationalis existendo indivisibilis, esset simul in capite, & in pedibus humani corporis; sequeretur, eandem entitatem indivisibilem esse simul in duobus subjectis inadæquatis; à se mutuò quidem distantibus, sed tamen inter se continuis, concedo: sequeretur, eandem entitatem indivisibilem esse simul in duobus subjectis adæquatis, à se mutuò distantibus, & inter se non continuis, nego. Caput itaque & pedes ejusdem corporis humani, sunt subjecta inadæquata duntaxat unius & ejusdem animæ rationalis; & licèt ab invicem distent, continuantur tamen per partes intermedias ejusdem corporis, cum quibus constituunt unum subjectum adæquatum: non repugnat autem, eandem entitatem indivisibilem animæ rationalis esse simul in suo subjecto adæquato.

Instabis 1. Non potest eadem entitas indivisibilis esse simul in diversis locis: ergo etiam eadem entitas indivisibilis animæ rationalis nequit esse simul in diversis partibus ejusdem corporis humani.

Respondeo distinguendo ant. non potest eadem entitas indivisibilis esse simul in diversis locis: si entitas illa indivisibilis sit materialis & corporea, cujusmodi est entitas puncti, concedo: si illa indivisibilis entitas est spiritualis & incorporea, qualis est entitas ejusdem Angeli; subdistinguo: non potest esse simul in diversis locis adæquatis & non continuis, concedo: non potest esse simul in diversis locis inadæquatis & continuis, nego ant. & conseq.

quoniam diverſæ partes ejuſdem corporis humani ſunt veluti diverſa loca continua inadæquata duntaxat ejuſdem entitatis indiviſibilis animæ rationalis, quæ ſpiritualis eſt, & incorporea.

Inſtabis 2. Unum indiviſibile non poteſt eſſe, niſi in indiviſibili, ergo, ſi anima rationalis ſit indiviſibilis, non poteſt eſſe in corpore humano diviſibili.

Reſpondeo diſtinguendo ant. unum indiviſibile non poteſt eſſe, niſi in indiviſibili: ſi illud indiviſibile non ſit virtualiter vel eminenter diviſibile concedo; ſi illud indiviſibile ſit virtualiter aut eminenter diviſibile, nego: quamvis autem anima rationalis ſit formaliter indiviſibilis, ſit tamen virtualiter ſive æquivalenter, & eminenter diviſibilis, quatenùs eminenti quodam modo æquivalet formis materialibus, quæ formaliter ſunt diviſibiles.

Inſtabis 3. Si anima rationalis foret indiviſibilis, & tota exiſteret in qualibet parte humani corporis, eſſet infinities in humano corpore; quandoquidem in corpore humano ſunt partes infinitæ: atqui abſurdum eſt dicere, animam rationalem eſſe infinities in humano corpore: ergo &c.

Reſpondeo negando ma. etenim anima rationalis non eſt immediatè, niſi in ſolis partibus aliquotis ſeu determinatis humani corporis; in partibus verò proportionalibus ſive indeterminatis non exiſtit anima rationalis, niſi mediatè, quatenus hæ partes in aliquotis continentur: quamvis autem in corpore humano ſint partes proportionales infinitæ, partes tamen aliquotæ ſunt finitæ.

Inſtabis 4. Si anima rationalis eſſet indiviſibilis, & tota in qualibet humani corporis parte; ablata una parte corporis humani, vel auferretur & ſepararetur anima rationalis à reliquo corpore, vel ipſa rationalis anima ab illa

illa parte ablata tra
tem viciniorem: atq
ergo &c. Prob. mi.
parte humani corpor
nu, non aufertur nec
nalis à reliquo corpo
tet: neque etiam
transfertur anima ra
ciniorem ejuſdem cor
jam anteà eſſet tota
illa parte, anima
ta in eadem corporis
eſt.

Reſpondeo negando
ablata una parte min
poris, v. gr. una manu,
paratur anima rationalis
que à parte illa ablata
ma ad viciniorem corporis
xat tota anima rationalis
la ablata.

Objic. 2. Anima, quæ recipitur
viſibili, eſt diviſibilis; ut enim ha
axioma: *Quidquid recipitur, ad mo
tis recipitur*: atqui anima ratio
ſubjecto diviſibili, nempè in hum
ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma.
recipitur in ſubjecto diviſibili,
ſi anima illa ſit ejuſdem ordinis
diviſibili, & ejus quantitati co
(qualis eſt anima plantæ) concedo
la ſit ſuperioris ordinis, & quan
non commenſuretur, nego. Quan
ma rationalis recipiatur in ſubjecto
mirum in humano corpore, non e
dem ordinis cum ſubjecto diviſibili
neque quantitati materiali & ca
commenſuratur; cùm ſit entitativ
tualis & incorporei.

oris ablata
partem vi-
oniam cùm
a anima in
ller bis to-
od absurdum

tā namque ,
humani cor-
fertur sive se-
corpore , ne-
rationalis ani-
m , sed dunta-
ssiē in parte il-

u subjecto di-
pet commune
dusni recipien-
is: recipitur in
no corpore :

anima , quæ
st divisibilis :
cum subjecto
nmensuretur ,
: si anima il-
tiati subjecti
vis verò ani-
divisibili, ni-
tamen ejus-
& corporeo ,
sporex illius
ordinis spiri-

Ad illud axioma: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*: Reſpondeo, ſenſum illius non eſſe, ut quod recipitur, neceſſariò in ſua entitate commenſuretur entitati ſubjecti, in quo recipitur; ſed ſenſus illius axiomatis eſt, ut quod recipitur in ſubjecto, recipiatur in eo juxta capacitatem & exigentiam ejus: & ideò ut anima rationalis recipiatur in ſubjecto diviſibili ad modum recipientis, ſatis eſt, ut ipſum informet, juxta illius capacitatem & connaturalem exigentiam; quod quidem anima rationalis præſtare poteſt per ſuam virtualem & eminentem diviſibilitatem.

Objic. 3. Dum partes humani corporis abſcinduntur, anima rationalis dividitur: ergo reipſa diviſibilis eſt. Prob. ant. dum partes humani corporis abſcinduntur, vivunt: ergo animantur, adeò ut in ipſis abſciſſis remaneant portiones animæ rationalis, quæ proinde in portione dividitur. Prob. ant. dum partes humani corporis fuerunt abſciſſæ, adhuc moventur & agitantur; hinc S. Pauli Apoſtoli caput abſciſſum, ad aquas Salvias, ſanctiſſimum Jeſu nomen ter pronunciavit, & triplici ſaltu ſeſe extulit; *ubi tres fonticuli orti ſunt, qui adhuc ſcaturiunt*: ergo abſciſſæ partes corporis humani reipſa vivunt.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. nego ant. motus quippe, qui in abſciſſis partibus humani corporis cernitur, non eſt vitalis, nec ab anima rationali procedit, ſed à ſpiritibus anteà vitalibus, qui cum calidiſſimi ſint, & quaſi ignei, ex arteriis veniſque tumultuaria agitatione confertim proſiliunt, & magna vi, atque impetu, huc illucque diſcurſantes, ſanguinem & alios humores impellunt; & ita caput, manus, aliaſque partes abſciſſas commovent atque concutiunt. Quod autem de Sancto Paulo Apoſtolo allatum eſt, non ad naturam, ſed ad miraculum referri debet. Nis

dica-

camus, ſaltus abſciſſi capitis S. Pauli, à ſpi-
tibus, impetu ex arteriis & venis proſilienti-
s, proceſſiſſe. Locutio verò ejuſdem capitis
vinitùs accidit; nec magis vitalis fuit, quàm
rutio, quæ in aſſumptis corporibus ab An-
lis exhibetur.

Objic.4. Dum auricula, naſus, & aliæ par-
s carnilaginoſæ, ab humano corpore abſcin-
ntur, remanent animatæ: ergo tunc anima
:ionalis dividitur, ita ut ſint quædam por-
ines illius in partibus illis abſciſſis, & alia
rtio in reliquo corpore. Conſeq. patet; ne-
enim concipi poteſt, quomodò præfatæ par-
abſciſſæ permaneant animatæ, niſi anima
onalis modo dicto dividatur. Prob. verò
dum auricula, naſus, & aliæ parter carti-
moſæ, ab humano corpore abſcinduntur,
aulò poſt eidem humano corpori per artem
licam conjungantur, inveniuntur animatæ:
abſciſſæ remanſerant animatæ, non autem
ia privatæ; alioquin non poſſent, ſaltem
raliter, animam recuperare, quoniam ex
niuni axiomate: *A privatione ad habitum na-*
ter non datur regreſſus.

ſpondeo negando ant. ad cujus prob.
ſco ant. nego conſeq. etenim illud axio-
A privatione ad habitum naturaliter non
regreſſus: intelligendum eſt de privatio
li, (ſecundùm quam videlicet totum ſub-
le compoſitum deſtruitur,) non verò
ratione *partiali* (ſecundùm quam ſcili-
totius compoſiti ſubſtantialis privatur
ubſtantiali, ipſo toto ſubſtantiali com-
ermanenti;) cùm etenim pars illa na-
poſſit iterum conjugi toti compoſito
ali, poteſt in tali conjunctione recupe-
oſitiones requiſitas, ut per ſubſtantia-
am totius compoſiti ſubſtantialis rema-
rum informetur, proindèque poteſt
ubſtantialem formam totius compoſiti

ſubſtantialis recuperare ; ideòque in tali hypotheſi poteſt naturaliter dari à privatione partiali ad habitum regreſſus , & reipſa ita contingit, quando auricula, naſus, & aliæ partes cartilaginoſæ , ab humano corpore abſciſſæ, paulò pòſt eidem humano corpori iterum conjunguntur. Dici etiam poſſet, quòd partes iſtæ toti humano corpori iterum conjungantur mathematicè & ſecundùm ſympathiam , non tamen phyſicè & ſecundùm veram animationem.

§. II.

Animæ perfectorum animalium ſunt indiviſibiles.

HÆc veritas, quæ communis eſt apud Thomiſtas, contra Scotum , & ejus diſcipulos, docent à D. Thoma q. diſputata de anima art. 10. ad 15. & 2. contra Gent. cap. 72. necnon 1. part. quæſt. 76. art. 8. & pluribus aliis in locis.

Prob. ratione S. Doctoris: illa anima eſt integraliter indiviſibilis, quæ in partes integrales dividi non poteſt : atqui animæ perfectorum animalium in partes integrales dividi non poſſunt : ergo &c. Ma liquet. Prob. mi. Animalia perfecta ſunt illa, quorum unumquodque à ſolo generante ſuæ ſpeciei , medio ſemine, produci poteſt ; cujuſmodi ſunt bos , equus, &c. atqui animæ ejuſmodi animalium nequeunt dividi in partes integrales : ergo &c. Prob. mi. in primis à poſteriori : ſi animæ perfectorum animalium, v. g. bovis , equi , &c. poſſent in partes integrales dividi ; dum abſcinduntur partes integrales alicujus animalis perfecti , v. g. bovis, vel equi, deberet anima illius in partes integrales dividi ; ut patet : atqui dum abſcin-

dun-

duntur partes integrales bovis, vel equi, anima illius non dividitur in partes integrales; alioquin namque partes abscissæ bovis, vel equi, viverent; quandoquidem retinerent principium radicale vitæ, scilicet partes integrales animæ: partes autem abscissæ bovis, vel equi, propriè non vivunt; licèt enim partes illæ statim post abscissionem aliquandiu moveantur, hic tamen motus non est vitalis, nec ab anima procedit, sed à spiritibus anteà vitalibus ex arteriis venisque tumultuaria agitatione confertim prosilientibus, ut suprà dicebamus; unde quia subitò cessant illi spiritus, etiam repentè desinit motus omnis illarum partium abscissarum: ergo &c.

Prob. 2. mi. secundi syllogismi: si anima perfecti animalis posset in partes integrales dividi, posset reperiri in partibus integralibus animalis perfecti divisis & abscissis; ut ultrò fatentur adversarii: atqui anima animalis perfecti reperiri non potest in partibus integralibus perfecti animalis divisis & abscissis: ergo &c. Prob. mi. in hoc differt anima animali perfecti ab anima animalis imperfecti, quòd anima animalis imperfecti, quoniam imperfecta est, paucas exigit actiones animalis; ideòque inveniri potest in partibus integralibus divisis & abscissis, quæ sunt capaces aliquarum actionum animalis: at anima animalis perfecti, quia perfecta est, exigit necessariò, ut subjectum, in quo reperitur, capax omnium actionum animalis; singulæ enim partes integrales animalis perfecti divisæ & abscissæ non sunt capaces omnium actionum animalis; sic v. g. pedes divisi & abscissi, non sunt capaces visionis, auditionis, olfactionis, gustationis: anima itaque perfecti animalis potest reperiri in singulis partibus integralibus quodi animalis divisis & abscissis.

Respondebis, animam perfecti animalis non quidem reperiri secundùm se totam in

BIBLIOTECA D. F. M. C. ... FUSCO

parte integrali diviſa & abſciſſa talis animalis, benè tamen ſecundùm aliquam ſui partem.

Sed contra: cùm anima perfecti animalis ſit eſſentialiter perfecta; (utpotè eſſentialiter diſtincta ab anima imperfecta animalis imperfecti) ſi deſinat eſſe perfectam, totaliter deſinat neceſſe eſt: atqui in parte integrali diviſa & abſciſſa animalis perfecti, anima deſinit eſſe perfecta: ergo totaliter deſinit, ac proinde non permanent ſecundùm aliquam ſui partem. Prob. mi. anima perfecta animalis perfecti, remanens perfecta, debet eſſe integra, & radix omnium actionum animalis: atqui anima perfecti animalis non eſt integra, nec eſt radix omnium actionum animalis in parte integrali diviſa & abſciſſa animalis perfecti, v.g. in ejus pede diviſo & abſciſſo; cùm in ejuſmodi parte non ſit, juxta adverſarios, niſi ſecundùm aliquam ſui partem, nec ſit radix viſionis, auditionis, &c. ergo &c.

Objic. 1. Anima materialis debet eſſe diviſibilis: atqui animæ perfectorum animalium ſunt materiales, ut patet: &c. Prob. ma. anima materialis debet proportionari materiæ: ergo ſicut materia eſt extenſa & diviſibilis, etiam anima materialis debet eſſe extenſa & diviſibilis.

Reſpondeo diſtinguendo ma. anima materialis debet eſſe diviſibilis: ſi ſit anima imperfecta in genere animalis, & non exigat neceſſariò ſubjectum capax omnium actionum animalis, concedo: ſi ſit anima perfecta in genere animalis, & neceſſariò exigat ſubjectum omnium actionum animalis capax, nego: licèt autem animæ perfectorum animalium ſint materiales, ſunt tamen animæ perfectæ in genere animalis, & neceſſariò exigunt ſubjecta omnium actionum animalis capacia.

Et dum inſtant adverſarii, animas perfec-

ctorum animalium, eo ipso, quòd sint materiales, debere proportionari materiæ. R. prædeo distinguendo: concedo namque, animas perfectorum animalium, eo ipso, quòd sint materiales, debere quidem proportionari materiæ, quantùm ad rationem actus informantis; quatenùs nempè, sicut materia est informabilis potentia substantialis, ita etiam animas perfectorum animalium debent esse informantes actus substantiales: sed nego, animas perfectorum animalium, eo ipso, quòd sint materiales, debere proportionari materiæ, quantùm ad modum extensionis & divisibilitatis; hoc quippe est contra rationem animæ in genere animalis perfectæ.

Objic. 2. & instab. idcircò Anima rationalis est indivisibilis, quia est immaterialis: ergo quia animæ perfectorum animalium non sunt immateriales, debent esse divisibiles.

Respondeo distinguendo ant. idcircò anima *rationalis est indivisibilis, quia est immaterialis*: si illa particula, *quia*, designet rationem inadæquatam & partialem indivisibilitatis animæ rationalis, concedo: si particula illa, *quia*, designet rationem adæquatam & totalem indivisibilitatis animæ rationalis, nego ant. & conseq. Est igitur duplex ratio, ob quam anima rationalis est indivisibilis; quia nempè est *immaterialis*, & quia est anima perfecta *in genere animalis*. Prima ratio convenit soli animæ rationali; at secunda indivisibilitatis ratio convenit etiam animabus perfectorum animalium.

Objic. 3. Dum abscinditur pars animalis perfecti, abscinditur quoque pars animæ: ergo anima perfecti animalis habet partes, in quas divisibilis est. Prob. ant. si dum abscinditur pars animalis perfecti, non abscinderetur anima pars, deberet anima sese retrahere à par-

te

re abſciſſa, & veluti ſe ſupra alias partes replicare : atqui hoc dici non poteſt : ergo &c.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. nego ma. ad hoc quippe, ut dum abſcinditur pars animalis perfecti, non abſcindatur animæ pars, ſatis eſt, ut tunc nihil ab anima auferatur, ſed tota remaneat in reliquo corpore, deſinatque eſſe in parte abſciſſa.

Objic. 4. Cùm anima bovis educatur è ſubjecto, in quo eſt, ſi anima bovis eſſet tota in quilibet corporis parte, educeretur tota ex qualibet parte corporis: atqui hoc dici non poteſt. ergo &c. Prob. mi. anima ſemel educta ex uno ſubjecto, non poteſt denuò educi ex alio : ergo ſi anima bovis tota educetur, v. g. ex corde, non educitur tota ex pede.

Reſpondeo negando ma. etenim anima bovis non educitur ex quovis ſubjecto, ſed ex ſubjecto adæquato; quamvis autem anima bovis ſit tota in qualibet corporis parte, ejus tamen ſubjectum adæquatum non eſt quælibet corporis pars, ſed eſt duntaxat totum corpus bovinum; ſingulæ verò partes corporis bovini ſunt duntaxat ſubjecta illius inadæquata.

Inſtab. qnando bos nutritur, per nutritionem acquirit novam materiæ portionem, ex qua educitur nova pars animæ : ergo reverà bovis anima habet partes ex materiæ partibus educibiles, in quas diviſibilis eſt.

Reſpondeo negando ant. reipſa etenim dum bos nutritur, & per nutritionem acquirit novam materiæ portionem, ex hac materiæ portione non educitur nova pars animæ, ſed anima in generatione bovis jam educta extendit ſe ad informandam aut animandam illam materiæ portionem novam, poſt acceptas debitas ad hanc informationem diſpoſitiones.

Objic.

Objic. 5. anima perfecti animalis est quanta : ergo in partes integrales divisibilis est ; divisibilitas namque in partes integrales est proprietas quantitatis. Prob. ant. quod constituit corpus quantum, debet esse quantum ; ut enim habet commune axioma : *Nemo dat quod non habet* : atqui anima perfecti animalis constituit corpus ejus quantum, cùm anima illa sit radix quantitatis : ergo &c.

Respondeo distinguendo ant. anima perfecti animalis est radicaliter quanta, quatenus est radix quantitatis, concedo : est quanta formaliter, ita ut immediatè afficiatur quantitate, & per eam in partes integrales extendatur, nego ant. & distinguo similiter consequens : ergo in partes integrales radicaliter divisibilis est ; quatenus (ut dixi) est radix quantitatis, cujus proprietas est divisibilitas in partes integrales, concedo : ergo in partes integrales formaliter divisibilis est, ita ut formaliter & immediatè afficiatur quantitate ipsam in partes integrales dividente, nego.

Ad prob. ant. distinguo ma. quod formaliter constituit corpus quantum, debet esse quantum, concedo : quod radicaliter constituit corpus quantum, debet esse quantum ; subdistinguo : debet esse quantum radicaliter, concedo : debet esse quantum formaliter, nego ma. & distinguo simili modo mi. atqui anima perfecti animalis radicaliter constituit corpus ejus quantum, quatenus est radix quantitatis, qua corpus animalis perfecti fit formaliter quantum, concedo : atqui anima perfecti animalis formaliter constituit corpus ejus quantum, nego mi. & conseq. sub distinctione data.

Ad illud verò axioma : *Nemo dat quod non habet* : Respondeo, ipsum esse distinguendum : reipsa quippe nemo dat quod non habet, sed eo modo, quo dat ; unde si dat formaliter, debet formaliter habere quod dat ; si verò dat

tantùm radicaliter, debet habere ſolùm radicaliter quod dat : anima autem animalis perfecti non dat formaliter corpori ejus, ſed radicaliter ſolùm, ut ſit quantum ; ideòque ſatis eſt, ut anima perfecti animalis, radicaliter, ſeu ad modum radicis, habeat quantitatem ſive extenſionem, & diviſibilitatem : nec eſt neceſſe, ut in ſe formaliter habeat quantitatem & diviſibilitatem.

Inſtab. illud eſt formaliter extenſum, formaliterque diviſibile, cui quantitas tribuit ſuum formalem effectum ; quandoquidem formalis effectus quantitatis eſt, conſtituere formaliter extenſum formaliterque diviſibile : atqui quantitas tribuit ſuum formalem effectum animæ perfecti animalis : ergo &c. Prob. mi. quantitas tribuit ſuum formalem effectum ſubjecto, in quo recipitur : atqui quantitas animalis perfecti recipitur in ejus anima, tanquam in ſubjecto : ergo & c. Ma. eſt manifeſta. Prob. mi. quantitas, ex Thomiſtarum doctrina, non recipitur in ſola materia, ſed in toto compoſito; proindeque quantitas animalis perfecti debet recipi in toto ipſius animalis perfecti compoſito : ergo cùm compoſitum animalis perfecti non diſtinguatur ab ejus materia, & ab anima, ut alibi oſtenſum eſt; quantitas animalis perfecti recipitur in ejus materia, & in anima, velut in ſubjecto.

Reſpondeo conceſſa ma. negando mi. ad cujus prob. diſtinguo ma. quantitas tribuit ſuum formalem effectum ſubjecto, in quo immediatè recipitur, concedo : quantitas tribuit ſuum formalem effectum ſubjecto, in quo mediatè duntaxat recipitur, nego : quantitas autem perfecti animalis recipitur immediatè in toto ipſius animalis perfecti compoſito, & mediatè ſolùm in anima illius, prout eſt pars hujuſmodi compoſiti.

Et dum dicunt adverſarii, materiam & ani-

mam

mam perfecti animalis esse unam & eandem rem cum toto ejus composito: distinguendum est; concedo namque, materiam & animam collectivè ac simul sumptas non distingui à toto composito; at id nego de materia & anima divisivè & seorsim acceptis. Unde sequitur quidem, quantitatem recipi immediatè in materia & in anima perfecti animalis, si collectivè & simul sumantur, adeò ut materia & anima perfecti animalis collectivè & simul sumptæ recipiant à quantitate ipsius effectum, sintque extensæ & divisibiles: minimè tamen sequitur: quantitatem immediatè recipi in anima perfecti animalis seorsim in se sumpta, ita ut ipsa divisivè & seorsim accepta recipiat formalem quantitatis effectum, fiatque formaliter extensa atque divisibilis.

Urgebis: si anima perfecti animalis per quantitatem formaliter non extenderetur, neque fieret per *illam divisibilis in partes integrales*, foret *spiritualis*; ob *hanc* enim rationem, anima *rationalis* est *spiritualis*: atqui anima perfecti *animalis* non est *spiritualis*; ut patet: ergo &c.

Respondeo negando ma. falsum quippe est, ob hanc solam rationem: animam rationalem esse spiritualem; anima enim rationalis est spiritualis, quia est in *esse* à materia independens; non autem præcisè, quia formaliter per quantitatem non extenditur, neque fit per illam divisibilis in partes integrales. Unde ut anima perfecti animalis per quantitatem formaliter non extendatur, & per illam non fiat formaliter divisibilis in integrales partes, est satis, ut sit anima perfecta in genere animalis; nec opus est, ut sit spiritualis.

Objic. 6. si anima perfecti animalis esset formaliter indivisibilis, foret tota in qualibet parte corporis per ipsam animati; ut patet; quando etenim aliquid est indivisibile, si alicubi

sit,

ſit, ibi totum ſit neceſſe eſt; quandoquidem ipſi eſſe non poteſt ſecundùm aliquam ſui partem, in quam indiviſibile eſt: atqui anima perfecti animalis non eſt tota in qualibet parte corporis per ipſam animati: ergo &c. Prob. mi. ſi enim anima bovis, v.g. foret tota in capite, nihil ipſius eſſet in pedibus.

Reſpondeo conceſſâ maj. negando min. ad cujus Prob. diſtinguendum eſt: concedo namque, quòd ſi anima bovis foret tota ac totaliter & adæquatè in capite, reverà nihil illius eſſet in pedibus; at id nego, ſi anima bovis ſit quidem tota in capite, ſed partialiter tantùm aut inadæquatè: anima autem bovis, & cujuslibet alterius animalis perfecti, eſt quidem tota in capite; at partialiter ſolùm, vel inadæquatè, quia caput non eſt ſubjectum totale & adæquatum animæ perfecti animalis.

Inſtab. proprium eſt animæ ſpiritualis, ut ſit tota in toto ſubjecto, & tota in qualibet ejus parte: ergo cùm anima bovis non ſit ſpiritualis, nequit eſſe tota in toto corpore per *ipſam* animato, & tota in qualibet ejus parte.

Reſpondeo *diſtinguendo* ant. proprium eſt animæ ſpiritualis, ut ſit tota in toto ſubjecto, & tota in qualibet ejus parte, abſque dependentia à ſubjecto in ſuo *eſſe*, concedo: proprium eſt animæ ſpiritualis, ut ſit tota in toto ſubjecto, & tota in qualibet ejus parte, cum dependentia à ſubjecto in ſuo *eſſe*, nego: licèt autem anima bovis ſit tota in toto corpore per ipſam animato, & tota in qualibet ejus parte; attamen in ſuo *eſſe* dependet à corpore, ita ut non poſſit naturaliter *eſſe* aut exiſtere ſine copore, aut extra illud; in quo differt ab anima rationali, quæ ita eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet ipſius parte, ut in *eſſe* ſuo ſit à corpore independens, adeò

ut

ut separata à corpore, naturaliter in esse perseveret.

Objic. 7. Si anima perfecti animalis foret indivisibilis, & tota in qualibet parte, deberet perfectum animal amittere totam animam, & mori, statim ac abscinditur ab ipso animali perfecto pars aliqua præcipua, in qua erat anima tota: atqui animal perfectum non amittit animam totam, nec moritur, statim ac abscinditur ab ipso animali perfecto pars aliqua præcipua: ergo &c. Ma. videtur clara. Prob. mi. teste Aristotele cap. 2. de Juventut. & Senectut. testudines vivunt, detracto corde: & Averroes asserit 7. Physic. textu 4. se vidisse arietem, abscisso capite progredientem; & refert ex Avicenna, taurum avulso corde, duos passus fuisse progressum: caput autem, & cor, sunt præcipuæ partes perfectorum animalium.

Respondet B. Albertus Magnus, illos omnes motus *vitales non fuisse*, nec ab anima remanente *processisse*, *sed à spiritibus anteà vitalibus ex arteriis venisque tumultuaria agitatione confertim prosilientibus*, ut suprà dicebamus. Unde in forma respondeo, concessa ma. negando mi. ad cujus prob. dico, testudines, detracto corde, apparenter solùm vivere. Dico etiam, arietem abscisso capite, progressum fuisse, sicut & taurum avulso corde, motu apparenter quidem vitali, sed reipsa non vitali, modo explicato. Sanè, si hæc exempla aliquid probarent, utique probaret, rationalem hominis animam esse divisibilem; nam Josephus Acosta lib. 5. historiæ Indicæ cap. 22. refert, Hispanum quemdam, extracto corde, dixisse, *Cavalleros muerto mehan*.

Objic. 8. Ea anima est extensa & divisibilis, quæ habet operationes extensas & divisibiles: atqui anima perfecti animalis, v.g. bovis, habet operationes extensas & divisibiles:

quam-

quandoquidem omnes ejus operationes, ſive ſenſationes, recipiuntur in organis vel potentiis extenſis ac diviſibilibus, nec non dependenter à ſpeciebus ſenſibilibus, quæ extenſæ ſunt atque diviſibiles: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ea anima eſt formaliter, vel virtualiter extenſa & diviſibilis. quæ habet operationes extenſas & diviſibiles, concedo: ea anima ſemper eſt formaliter extenſa & diviſibilis, quæ habet operationes extenſas & diviſibiles, nego: nam ſi ita eſſet, anima rationalis foret formaliter extenſa & diviſibilis; quandoquidem eſt radix operationum extenſarum & diviſibilium, videlicet operationum ſenſitivarum; ſicut ergo anima rationalis, prout eſt virtualiter extenſa & diviſibilis, eſt radix operationum extenſarum & diviſibilium; ſic etiam anima perfecti animalis, prout eſt virtualiter extenſa ac diviſibilis, (quatenus nempè æquivalet virtualiter vel eminenter imperfectorum animalium animabus formaliter extenſis & diviſibilibus) eſt principium radicale operationum extenſarum ac diviſibilium, videlicet ſenſationum.

Objic. 9. Terminus actionis diviſibilis debet eſſe diviſibilis; ut ita inter actionem, & terminum, debita ſit proportio, debitaque commenſuratio: atqui anima perfecti animalis eſt terminus actionis diviſibilis, nimirum actionis generativæ, quæ cùm ſucceſſiva ſit, diviſibilis eſt: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. terminus primarius actionis diviſibilis, debet eſſe diviſibilis, concedo: terminus ſecundarius actionis diviſibilis, debet eſſe diviſibilis, nego.

Terminus autem actionis generativæ ordine executionis primarius conſiſtit in accidentibus prævie materiam diſponentibus ad animæ receptionem, quæ accidentia ſunt in gradus diviſibilia: anima verò perfecti animalis ordine

ne executionis est terminus secundarius actionis generativæ, quatenus anima illa, executionis ordine, resultat ex illis accidentibus prævie ad ipsam disponentibus, ut alibi explicatum est; ideòque necesse non est, ut anima perfecti animalis sit divisibilis, ex eo, quòd est terminus actionis generativæ, quæ divisibilis est.

§. III.

Animæ imperfectorum animalium & plantarum, sunt divisibiles.

ANimal imperfectum dicitur illud, quod utplurimùm ex putri materia generatur; ejusmodi sunt serpentes, vermes, &c. Dixi, *ut plurimum*; quia animalia imperfecta non semper ex putri materia procreantur; ut patet in serpentibus, qui aliquando à patre & matre, medio semine, generantur.

Dicimus ergo, animalia illa imperfecta habere animas divisibiles in partes integrales. Idque docent diserte Aristoteles in hoc 2. lib. ca. 2. textu 20. & D. Thomas ibidem lect. 4. & Prob. ratione, qua utuntur Aristot. & D. Thomas locis citatis. Illa anima est in partes integrales divisibilis, quæ in partes integrales sæpè dividitur: atqui animæ imperfectorum animalium sæpè in partes integrales dividuntur: ergo &c. *Prob.* min dum enim serpens, vel vermis, duas in partes dividitur ambæ partes separatæ, aliquandiu vivunt; ut experientia patet: idque manifestè ex eo colligitur, quòd si pungantur, sentiunt; unde & se retrahunt: non possent autem illæ partes separatæ vivere, nisi retinerent portiones seu partes integrales animæ, (neque etenim dici potest, eandem animam indivisibilem remanere in duabus illis partibus separatis,

tis, quoniam nequit eadem indiviſibilis anima informare plura ſubjecta, niſi ſint continua & unita; duæ verò partes ſeparatæ non ſunt duo ſubjecta continua & unita, ut perſpicuum eſt quæ eſt ipſum vivendi principium; tunc ergo anima ſerpentis vel vermis duas in portiones vel partes integrales dividitur; quod quidem ſæpè contingit.

Ratio autem à priori, quare poſſit anima imperfecti animalis in partes integrales dividi, à diviſionem corporis per ipſam animati, eſt, quia anima illa eſt imperfecta; & ideò ad ſui conſervationem, paucas exigit operationes, quas in qualibet parte integrali corporis *per ipſam* animati habere poteſt; ideòque ſecundùm diverſas partes integrales conſervari poteſt in diverſis partibus corporis per ipſam animati, quamvis illæ partes ſint à ſe mutuò diviſæ atque ſeparatæ.

Dices 1. Si anima ſerpentis eſſet in plures partes integrales diviſibilis, darentur in ſerpente plures formæ partiales (nempè plures animæ partiales, ſeu plures partes integrales animæ:) at qui hoc dici non poteſt, cùm docuerimus ſupra non dari in compoſito ſubſtantiali phyſico plures formas partiales: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi anima ſerpentis eſſet in plures partes integrales diviſibilis, darentur in ſerpente plures formæ partiales homogeneæ, ſive ejuſdem rationis, videlicet plures ejuſdem formæ vel animæ partes integrales, beneficio quantitatis diviſibiles, concedo: darentur in ſerpente plures formæ partiales heterogeneæ, id eſt, ſpecie differentes (cujuſmodi ſunt forma capitis, forma colli, forma pectoris, &c. in ſententia quorumdam Philoſophorum, quam ſententiam ſuprà rejecimus) nego.

Dices 2. in parte abſciſſa corporis imperfecti animalis, non eſt debita organizatio: ergo anima

ma imperfecti animalis in ea parte esse non
potest.

Respondeo distinguendo ant. in parte abscis-
sa corporis imperfecti animalis, non est debita
organizatio, ut animalis imperfecti anima in
secundùm se totam in ea parte, modo connatura-
lii & permanenti, concedo: non est debita organi-
zatio, ut anima imperfecti animalis sit secun-
dùm aliquam sui partem in ea parte, modo tran-
æunti, nego ant. ut enim suprà diximus, anima
imperfecti animalis imperfecta est, & ideò, ut se-
cundùm aliquam partem suam sit in aliquo sub-
jecto, transeunti modo, est satis, ut sit in eo im-
perfecta organizatio, id est, aptitudo quædam
ad aliquas animalis operationes exercendas,
qualis organizatio, vel aptitudo potest inveniri
in parte abscissa corporis imperfecti animalis.

Quòd verò animæ plantarum & arborum sint
divisibiles in partes integrales, prob. etiam simili
ratione. Ea anima divisibilis est in partes integra-
les, quæ quandoque in partes integrales dividi-
tur: atqui animæ plantarum & arborum quan-
doque in partes integrales dividuntur: ergo &c.
Prob. mi. nam dum ramis abscissi arborum, vel
abscissæ partes plantarum, plantantur, vivescunt,
& consequenter vivunt; proindèque in eis per-
manet principium vitæ, nempè permanent por-
tiones seu partes quædam integrales animarum
arborum vel plantarum præcisarum.

Sanè verò, in eo subjecto potest anima arboris
vel plantæ permanere, in quo possit omnes ope-
rationes suas exercere: atqui anima arboris, vel
plantæ, in ramo abscisso, vel in abscissis plan-
tarum partibus, potest omnes suas operationes
exercere; nimirum nutritionem, augmentatio-
nem, & generationem; quandoquidem ramus
abscissus & plantatus, sicut & partes abscissæ &
plantatæ plantarum, nutriuntur, augentur, &
generant fructus: ergo anima arboris, vel plan-
tæ, saltem secundùm aliquam partem integralem,

vel

vel ſecundùm aliquas partes integrales (in qu
proinde eſt diviſibilis) in ramo abſciſſo ac plan
to, vel in partibus abſciſſis ac plantatis plan
rum, permanere poteſt.

Quæres, quid ſit *ſectile*, quid *inſectile*,
quid *inſectum*? Reſpondeo, *ſectile* eſſe corp
vivens, quod ſecari poteſt in partes integrale
quæ ſeparatæ ſeorſim vivunt; ut eſt vermis
Inſectile eſt animal perfectum, quod in pa
integrales ſeorſum viventes ſecari non poteſt;
eſt homo, vel leo. *Inſectum* denique eſt qu
dam animal imperfectum, quod diviſum in p
tes integrales, ſanguinem non effundit; hu
modi ſunt muſcæ, apes, &c.

Articulus Sextus.

De potentiis animæ in ſcommuni.

§. I.

A quo ſpecificentur potentiæ animæ?

Circa præſentem difficultatem duæ ſunt c
bres ſententiæ. Prima eſt Thomiſta
omnium, cum Angelico Præceptore, m
in locis, & præſertim lib. 2. de anima L
4. item q. diſputata de anima, art. 13. nec
1. part. q. 77. art. 3. & alibi ſæpe: docet a
iſta ſententia, potentias vitales animæ ſpeci
ri (ſive ſumere unitatem vel diſtinctionem ſp
cam) ab actibus primariis, & actus ab objectis
malibus & primariis. Hoc tamen ſic intellige
non eſt, quaſi actus reſpectu potentiarum, & o
cta formalia reſpectu actuum, ſint differentiæ ſ
cificæ, eſſentiales, & intrinſecæ; etenim actus r
pectu potentiarum, & objecta formalia reſpe
actuum, ſunt aliquid extrinſecũ: ſed ſenſus eſt, p
tentias habere eſſentiã ſuam ſpecificã in ordine
actus primarios, & actus in ordine ad objecta f
malia; ita ut talis ordo ſit differẽtia eorũ ſpecifi
eſſen-

essentialis, & intrinseca; adeò ut non cognoscamus unitatem vel distinctionem illorum specificam, nisi per ordinem ad actus primarios, vel per ordinem ad objecta formalia.

Secunda sententia est Scoti & Scotistarum asserentium, potentias non specificari, sive non distingui specificè à priori per ordinem ad actus, sed solùm à posteriori, tanquam per ordinem ad effectus & signa differentiæ ac distinctionis earum specificæ manifestativa; asseverantiumque, potentias intrinsecè specificari, & constitui atque distingui essentialiter à seipsis, sive per suas entitates formales, propriasque rationes, absolutè, absque ordine aut respectu ad actus & ad objecta formalia: adeò ut si potentiæ secundùm suam essentiam specificam considerentur, nequaquam ordo seu respectus ad actus primarios vel ad objecta formalia, concipiatur: his præmissis & explicatis.

Dico; *potentiæ animæ à priori specificantur ab actibus primariis, & actus ab objectis formalibus. Actus primarius potentiæ est ille, ad quem principaliter tendit.* Objectum verò formale *est id*, quod præcipuè & ratione sui attingitur à potentia vel ab actu.

Conclusio sic explicata traditur ab Aristotele satis disertè, 2. de anima cap. 4. Textu 33. ibi namque loquens de potentia intellectiva, de potentia sensitiva, & de potentia nutritiva, quæ sunt potentiæ animæ, vel intellectivæ, vel sensitivæ, vel vegetativæ: dicit nos debere priùs aggere de earum actibus, & ipsarum objectis formalibus, (nimirum de *intelligibili*, *sensibili*, & *alimento*) quàm ad cognitionem naturarum specificarum hujusmodi potentiarum perveniamus; quæ doctrina vera esse non potest, nisi dicatur, à priori potentias illas specificari ab actibus & ab objectis suis formalibus; ab actibus quidem immediatè, & ab objectis mediatè.

Verba Aristotelis sunt hæc: *Quòd si dicere*

portet, quid unumquodque ipſorum ſit; ut quia ſit intellectivum, vel ſenſitivum, vel nutritivum: antea dicendum eſt, quidnam ſit intelligere, quid ſentire; nam priores facultatibus ſunt actus & operationes, ſecundùm rationem: quòd ſi ita ſit, atque priùs etiam obiecta, quam iſta contemplari liceat; primum profectò ac illis, propter eandem cauſam; ut de alimento, de ſenſibili, de intelligibili, opus eſt determinare.

Prob. ratione fundamentali: potentias animæ à priori ſpecificari ab actibus primariis, & ab ab objectis formalibus, nihil eſt aliud, quia quidditatem ſeu eſſentiam ſpecificam potentiarum animæ non poſſe concipi, niſi per ordinem ad actus primarios; & ſpecificam quidditatem ve eſſentiam actuum percipi non poſſe, niſi per dinem ad objecta formalia; ut explicant omnes: atqui quidditas vel eſſentia ſpecifica potentiarum animæ non poteſt cõcipi, niſi per ordinem ad actus primarios; & ſpecifica quidditas aut eſſentia actuum percipi non poteſt, niſi per ordinem ad objecta formalia: ergo &c. Prob. min. exempli: neque enim, v. g. quidditas ſeu eſſentia ſpecifica potentiæ viſivæ concipi poteſt, niſi per ordinem ad *viſionem*, quæ eſt actus ejus primarius: quomodo enim poteſt Philoſophus concipere quidditatem vel eſſentiam ſpecificam potentiæ viſivæ, niſi concipiat proximum videndi principium, ubi ordo ad viſionem invenitur; proximum quippe videndi vel viſionis principium eſſentialiter importat ordinem ad viſionem: ſimiliter quidditas aut eſſentia ſpecifica actus viſionis non poteſt percipi, niſi per ordinem ad *colorem*, qui eſt illius objectum formale: quo pacto etenim poteſt Philoſophus percipere quidditatem vel eſſentiam ſpecificam actus viſionis, niſi mente percipiat cognitionem *coloris*, ubi ordo ad *colorem* reperitur; cognitio namque *coloris* eſſentialem habet ordinem ad *colorem*.

Diſtinguendum eſt ergo duplex ſpecificativum

rum cujusliber potentiæ animæ : aliud est ea-
que est specificativum intrinsecum & imme-
æque transcendentalis ordo ipsius potentiæ
ad actum suum primarium , verbi gratia po-
tentiæ visivæ ad visionis actum : aliud est spec-
ificativum extrinsecum & terminativum, eique
actus potentiæ primarius, ad quem prædictus or-
do terminatur . Similiter specificativum actus
primarii potentiæ animæ duplex est: nempe intri-
nsecum & formale, eique manifestem-
talis ordo ipsius actus primarii animæ ad obje-
ctum suum formale : aliud est extrinsecum & ter-
minativum , eique objectum formale actus pri-
marii animæ, sic v.g. specificativum intrinsecum
& formale actus visionis, est ordo transcenden-
lis ejusmodi actus ad *colorem*: specificativum
verò extrinsecum & terminativum ejusmodi actus
visionis est *colorem*, ad quod prædictus ordo
terminatur .

Imò objectum formale est simul & specificati-
vum extrinsecum immediatum actus primarii ,
& specificativum extrinsecum mediatum poten-
tiæ, ad quam pertinet ille actus: sic, v.g. *col-*
orem est simul & specificativum extrinsecum
immediatum actus visionis, & specificativum ex-
trinsecum mediatum potentiæ visivæ. Hinc di-
cunt sæpè Philosophi, potentias specificari ab
objectis formalibus, (videlicet extrinsecè & im-
diatè.)

Quæ autem diximus de potentiis animæ, & de
actibus earum primariis, dicendum similiter est
de quibuscumque aliis potentiis, & earum ac-
tibus primariis. Dicendum est nempè, quascumque
alias potentias à priori specificari à suis actibus
primariis, & hos actus primarios specificari à prio-
ri ab objectis formalibus . Imò etiam idem dican-
dum est de habitibus , & eorum actibus prima-
riis: videlicet dicendum est, habitus à priori spe-
cificari ab actibus primariis, & illos actus à priori
specificari ab objectis formalibus . Nam quandò

ad hoc, ſimilis eſt illorum omnium ratio. At primarius potentiæ ergo vel habitus ſimul eſt, causa finalis, ad quam primariò tendit potentia vel habitus; & causa formalis extrinſeca ipſius potentiæ vel habitus ſpecificativa.

Ad Majorem intelligentiam, obſervandum est rerum alias eſſe abſolutas & propter ſe, alias verò reſpectivas, ſeu ad aliquid aliud eſſentialiter ordinatas. Hinc homo, leo, & generaliter omnes ſubſtantiæ completæ ſunt aliquid abſolutum & propter ſe, quoniam eſſentialiter ad aliud extrinſecum non ordinantur, ſed duntaxat ad ſubſiſtendum in ſeipſis. At potentiæ, habitus, actus, & hujuſmodi, ſunt res reſpectivæ; quia aliud, nempè ad actum, vel ad objectum, ſunt ad aliquid aliud, eſſentialiter ordinantur. Reſpiciunt primi generis totam ſpecificationem ſuam ab intrinſeco deſumunt, nimirum à forma intrinſeca, v.g. homo totam ſpecificationem ſuam accipit ab anima rationali. At res ſecundi generis ut potentiæ, habitus, actus, &c. ſpecificantur per ordinem ad aliquid extrinſecum, ad quod ut ad finem, & ad cauſam formalem extrinſecam eſſentialiter ordinantur.

Objic.1. cauſa non ſpecificatur à ſuo effectu à priori: atqui actus potentiarum animæ ſunt ipſarum effectus; ſic intellectio eſt effectus potentiæ intellectivæ, viſio eſt effectus potentiæ viſivæ, &c. ergo &c. Min. evidens eſt. Prob.ma. explicitè. Primò: quod à priori, ab alio ſpecificatur, ab illo dependet: atqui cauſa non dependet à ſuo effectu; ſed potiùs è contra, effectus dependet à ſua cauſa; ut patet: ergo &c. Secundò, quod à priori ſpecificatur ab alio, debet eſſe eo posterius: atqui cauſa non eſt poſterior ſuo effectu, ſed potiùs è contra effectus eſt poſterior ſua cauſa, ut conſtat: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. cauſa non ſpecificatur à ſuo effectu à priori: ſi conſideretur, ut effectus eſt concedo: ſi conſideretur, ut eſt finis, (ſi-

ve

re causa finalis) ad quem interdum causa per se ordinatur, & quidem per se primò, nego: licèt autem actus primarii potentiarum animæ sint ipsarum effectus, ita tamen sunt illarum effectus, ut sint etiam finis, ad quem per se primò ordinantur, ex speciali institutione naturæ; sic v.g. intellectio, ita est effectus potentiæ intellectivæ, ut sit etiam finis, ad quem per se primò potentia intellectiva, ex suo conceptu essentiali ordinatur, ex institutione speciali naturæ. Quamvis ergo potentiæ animæ non possint specificari à suis actibus primariis, si actus isti considerentur, prout sunt effectus potentiarum animæ; possunt tamen potentiæ animæ ab actibus suis primariis specificari, si hi actus considerentur, prout sunt finis, ad quem potentiæ animæ per se primò ordinantur, ex institutione speciali naturæ.

Ad 1. prob. ma. concessa ma. distinguo min. atqui causa non dependet à *suo effectu*, &c. si effectus accipiatur, *ut est effectus*, concedo: si effectus sumatur, *prout est finis*, ad quem causa efficiens interdum per se primò ordinatur, prout *hic contingit*, nego. Ad 2. prob. ma. concessa ma. distinguo similiter mi. atqui causa non est posterior suo effectu accepto, prout est effectus, concedo: atqui causa non est posterior suo effectu sumpto, prout est finis, ad quem causa per se primò ordinatur, nego.

Instabis 1. licèt substantia creata respiciat causam efficientem, à qua facta est; & causam finalem, propter quam est producta; ipsa tamen neque à causa efficiente, neque à causa finali, specificatur: ergo similiter, quamvis potentiæ animæ respiciant suos actus primarios, propterea tamen potentiæ illæ à suis actibus primariis nequaquam specificantur.

Resp. negando paritatem: substantiæ etenim creatæ (v.g. homo, & leo) sunt entia essentialiter absoluta, & in seipsis subsistentia; ideòque specificari nequeunt per ordinem seu per respectum

ad aliud extrinſecum, cujuſmodi ſunt cauſa efficiens, & cauſa finalis: at potentiæ animæ ſunt entia eſſentialiter reſpectiva, & ad ſuos actus primarios, ſuaque objecta formalia eſſentialiter ordinata, & idcircò ab illis ſpecificantur.

Inſtabis 2. actus primarii non ſunt finis potentiarum animæ: ergo falſum eſt, potentias animæ ſpecificari à ſuis actibus primariis, tanquam à fine, ad quem per ſe primò ordinentur. Prob. ant. finis debet eſſe perfectior eo, quod eſt propter ipſum finem; ſi itaque actus primarii potentiarum animæ, eſſent earum finis, deberent eſſe perfectiores ipſis animæ potentiis: atqui actus primarii potentiarum animæ non ſunt perfectiores iſtis potentiis: ergo &c. Prob. min. effectus cauſæ principalis non eſt perfectior ipſa principali cauſa, (in hoc quippe differt cauſa principalis ab inſtrumentali, quòd effectus cauſæ inſtrumentalis ſemper eſt ipſa inſtrumentali cauſa perfectior: at effectus cauſæ principalis, vel ejuſdem perfectionis cum principali cauſa, ſi hæc ſit univoca; vel eſt imperfectior cauſa principali, ſi iſta ſit æquivoca, ſuperior, & eminentior:) atqui potentiæ animæ ſunt cauſæ principales ſuorum actuum primariorum: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. Ad cujus prob. conceſſa ma. diſtinguo mi. atqui actus primarii potentiarum animæ non ſunt perfectiores iſtis potentiis ſi illi actus primarii conſiderentur, prout ſunt quidam effectus procedentes à potentiis animæ velut à principalibus cauſis, concedo: ſi illi actus primarii ſpectentur, prout ſunt id, propter quod ipſæ potentiæ animæ ſunt à natura inſtitutæ, nego. Ad prob. min. conceſſa ma. diſtinguo iterum mi. atqui potentiæ animæ ſunt cauſæ principales ſuorum actuum primariorum: ſi actus iſti conſiderentur, prout ſunt aliqui effectus producti, concedo: ſi actus illi ſpectentur, prout ſunt id, propter quod ipſæ potentiæ animæ ſunt à natura primariò inſtitutæ, nego; ſi etenim potentiarum

rum animæ primarii actus hoc ultimo modo sumantur, potentiæ animæ non se habent ad eiusmodi actus, sicuti ad effectus, quorum sint principales causæ; sed sicut ad causam finalem, propter quam sunt præcipuè à natura institutæ.

Objic. 2. potentia intellectiva per se primò non ordinatur ad suum actum primarium: ergo nulla est ratio: cur potentia intellectiva à suo actu primario specificetur. Conseq. patet ex dictis. Prob. ant. si potentia intellectiva per se primò ad suum actum primarium ordinaretur, esset ens relativum, non verò ens absolutum; proprium siquidem entis relativi est ad aliud per se primò ordinari: atqui potentia intellectiva non est ens relativum, sed ens absolutum; cùm pertineat ad qualitatis prædicamentum, quod est ens absolutum, utpotè à prædicamento relationis distinctum: ergo &c.

Respondeo negando ant. Ad cujus prob. distinguo major. si potentia intellectiva per se primò seu essentialiter ad suum actum primarium ordinaretur, ordine seu relatione prædicamentali, esset ens relativum, non verò ens absolutum, concedo; proprium siquidem entis relativi est ad aliud per se primò ordinari ordine sive relatione prædicamentali: si potentia intellectiva per se primò ad suum actum primarium ordinaretur ordine seu relatione transcendentali, esset ens relativum, non verò ens absolutum, nego; proprium siquidem entis relativi non est ad aliud per se primò ordinari ordine seu relatione transcendentali, sed prædicamentali: licèt autem potentia intellectiva per se primò ad actum suum primarium (videlicet ad intellectionis actum) ordinetur, & per ordinem ad ipsum specificetur; hic tamen ordo non est prædicamentalis, sed transcendentalis tantùm; ita ut nihil aliud sit ordo ille, quàm entitas absoluta potentiæ intellectivæ,

prout per ſe primò tendet ad actum ſuum primarium, nempè ad intellectionis actum exercendum.

Objic. 3. potentia nequit ſpecificari, niſi ab aliquo ipſi intrinſeco; ſpecificativum quippe debet eſſe intrinſecum rei ſpecificatæ: atqui actus primarii potentiarum animæ non ſunt ipſis potentiis intrinſeci, ſed potiùs ſunt aliquid ipſis extrinſecum; ut patet: ergo &c. Simile argumentum fieri poſſet ad probandum, actus primarios potentiarum animæ non ſpecificari ab objectis formalibus, quoniam objecta formalia actuum primariorum potentiarum animæ ſunt etiam ipſis extrinſeca.

Reſpondeo diſtinguendo ma. potentia nequit ſpecificari immediatè, niſi ab aliquo ipſi intrinſeco, concedo; ſpecificativum quippe immediatum debet eſſe intrinſecum rei ſpecificatæ: potentia nequit ſpecificari mediatè, niſi ab aliquo ipſi intrinſeco, nego; non repugnat etenim, ut res reſpectiva, & ad aliud eſſentialiter ordinata, (cujuſmodi eſt quælibet potentia animæ) mediatè ab aliquo extrinſeco ſpecificetur, mediante nimirum ordine ad illud.

Quælibet igitur animæ potentia habet duplex ſpecificativum; unum immediatum, & aliud mediatum. Specificativum mediatum cujuslibet potentiæ animæ conſiſtit in actibus ejus primariis; ſpecificativum verò illius immediatum eſt tranſcendentalis ordo ejuſmodi potentiæ ad ſuos actus primarios. Specificativum ergo immediatum cujuslibet potentiæ animæ, videlicet tranſcendentalis ordo talis potentiæ ad ſuos actus primarios, debet eſſe aliquid intrinſecum ipſi potentiæ: at ſpecificativum mediatum uniuſcujuſque potentiæ animæ (ſcilicet actus ejus primarii) eſt aliquid illi extrinſecum.

Simili modo reſpondendum eſt ad argumentum, quod fieri poſſet ad probandum, actus pri-

marios potentiarum animæ non specificari ab objectis formalibus. Dicendum enim est, actus primarios potentiarum animæ non posse quidem specificari immediatè ab objectis formalibus, eò quòd hæc objecta sunt illis actibus extrinseca; at nihil impedit, ne actus primarii potentiarum animæ specificentur ab objectis formalibus mediatè, mediante nimirum transcendentali ordine illis actibus intrinseco.

Objic.4. Si potentiæ specificarentur ab actibus suis, una specie potentia elicere non posset, nisi actus unius speciei: atqui una speceie potentia potest elicère actus diversæ speciei; sic v.g. potentia intellectiva elicere potest actum scientiæ, actum fidei, & actum opinionis: similiter potentia volitiva, seu voluntas, elicere potest actum amoris, & actum odii; qui omnes actus sunt speciei diversæ: ergo &c.

Respondeo cum *distinctione*: actus quippe alicujus potentiæ possunt *dici* specie diversi, duobus modis: nempè *vel materialiter*, vel formaliter. *Dicuntur materialiter* specie diversi, si materialiter, seu entitativè distinguantur specie, adeò ut habeant entitates specie distinctas. Dicuntur verò formaliter specie diversi, si à potentia respiciantur sub diversis rationibus formalibus. Ex eo itaque, quòd potentiæ specificentur ab actibus suis, sequitur quidem, unam specie potentiam non posse elicere actus formaliter specie diversos; non repugnat tamen, unam specie potentiam elicere actus materialiter specie distinctos, dummodò eos omnes sub una ratione formali respiciat.

Et hoc modo se habet potentia intellectiva, dum elicit actum scientiæ, actum fidei, actum opinionis, & hujusmodi; quamvis etenim omnes illi actus materialiter sive entitativè differant specie; attamen à potentia intellectiva respiciuntur sub una ratione formali, videlicet, quatenus conveniunt in una communi ratione *in-*

tellectionis. Et idem dicendum eſt de potentia volitiva, ſeu de voluntate, dum elicit actum amoris, & odii actum; nam ſimiliter, licèt actus illi materialiter aut entitativè diſtinguantur ſpecie, reſpiciuntur tamen à voluntate ſub eadem ratione formali, nimirum prout conveniunt in una communi ratione *volitionis*; idemque dicendum eſt de quacumque alia potentia plures actus diverſæ ſpeciei eliciente.

Objic. 5. ſi potentiæ ſpecificarentur ab objectis formalibus, non poſſet una ſpecie potentia reſpicere plura objecta, ſed una ſpecie potentia deberet reſpicere unum duntaxat objectum, à quo ſuam ſumeret unitatem ſpecificam: atqui una ſpecie potentia poteſt plura reſpicere objecta: ergo &c. Prob. mi. exemplo potentiæ intellectivæ, quæ circa innumera objecta verſari poteſt: & exemplo potentiæ viſivæ, quæ poteſt reſpicere album, nigrum, & alia plura objecta.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi potentiæ ſpecificarentur ab objectis formalibus, non poſſet una ſpecie potentia reſpicere plura objecta formalia, concedo: non poſſet una ſpecie potentia reſpicere plura objecta materialia ſub una ratione formali, nego: quamvis autem una ſpecie potentia poſſit reſpicere plura objecta materialia ſub una ratione formali, nequit tamen reſpicere plura objecta formalia; quamvis enim potentia intellectiva circa innumera objecta verſari poſſit, circa illa tamen verſari nequit, niſi ſub una ratione formali *intelligibilis*, ſeu *veri*. Similiter poteſt quidem potentia viſiva reſpicere album, & nigrum, aliaque plura objecta, at ſub una formali ratione *viſibilis* ſive *colorati*.

Ideoque omnia, circa quæ verſatur intellectiva potentia, materialiter quidem differunt; ſive dici poſſunt diverſa objecta materialia; formaliter tamen non differunt, ſive diverſa ob-

jecta

jecta formalia non conſtituunt, quoniam conveniunt & adunantur in una ratione formali *intelligibilis*, ſeu *veri*. Et idem dicendum eſt de albo, &c. reſpectu potentiæ viſivæ; hæc enim omnia conveniunt in una formali ratione *viſibilis*, ſive *colorati*.

Objic. 6. ſi potentiæ animæ ſpecificarentur ab objectis, intellectus & voluntas non differrent ſpecie: atqui falſum eſt, intellectum & voluntatem non differre ſpecie: ergo &c. Prob. ma. ſi potentiæ animæ ſpecificarentur ab objectis, potentiæ quæ haberent idem objectum, ſpecie non differrent, ſed potiùs eſſent ejuſdem ſpecici: atqui intellectus & voluntas habent idem objectum; etenim objectum intellectus eſt *verum*, objectum autem voluntatis eſt *bonum*, quæ ſunt idem ens: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi potentiæ animæ ſpecificarentur ab objectis materialibus, intellectus & voluntas non differrent ſpecie, concedo: ſi potentiæ animæ ſpecificarentur ab objectis formalibus, intellectus & voluntas non differrent ſpecie, nego: licèt enim intellectus & voluntas habeant idem objectum materiale, nempè ens, non habent tamen idem objectum formale, quoniam verſantur circa ens ſub diverſa ratione formali; etenim intellectus verſatur circa ens ſub formali ratione *veri*, & voluntas ſub formali ratione *boni*.

Objic. 7. ſi potentiæ animæ ab objectis ſpecificarentur, non differrent ſpecie à ſuis habitibus; ſic, verbi gratia, potentia intellectiva non differret ſpecie ab habitu Phyſicæ: atqui hoc inauditum eſt: ergo &c. Prob. ma. ſuppoſito, quòd potentiæ animæ ſpecificentur ab objectis; ut potentia intellectiva, & habitus Phyſicæ, ſpecie non differant, & ſint ejuſdem ſpeciei, ſatis eſt, ut circa idem objectum verſentur: atqui potentia intellectiva, & habitus Phyſicæ, circa idem objectum verſantur: ergo &c. Mi. ex eo prob. quòd

tellectionis. Et idem dicendum eſt de potentia volitiva, ſeu de voluntate, dum elicit actum amoris, & odii actum; nam ſimiliter, licèt actus illi materialiter aut entitativè diſtinguantur ſpecie, reſpiciuntur tamen à voluntate ſub eadem ratione formali, nimirum prout conveniunt in una communi ratione *volitionis*; idemque dicendum eſt de quacumque alia potentia plures actus diverſæ ſpeciei elicente.

Objic. 5. ſi potentiæ ſpecificarentur ab objectis formalibus, non poſſet una ſpecie potentia reſpicere plura objecta, ſed una ſpecie potentia deberet reſpicere unum duntaxat objectum, à quo ſuam ſumeret unitatem ſpecificam: atqui una ſpecie potentia poteſt plura reſpicere objecta: ergo &c. Prob. mi. exemplo potentiæ intellectivæ, quæ circa innumera objecta verſari poteſt: & exemplo potentiæ viſivæ, quæ poteſt reſpicere album, nigrum, & alia plura objecta.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi potentiæ ſpecificarentur ab objectis formalibus, non poſſet una ſpecie potentia reſpicere plura objecta *formalia*, concedo: non poſſet una ſpecie potentia reſpicere plura objecta materialia ſub una ratione formali, nego: quamvis autem una ſpecie potentia poſſit reſpicere plura objecta materialia ſub una ratione formali, nequit tamen reſpicere plura objecta formalia; quamvis enim potentia intellectiva circa innumera objecta verſari poſſit, circa illa tamen verſari nequit, niſi ſub una ratione formali *intelligibilis*, ſeu *veri*. Similiter poteſt quidem potentia viſiva reſpicere album, & nigrum, aliaque plura objecta, at ſub una formali ratione *viſibilis* ſive *colorati*.

Ideoque omnia, circa quæ verſatur intellectiva potentia, materialiter quidem differunt, ſive dici poſſunt diverſa objecta materialia; formaliter tamen non differunt, ſive diverſa ob-

jecta

jecta formalia non conſtituunt, quoniam conveniunt & adunantur in una ratione formali *intelligibilis*, ſeu *veri*. Et idem dicendum eſt de albo, &c. reſpectu potentiæ viſivæ; hæc enim omnia conveniunt in una formali ratione *viſibilis*, ſive *colorati*.

Objic. 6. ſi potentiæ animæ ſpecificarentur ab objectis, intellectus & voluntas non differrent ſpecie: atqui falſum eſt, intellectum & voluntatem non differre ſpecie: ergo &c. Prob. ma. ſi potentiæ animæ ſpecificarentur ab objectis, potentiæ quæ haberent idem objectum, ſpecie non differrent, ſed potiùs eſſent ejuſdem ſpecici: atqui intellectus & voluntas habent idem objectum; etenim objectum intellectus eſt *verum*, objectum autem voluntatis eſt *bonum*, quæ ſunt idem ens: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi potentiæ animæ ſpecificarentur ab objectis materialibus, intellectus & voluntas non differrent ſpecie, concedo: ſi potentiæ animæ ſpecificarentur ab objectis formalibus, intellectus & voluntas non differrent ſpecie, nego: licèt enim intellectus & voluntas habeant idem objectum materiale, nempè ens, non habent tamen idem objectum formale, quoniam verſantur circa ens ſub diverſa ratione formali; etenim intellectus verſatur circa ens ſub formali ratione *veri*, & voluntas ſub formali ratione *boni*.

Objic. 7. ſi potentiæ animæ ab objectis ſpecificarentur, non differrent ſpecie à ſuis habitibus; ſic, verbi gratia, potentia intellectiva non differret ſpecie ab habitu Phyſicæ: atqui hoc inauditum eſt: ergo &c. Prob. ma. ſuppoſito, quòd potentiæ animæ ſpecificentur ab objectis; ut potentia intellectiva, & habitus Phyſicæ, ſpecie non differant, & ſint ejuſdem ſpeciei, ſatis eſt, ut circa idem objectum verſentur: atqui potentia intellectiva, & habitus Phyſicæ, circa idem objectum verſantur: ergo &c. Mi. ex eo prob. quòd

dum Phyſicę habitus circa objectum ſuum diſcurrit, potentia intellectiva ſimul cum ipſo Phyſicę habitu circa idem objectum verſatur ; quandoquidem habitus Phyſicæ reſidens in potentia intellectiva, circa objectum ſuum operari non poteſt, niſi potentia intellectiva ſimul cum illo circa idem objectum operetur.

Reſpondeo negando ma. licèt enim, verbi gr. potentia intellectiva, & Phyſicæ habitus, poſſint circa idem objectum materiale ſimul verſari, non tamen circa idem objectum formale ; quia quamvis circa idem verſari poſſint, non tamen ſub eadem ratione formali ; potentia quippe intellectiva verſatur circa ens mobile (quod eſt objectum habitus Phyſicæ) ſub formali ratione *intelligibilis*, ſeu *veri* in communi ſumpti ; habitus autem Phyſicæ verſatur circa ens mobile ſub præciſa & ſpeciali ratione *entis mobilis*.

Inſtabis: ſi potentia intellectiva, & habitus Phyſicæ, à ſuis objectis ſpecificarentur, habitus Phyſicæ eſſet quædam ſpecies potentiæ intellectivæ: atqui hoc abſurdum eſt & inauditum. Ergo &c. Prob. maj. ſuppoſito, quòd potentia intellectiva, & habitus Phyſicæ, à ſuis objectis ſpecificarentur, deberemus loqui, cum aliqua proportione, de habitu Phyſicæ, & de potentia intellectiva, ex una parte; & de objecto habitus Phyſicæ, ac de objecto potentiæ intellectivæ, ex altera parte: cùm itaque objectum habitus Phyſicæ ſit quædam ſpecies objecti potentiæ intellectivæ; (objectum enim habitus Phyſicæ eſt ens mobile, quod eſt quædam veluti ſpecies entis *ut fic*, quod eſt objectum potentiæ intellectivæ) dicendum eſt quoque, habitum Phyſicæ eſſe quandam ſpeciem potentiæ intellectivæ.

Reſpondeo negando ma. licèt enim objectum materiale habitus Phyſicæ ſit quædam ſpecies, aut quaſi ſpecies, objecti materjalis potentiæ intelle-

tellectivæ, quatenus objectum materiale habitus Physicæ est ens aliquod particulare, quod est quasi quædam species entis *ut sic*, quod est materiale objectum intellectivæ potentiæ: attamen formale objectum habitus Physicæ non est species objecti formalis potentiæ intellectivæ; etenim formale objectum habitus Physicæ est ens præcisè ut mobile, objectum verò formale potentiæ intellectivæ est ens *ut sic* sub ratione *intelligibilis* & *veri* absolutè & præcisè; non apparet autem, quomodo ens præcisè ut mobile, sit species entis *ut sic* sumpti absolutè & præcisè sub ratione *intelligibilis* & *veri*.

Objic. 8. si potentia visiva specificaretur ab objecto formali, potentia visiva hominis, & potentia visiva equi, essent ejusdem speciei; cùm habeant idem objectum formale, videlicet *colorem* vel *coloratum*: atqui potentia visiva hominis, & potentia visiva equi, non sunt ejusdem speciei; cùm sint proprietates naturarum specie distinctarum, nimirum naturæ humanæ, & naturæ equinæ: ergo &c.

Respondeo 1. distinguendo maj. si potentia visiva specificaretur ab objecto formali, potentia visiva hominis, & potentia visiva equi, consideratæ in ratione potentiarum essent ejusdem speciei, concedo: potentia visiva hominis, & potentia visiva equi, consideratæ in ratione proprietatum, essent ejusdem speciei, nego: nam potentia visiva hominis, & potentia visiva equi, consideratæ in ratione potentiarum, specificantur ab objecto formali; unde quia habent idem objectum formale, videlicet *colorem*, aut *coloratum*; idcircò, istæ potentiæ sic sumptæ, sunt ejusdem speciei: at potentia visiva hominis, & potentia visiva equi, consideratæ in ratione proprietatum, non specificantur ab objecto formali, sed per ordinem ad naturas, quarum sunt proprietates; unde quia naturæ illæ, videlicet humana natura, & natura equina, specie differunt, etiam potentia visiva hominis, &

po-

potentia viſiva equi, ſpectatæ in ratione proprietatum, ſpecie diſtinguuntur.

Reſpondeo 2. conceſſa maj. negando mi. quamvis etenim potentia viſiva hominis, & potentia viſiva equi, ſint proprietates naturarum ſpecie diſtinctarum, nempè naturæ humanæ, & naturæ equinæ; non ſunt tamen proprietates illarum naturarum acceptarum ſub ea ratione, ſub qua ſpecie diſſerunt, ſed potiùs ſub qua conveniunt in ſpecie ſubalterna, ſcilicet in natura ſenſitiva, ad quam potentia viſiva, potentia auditiva, & aliæ potentiæ ſenſitivæ, pertinent, tanquam proprietates.

Inſtab. ſi potentia viſiva ſpecificaretur ab objecto formali, ipſa potentia viſiva, & actus viſionis, forent ejuſdem ſpeciei; quandoquidem idem formale objectum haberent, nempè *colorem*, vel *coloratum*: atqui potentia viſiva, & actus viſionis, non videntur ejuſdem ſpeciei: ergo &c.

Reſpondeo 1. negando maj. licèt enim potentia viſiva, & actus viſionis, habeant idem objectum materiale, non habent tamen idem objectum formale; quia licèt verſentur circa *colorem* aut *coloratum*; non tamen ſub eadem, ſed ſub diverſa ratione formali; actus quippe viſionis occupatur circa *colorem* vel *coloratum*, ſub ordine immediato, & ſub formali ratione actus ſecundi; potentia autem viſiva fertur in *colorem* aut *coloratum*, ſub ordine mediato, & ſub formali ratione actus primi.

Reſpondeo 2. diſtinguendo maj. ſi potentia viſiva ſpecificaretur ab objecto formali, ipſa potentia viſiva, & actus viſionis, forent *ut quo*, vel *ut quod*, ejuſdem ſpeciei, concedo: ipſa potentia viſiva, & actus viſionis, forent *ut quod*, ejuſdem ſpeciei, nego. Explicatur. Potentia itaque viſiva, & actus viſionis, eo ſimili modo ſunt ejuſdem ſpeciei; quo humana natura, & *rationale*, ejuſdem ſpeciei dici poſſunt; etenim humana natura eſt ſpeciei humanæ *ut quod*, quoniam eſt id, quod

eſt

ipta ſpecies humana; *rationale* verò eſt ejuſ-
n ſpeciei humanæ *ut quo*, quia eſt id, quo
ſtituitur ſpecies humana: ſimili modo igitur
te:ntia viſiva eſt ſua ſpecies *ut quod*, quoniam
pſa eſt id, quod eſt ea ſpecies potentiæ, quæ
ſiwa potentia ſolet nuncupari; actus verò viſio-
s eſt ejuſdem ſpeciei *ut quo*, quia eſt id, quo,
r per ordinem ad quod, eadem ſpecies conſti-
ituur.

Objic. 9. D. Thomas 1. p. qu. 14. art. 5. ad 3.
qu. 77. art. 3. nec non 1. 2. qu. 2. art. 3. & qu. 20.
e werit. ar. 1. ad 2. & alibi ſæpè, docet, actum
ecificari à principio activo, à quo oritur: ergo
ſtus non ſpecificatur ab objecto formali. Reſ-
onideo negando conſeq. actus ſiquidem initiati-
è ſpecificatur à principio activo, velut à termi-
o, *à quo* oritur; & præterea ſpecificatur ab ob-
ctto formali, tanquam à termino *ad quem* per ſe
rimò tendit; *ſpecificatur*, inquam, completi-
è & conſummatè.

§. II.

Quot ſint genera potentiarum animæ?

Dicendum eſt, eſſe quinque genera potentia-
rum animæ; ſcilicet *vegetativum, ſenſitivum,*
intellectivum, locomotivum, & appetitivum. Hanc
eritatem tradunt diſertè Ariſtoteles in hoc 2. lib.
p. 3. textu 27. & D. Thomas ibidem lect. 5. Illam-
ue docent communiter Philoſophi. Eademque
ritas ſic ſuadetur. Cùm potentiæ animæ ſpe-
icentur, id eſt, genus & differentiam ſpecifi-
m accipiant ab actibus vitalibus; (ut probatum
t §§. præcedenti) tot debent eſſe genera poten-
rum animæ, quot ſunt actuum vitalium gene-
: atqui ſunt tantùm quinque actuum vitalium
neira, videlicet vegetatio, ſenſatio, intelle&io,
otus progreſſivus ſecundùm locum, & appeti-
o: ergo &c. Min. ex eo conſtare videtur, quòd

nullus

nullus aſſignari poteſt actus vitalis, qui ad aliquod ex quinque allatis generibus actuum vitalium non reducatur.

Objic. 1. Tria tantùm ſunt animarum genera; nempè anima vegetativa, anima ſenſitiva, & anima intellectiva ſeu rationalis: ergo ſunt etiam tria tantùm genera potentiarum animæ, videlicèt vegetativum, ſenſitivum, & intellectivum.

Reſpondeo negando paritatem: cùm enim anima ſit ipſum vitæ principium, tot duntaxat debent eſſe animarum genera, quot ſunt genera vitæ; ſunt autem tria ſolùm genera vitæ, nimirum vita vegetativa, vita ſenſitiva, & vita intellectiva ſeu rationalis, & ſic debent eſſe tria duntaxat animarum genera, ſcilicet anima vegetativa, anima ſenſitiva, & anima intellectiva ſeu rationalis: at numerus generum potentiarum animæ eſt ſumendus à numero generum actuum vitalium; ut ſuprà dicebamus: unde, quia ſunt quinque actuum vitalium genera, quæ ſuprà fuere allata, debent quoque eſſe quinque genera potentiarum animæ, non verò tria tantùm.

Objic. 2. ſunt quatuor ſolùm modi vivendi, nimirùm vegetativus, ſenſitivus, intellectivus, & loco-motivus: ergo ſunt etiam quatuor tantummodò genera potentiarum animæ. Reſpondeo negando quoque paritatem, tot enim duntaxat debent eſſe modi vivendi, quot ſunt gradus vitæ; ſunt autem quatuor ſolùm gradus vitæ, ut alibi oſtenſum eſt: at tot debent eſſe genera potentiarum animæ, quot ſunt actuum vitalium genera; quinque autem ſunt genera actuum vitalium, ut ex ſupra dictis patet.

Objic. 3. *Intellectivum* non eſt unum ex generibus potentiarum animæ; ergo non ſunt quinque genera potentiarum animæ. Conſeq.

patet

pater ex dictis. Prob. antec. debent sub-ge-
mere contineri plures species; ut docent com-
muniter Philosophi: atqui sub *intellectivo* non
continentur plures species; quandoquidem
omnes intellectivæ potentiæ, sive omnes in-
tellectus ab anima intellectiva dimanantes,
solo differunt numero: ergo &c. Respondeo
negando antec. Ad cujus prob. concessa maj.
nego min. ut enim infrà dicetur, intellectus
agens, & intellectus patibilis seu passibilis,
specie differunt, continenturque sub *intellec-*
to, sive sub intellectu in communi sumpto, sicut
species sub genere.

Objicies 4. speciale genus potentiæ ani-
mæ non debet omnibus omninò rebus con-
venire: atqui appetitivum convenit omni-
bus omninò rebus; cùm nulla sit res, quæ
bonum sibi conveniens non appetat; ergo
&c.

Respondeo *concessa maj. distinguendo min.* at-
qui *appetitivum appetitu innato, convenit* omni-
bus omninò rebus, concedo: atqui appetitivum
appetitu elicito, convenit omnibus omninò re-
bus, nego. Distinguendus ergo est duplex ap-
petitus: alius namque est appetitus innatus, &
alius elicitus. Appetitus innatus nihil est aliud,
quàm naturalis & veluti innata inclinatio cujus-
libet rei in bonum sibi conveniens; & hic appe-
titus convenit omnibus omninò rebus; nulla
siquidem res est, quæ bonum sibi conveniens ap-
petitu innato non appetat. Alius est appetitus
elicitus, qui est specialis actus vitalis, quo ap-
petens fertur in bonum cognitum seu appreh-
sum; & iste appetitus non convenit omnibus
omninò rebus, sed solis animalibus; unde ad
ipsum eliciendum aut exercendum requiritur spe-
ciale genus potentiæ, seu specialis potentia ani-
mæ; quæ *appetitus sensitivus* (in brutis) appella-
tur, & appetitus rationalis (in hominibus) seu
voluntas, nuncupatur.

Objic.

Objic. 5. appetitus ſenſitivus, & appetitus rationalis, conſtituunt duo genera potentiarum animæ: ergo ſunt ſex genera potentiarum animæ; videlicet vegetativum, ſenſitivum, intellectivum, loco-motivum, appetitus ſenſitivus, & appetitus rationalis. Prob. ant. *Senſitivum*, & *intellectivum*, conſtituunt duo genera potentiarum animæ, ut ex dictis patet: ergo pariter appetitus ſenſitivus, & appetitus rationalis, conſtituunt duo genera potentiarum animæ.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. nego paritatem; etenim ſub *ſenſitivo* & *intellectivo*, continentur plures ſpecies potentiarum animæ; nam ſub *ſenſitivo*, ſive ſub ſenſu in communi, continentur omnes ſenſus interni & externi qui ſunt ipſæ potentiæ animæ ſenſitivæ, inter ſe ſpecie diſtinctæ; ſimiliter ſub *intellectivo*, ſive ſub intellectu in communi accepto, reperiuntur duæ potentiæ animæ rationalis ſpecie differentes, videlicet intellectus agens, & intellectus patibilis ſeu paſſibilis: at ſub appetitu ſenſitivo, vel ſub appetitu rationali, nequaquam continentur plures ſpecies potentiarum animæ; quandoquidem omnes appetitus ſenſitivi ſunt ejuſdem ſpeciei, & ſimiliter omnes appetitus rationales in eadem ſpecie conveniunt, & numericè ſolùm diſtinguuntur: ut autem appetitus ſenſitivus, & appetitus rationalis forent duo genera potentiarum animæ, deberent plures ſpecies potentiarum animæ ſub illis contineri, quoniam ſub genere plures ſpecies continentur.

§. III.

§. III.

Quomodo potentiæ animæ ab ipſa diſtinguantur?

TRes ſunt circa præſentem difficultatem Philoſophorum ſententiæ. Prima ſententia, apud Thomiſtas communis, aſſerit, potentias animæ realiter ab ipſa diſtingui. Secunda ſententia, quam tuentur Scotiſtæ, aſſeverat, potentias animæ ab ipſa non diſtingui realiter, ſed ſolùm formaliter ex natura rei. Tertia ſententia docet, potentias animæ diſtingui à ſubſtantia animæ ſola ratione ratiocinata: pro qua ſententia pugnant plures Recentiores cum Nominalibus. Pro prima ſententia.

Dico: Potentiæ animæ realiter ab ejus ſubſtantia diſtinguuntur.

Prob. *exemplo animæ rationalis, hoc modo*: animæ rationalis ſubſtantia realiter diſtinguitur à ſuis potentis: ergo etiam ſubſtantia cujuslibet alterius animæ realiter à ſuis potentiis diſtinguitur, cùm non ſit major ratio de una anima, quàm de alia. Prob. ant. potentiæ animæ rationalis, vel ſunt vegetativæ, vel ſenſitivæ, vel intellectivæ: atqui ſubſtantia animæ rationalis realiter diſtinguitur à potentiis vegetativis, ſenſitivis, & intellectivis: ergo &c. Prob. min. & primò quidem, ſubſtantiam animæ rationalis realiter diſtingui à potentiis vegetativis, & ſenſitivis, ſic prob. quod eſt realiter entitativè immateriale, diſtinguitur realiter ab eo, quod eſt realiter entitativè materiale, cùm idem nequeat eſſe ſimul, & realiter entitativè immateriale, & realiter entitativè materiale: atqui ſubſtantia animæ rationalis eſt realiter entitativè immaterialis, potentiæ verò vegetativæ & ſenſitivæ ſunt realiter entitativè materiales: ergo &c. Prob. min. & primò quidem ſubſtantiam animæ rationalis eſſe realiter entitativè imma-

immaterlalem, etiam apud adverſarios, certum eſt, & ſuo loco infrà probabitur. Quòd verò potentiæ vegetativæ & ſenſitivę ſint realiter entitativè materiales, ſic declaratur: principium proximum actionis realiter entitativè materialis, debet eſſe realiter entitativè materiale; quemadmodum principium proximum actionis realiter entitativè immaterialis, eſt realiter entitativè immateriale (ut patet in intellectu qui eſt principium proximum intellectionis:) atqui potentiæ vegetativæ & ſenſitivæ ſunt principia proxima actionum realiter entitativè materialium: ergo &c. Prob. mi. potentiæ vegetativæ & ſenſitivæ ſunt principia proxima actionum vegetativarum & ſenſitivarum; ut patet: atqui actiones vegetativæ & ſenſitivæ ſunt realiter entitativè materiales: ergo &c. Prob. mi. actiones, quæ exercentur per organa realiter entitativè materialia, ſunt realiter entitativè materiales; ut perſpicuum eſt; atqui actiones vegetativæ & ſenſitivæ exercentur per organa realiter entitativè materialia; ut experientia patet: ergo &c.

Prob. etiam, animam rationalem, ſive ejus ſubſtantiam, diſtingui realiter à potentiis intellectivis. Cùm potentiæ intellectivæ ſint immediatè operativæ, (ut patet in intellectu, qui eſt immediatè intellectivus, & in appetitu intellectivo, ſeu in voluntate, quæ eſt immediatè volitiva) ſi ſubſtantia animæ rationalis eſſet realiter cum potentiis intellectivis identificata, adeò ut realiter dici poſſet potentia immediatè intellectiva; ipſa foret immediatè operativa: atqui ſubſtantia animæ rationalis non eſt immediatè operativa; cùm alibi oſtenderimus, nullam ſubſtantiam creatam eſſe immediatè operativam: ergo &c.

Reſpondent aliqui recentiores concedendo, nullam ſubſtantiam creatam eſſe immediatè operativam ad extra, ſeu operatione tranſeunte,

ſed

sed negando, nullam substantiam creatam esse immediatè operativam ad intra, seu operatione immanente: operationes autem potentiarum intellectivarum sunt ad intrà, sive immanentes.

Sed contra sic argumentor: substantia creata nequit esse immediatè operativa operatione etiam immanente: ergo nulla est illorum recentiorum responsio. Prob. ant. substantia creata nequit immediatè respicere vel attingere operationem immanentem: ergo nequit substantia creata esse immediatè operativa operatione immanéte. Conseq. liquet; neque enim potest substantia creata immediatè operari operatione immanente, nisi hanc operationem immediatè respiciat aut attingat. Prob. verò anteced. si substantia creata immediatè respiceret & attingeret operationem immanentem, ab ea specificaretur; neque etenim *ob aliam rationem, intellectus specificatur ab intellectione, nisi quia eam immediatè respicit & attingit*: ergo substantia creata nequit immediatè respicere atque attingere operationem immanentem. Prob. consequ. substantia creata nequit specificari ab actione vel operatione immanente: ergo si, ut substantia creata immediatè respiciat attingatque operationem immanentem, debeat ab ea specificari, nequit eam immediatè respicere atque attingere. Prob. anteced. substantia creata nequit specificari ab accidente Physico (seu inhærente; alioquin ab eo in sua essentia specifica penderet; quod manifestè repugnat: atqui operatio immanens (creata, de qua nunc est sermo) est accidens physicum: ergo &c. Prob. mi. si operatio immanens non esset accidens physicum, vel hoc haberet ex eo quòd est operatio, vel ex eo quòd est immanens: atqui neutrum dici potest: ergo &c. Prob. min. & in primis non potest dici; operationem immanentem non esse accidens physicum, ex eo, quòd

est

eſt operatio; nam ſi ita eſſet, omnis operatio id haberet, quod non eſſet accidens phyſicum; quod tamen eſſe falſum, evidens eſt in operationibus ſive actionibus tranſeuntibus, quæ utique ſunt accidentia phyſica ſeu inhærentia; nam, v.g. calefactio inhæret ſubjecto calefacto, frigefactio item inhæret ſubjecto frigefacto, & ita de aliis. Quod etiam dici non poſſit, operationem immanentem non eſſe accidens phyſicum, ex eo, quòd eſt actio immanens, facilè ſuadetur: nam ſi ita res ſe haberet, de omni operatione immanente dicendum foret, eam non eſſe accidens phyſicum; quod tamen conſtat eſſe falſum in operationibus ſenſuum externorum, quæ ſunt operationes immanentes, & tamen ſunt accidentia phyſica, potentiis ſenſitivis, vel earum organis, inhærentia; ut ipſi etiam adverſarii fatentur.

Objic. 1. celebre teſtimonium D. Auguſtini, Tomo 3. in lib. de ſpiritu & anima cap. 4. ubi ſic fatur: *Senſus unus eſt in anima, & quod ipſa.* Et paulò poſt: *Verumtamen propter varia exercitia variatur, & variè nuncupatur: dicitur namque ſenſus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia; & hæc omnia in anima nihil aliud ſunt, quàm ipſa: proprietates quidem diverſæ, ſed eſſentia una.* Et cap. 13. hæc rurſus ſcribit: *Anima variis nuncupatur nominibus; dicitur namque anima, dum vegetat; ſpiritus, dum contemplatur; ſenſus, dum ſentit; animus, dum ſapit; dum intelligit, mens; dum diſcernit, ratio; dum recordatur, memoria; dum vult, voluntas: iſta tamen non differunt in ſubſtantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia iſta, una anima eſt; proprietates quidem diverſæ, ſed eſſentia una.* Et infrà: *Potentiæ namque, & vires ejuſdem ſunt, quod ipſa.* Hoc teſtimonium, tanquam expreſſum, magni facit Arriaga, ipſumque maximè inculcat Mendoſa, & varias ejus explicationes refutare conatur.

De illo tamen libro ſic ait D. Thomas in q. de ſpir. creaturis ar. 3. ad 6. *Liber ille non eſt Auguſtini,*

...nadum, quòd liber iste de spiritu & ani-
Augustini, sed dicitur cujusdem Cister-
; nec est multùm curandum de his, quæ
ur". Sanè verò, librum illum non esse
ni, ex eo manifestè infertur, quòd 37.
Boetius, qui necdum natus erat in
Augustini; obiit quippe D. Augusti-
nium Domini 430. & Boetius circa an-

ID. Augustinus lib. 10. de Trinit. ca.
t.. Hæc igitur tria, memoria, intelli-
gentia; quoniam non sunt tres vitæ, sed
nec tres mentes, sed una mens; conse-
quæ nec tres substantiæ sunt, sed una
Et D. Bernardus Serm. 11. in Cantica
animam tria intueor, rationem, memo-
riam, voluntatem: & hæc tria eamdem esse

eo cum distinctione; dicendo nempè
intelligentiam, seu rationem, &
, esse unam eandemque animæ sub-
dicaliter, quatenus ab una eademque
tantia, velut à communi radice, oriun-
gando, tria illa esse unam eandemque
n animæ formaliter & realiter, ita ut
& realiter cum una eademque animæ
identificentur. Eodem modo expo-
D.. August. dum in sermone de imagi-
et: *Anima est intellectus, anima est*
anima est voluntas: (quodetiam asse-
ess 9. Ethic. c. 4. & alibi sæpè) anima
dlicaliter intellectus, memoria, &
uatenus est radix intellectus, memo-
umtatis. At anima non est formaliter
memoria, & voluntas. Quo etiam
mo-

modo explicandus eſt Iſidorus lib. 11. Etymologiarum, ubi ſic ait: *Anima dum vult, voluntas eſt dum intelligit, mens, dum recolit, memoria, dum aliquid ſentit, ſenſus*; etenim anima radicaliter vult, & eſt voluntas, non formaliter; radicaliter intelligit, & mens eſt, non formaliter; radicaliter recolit, eſtque memoria, non formaliter; & denique radicaliter ſentit, aut eſt ſenſus, non formaliter.

Obj. 2. anima per ſuam eſſentiam immediatè, abſque potentiis ſuperadditis, realiterque diſtinctis, poteſt omnes operationes vitales elicere: ergo inutiles ſunt potentiæ ſuperadditæ realiter ab anima diſtinctæ. Prob. ant. anima per ſuam eſſentiam immediatè, ſine potentiis ſuperadditis, realiterque diſtinctis, ſuas effundit proprietates: ergo etiam elicit operationes vitales.

Reſpondeo negando paritatem: ut enim anima per ſuam eſſentiam immediatè effundat proprietates ſuas, ſatis eſt, ut proprietates iſtæ ex eſſentia animæ immediatè reſultent; quod minimè repugnat; imò hæc eſt conditio quarumcumque proprietatum, ut immediatè reſultent ex eſſentia rei, cujus ſunt proprietates: at ut anima per eſſentiam aut ſubſtantiam ſuam immediatè eliceret operationes vitales, deberet creata animæ ſubſtantia eſſe immediatè operativa; quod repugnat; ut ſuprà dicebamus.

Inſtabis 1. Anima intellectiva (ſeu rationalis) non diſtinguitur realiter ab intellectu: ergo nec ab aliis potentiis ſuis, cùm non ſit major ratio de una potentia, quàm de altera. Prob. ant. ſi anima intellectiva realiter diſtingueretur ab intellectu, non intelligeret per ſeipſam, ſed per intellectum realiter ab ipſa diſtinctum: hoc autem videtur abſurdum.

Reſpondeo negando ant. ad cujus Prob. diſtinguo; concedo namque, animam intellectivam intelligere per ſeipſam radicaliter, quatenus eſt radix potentiæ proximè intellectivæ: ſed nego,

ani-

animam intellectivam intelligere per seipsam formaliter, quasi sit ipsa potentia proximè intellectiva, quæ formaliter intelligit. Neque in hac responsione ulla absurditas est.

Instabis 2. si intellectus realiter ab anima rationali distingueretur, homo propriè non intelligeret: atqui hoc dici non potest: ergo &c. Prob. ma. ut homo propriè intelligere dicatur, requiritur, ut id, à quo immediatè procedit intellectio, sit, vel homo, vel essentialis pars hominis: atqui si intellectus realiter ab anima rationali distingueretur, id, à quo immediatè in *homine* procedit intellectio, nec esset homo, nec *essentialis* pars *hominis*; quandoquidem intellectus realiter ab anima rationali distinctus, est duntaxat potentia quædam accidentalis: ergo &c.

Respondeo negando maj. ad cujus prob. nego iterum maj. *ut enim homo propriè dicatur intelligere, sufficit planè, ut intellectus propriè intelligat nomine hominis, adeò ut ab eo immediatè non procedat propriè dicta intellectio, nisi prout est intellectiva hominis potentia*; quantumvis *ipse* intellectus sit potentia accidentalis realiter distincta ab anima.

Notandum tamen est, alio modo hominem intelligere, alio modo animam rationalem, & alio modo intellectum: etenim hic homo intelligit *ut quod*; quia hic homo est suppositum, quod intelligit: anima verò rationalis intelligit *ut quo radicaliter*, quatenus scilicet est prima radix intelligendi: & tandem intellectus intelligit *ut quo proximè & immediatè*, quatenus est potentia proximè & immediatè intellectiva, qua homo intelligit.

Instabis 3. anima rationalis continet eminenter intellectionem: ergo nihil impedit, ne proximè & immediatè intellectionem eliciat; ac proinde ad hoc inutilis est intellectus realiter ab anima rationali distinctus.

Reſpondeo diſtinguendo ant. anima rationalis continet eminenter intellectionem, ad modum primæ radicis intelligendi, concedo: anima rationalis continet eminenter intellectionem, ad modum potentiæ proximè & immediatè intellectivæ, nego ant. & conſeq. quantumvis enim anima rationalis eminenter contineat intellectionem, propterea tamen non eſt proximè & immediatè operativa, ſed radicaliter tantùm, proindèque nequit operationem intellectivam, ſeu intellectionem, proximè & immediatè elicere per ſubſtantiam ſuam, ſed duntaxat per intellectum (ſeu per potentiam proximè & immediatè intellectivam) realiter ab ipſa anima rationali diſtinctum, qui ſubinde inutilis non eſt.

Inſtabis 4. ſi intellectus eſſet realiter ab anima rationali diſtinctus, ipſe intellectus independenter ab anima rationali eliceret intellectionem, neque ipſa rationalis anima ullo modo ad illam cooperaretur aut concurreret: atqui hoc dici non poteſt: ergo &c. Reſpondeo negando maj. quantumvis enim intellectus realiter ab anima rationali diſtinguatur, nequit tamen ipſe intellectus intelligere, ſeu intellectionem elicere, niſi dependenter ab anima rationali cooperante & concurrente per modum primæ radicis intellectionis.

Obji. 3. Anima rationalis non diſtinguitur realiter à voluntate: ergo neque ab aliis potentiis ſuis, cùm non ſit major ratio de una potentia, quàm de aliis. Prob. ant. ſi anima rationalis realiter diſtingueretur à voluntate, ipſa rationalis anima in actibus bonis non eſſet digna præmio, nec pœnam mereretur in actibus malis: atqui hoc apertè falſum eſt: ergo &c. Prob. maj. in actibus bonis, illud duntaxat eſt dignum præmio, quod eſt immediatum illorum actuum principium: & ſimiliter in actibus malis, illud tantummodò pœnam meretur, quod eſt immediata ejuſmodi actuum cauſa: atqui ſi anima rationalis realiter diſtin-

ſtinguerctur à voluntate, ipſa anima rationalis non eſſet immediatum actuum bonorum principium, neque immediata actuum malorum cauſa; ſed ſola voluntas realiter ab anima rationali diſtincta, foret illud principium, illaque cauſa: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. nego maj. Ad prob. ejus nego iterum maj. non modò enim in actibus bonis, illud eſt dignum præmio, quod eſt immediatum illorum actuum principium, ſed etiam quod eſt principium radicale eorumdem actuum; ſimiliter in actibus malis, non ſolùm *illud* pœnam meretur, quod eſt immediata illorum actuum cauſa, verùm etiam quod eſt ejuſmodi actuum cauſa radicalis. Quamvis autem ſola voluntas realiter ab anima rationali diſtincta ſit immediatum actuum bonorum principium, & immediata actuum malorum cauſa; attamen *anima rationalis, prout eſt radix voluntatis, eſt principium radicale* bonorum actuum, ſicut & *malorum actuum cauſa radicalis*.

Inſtabis: ſi voluntas eſſet realiter ab anima rationali diſtincta, anima rationalis nullum haberet ſupra voluntatis actus bonos vel malos dominium: atqui hoc dici non poteſt: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi voluntas eſſet realiter ab anima rationali diſtincta, anima rationalis nullum haberet formaliter ſuprà voluntatiis actus bonos vel malos dominium, concedo; revera namque formalis aut immediata ſedes dominii ſupra voluntatis actus bonos vel malos, non eſt ſubſtantia animæ rationalis, ſed ſola voluntas: ſi voluntas eſſet realiter ab anima rationali diſtincta, anima rationalis nullum haberet radicaliter ſupra voluntatis actus bonos vel malos dominium, nego maj. eo ipſo etenim, quòd anima rationalis eſt voluntatis radix, eſt quoque radix dominii, quod habet voluntas ſupra ſuos actus bonos aut malos; ideòque ipſa rationalis anima dici poteſt habere

radicaliter dominium ſupra eoſdem actus.

Ex quo inferes, quomodò anima rationalis poſſit ponere, vel non ponere ac impedire actus bonos vel malos voluntatis; poteſt quippe ponere, vel non ponere & impedire actus illos radicaliter & mediatè tantùm, mediante nimirum dominio voluntatis, cujus eſt radix.

Quòd ſi quæras, quonam modo poſſit anima rationalis excitare voluntatem à ſe realiter diſtinctam ad operandum? Reſpondeo, animam rationalem excitare voluntatem ad operandum, per naturalem ſympathiam, quæ eſt inter animam rationalem, & voluntatem; nam ob iſtam ſympathiam, eo ipſo, quòd anima rationalis inclinat ad aliquem actum, ſtatim ad illum ponendum voluntas excitatur.

Obji. 4. quæ realiter diſtinguuntur, poſſunt (ſaltem divinitùs) ſeparari; itaque ſi potentiæ animæ realiter ab ipſa diſtinguerentur, poſſent divinitùs ab anima ſeparari: atqui potentiæ animæ non poſſunt, etiam divinitùs, ab ipſa anima ſeparari: ergo &c. Prob. mi. nam ſi, v. g. potentia intellectiva divinitùs ab anima rationali ſepararetur, anima rationalis non eſſet ampliùs intellectiva, utpotè quæ careret potentia intellectiva: repugnat autem, nec divinitùs fieri poteſt, ut anima rationalis non ſit intellectiva. Præterea, ſi potentia intellectiva foret ab anima rationali ſeparata, poſſet alieno uniri ſubjecto, v. g. uniri poſſet lapidi, & ſic lapis poſſet intelligere; quod planè abſurdum eſt.

Reſpondeo negando ma. (quam non probant adverſarii, ſed ut certam ſupponunt) falſum quippe eſt, generaliter ea omnia poſſe ſeparari quæ realiter diſtinguuntur. Contingere enim poteſt, ut ex his, quæ realiter diſtinguuntur, unum dependeat neceſſariò & eſſentialiter ab alio, adeò ut unum neceſſariò & eſſentialiter cum alio connectatur, proindeque nec etiam divinitùs ſeparari ab alio poſſit; & reipſa ita contingit in po-

ten-

tentiis animæ; cùm etenim istæ potentiæ sint vitales, necessariò & essentialiter dependent à primo & radicali vitæ principio, necessariòque ac essentialiter cum illo connectuntur, sicque nec etiam divinitùs possunt ab illo separari, quamvis realiter ab eo distinguantur: anima autem est primum & radicale vitæ principium.

Objic. 5. si intellectus & voluntas essent potentiæ realiter ab invicem & ab anima rationali distinctæ, voluntas per amorem & odium ferretur in incognitum: atqui hoc dici non potest: ergo &c. Prob. ma. tunc agens censetur ferri in incognitum, quando non cognoscit objectum, in quod fertur: atqui si intellectus & voluntas essent potentiæ realiter ab invicem & ab anima rationali distinctæ, voluntas non cognosceret seu non intelligeret objectum, in quod per amorem, vel vel per odium, ferretur; quandoqnidem in ea hypothesi, realiter à potentia cognoscitiva aut intellectiva distingueretur: ergo &c.

Respondeo negando ma. ad cujus prob. distinguo ma. tunc agens censetur ferri in incognitum, quando non cognoscit objectum, in quod fertur: distinguo, inquàm: quando non cognoscit, nec per se, nec per aliud, à quo immediatè dirigatur, concedo: quando non cognoscit quidem per se, cognoscit tamen per aliud, à quo immediatè dirigitur, nego: licèt autem voluntas realiter ab intellectu & ab intellectiva aut rationali anima distincta, per seipsam immediatè non cognoscat objectum, in quod per amorem, vel per odium, fertur; ipsum tamen cognoscit intellectus, à quo voluntas immediatè dirigitur: sicut enim oculus videt pro toto animali, ita intellectus intelligit & cognoscit objecta pro toto homine, proindèque & pro voluntate.

Objic. 6. Materia prima non distinguitur realiter à sua potentia passiva, seu receptiva, (ut communiter docent Peripatetici) sed immedia-

diatè per ſeipſam patitur ſeu recipit ſubſtantialem formam: ergo ſimiliter anima non diſtinguitur realiter à ſuis potentiis activis.

Reſpondeo negando paritatem: ex eo quippe, quòd materia prima non diſtinguatur realiter à ſua potentia paſſiva ſeu receptiva, & immediatè patiatur ſive recipiat ſubſtantialem formam; non ſequitur, ut res ſpecificata, & ejus ſpecificativum, ſint in diverſis generibus; quandoquidem materia prima, & forma ſubſtantialis, quam immediatè recipit, & à qua ſpecificatur, ſunt in uno & eodem genere ſubſtantiæ: at ſi anima realiter à ſuis potentiis activis non diſtingueretur, ſed foret immediatè per ſubſtantiam ſuam activa aut operativa: etiam operatione præcisè immanente, ſubſtantia animæ ſpecificaretur ab accidente phyſico; ut ex ſuprà dictis patet; & ita res ſpecificata, & ejus ſpecificativum, non eſſent in eodem genere, ſed potiùs in diverſis planè generibus; nempè res ſpecificata foret in genere ſubſtantiæ, & ſpecificativum eſſet in genere accidentis phyſici; quod omninò repugnat.

Objic. 7. calor non diſtinguitur realiter à ſua *virtute activa*, ſed eſt immediatè per ſeipſum activus, ſive caleſactivus: ergo ſimiliter anima realiter non diſtinguitur à ſuis potentiis activis, ſed eſt immediatè per ſeipſam activa & operativa ſeu intellectiva.

Reſpondeo negando paritatem; etenim ex eo, quòd calor non diſtinguatur realiter à ſua virtute activa, ſed ſit immediatè per ſeipſum activus, ſive caleſactivus, non ſequitur, rem ſpecificatam, & ejus ſpecificativum, eſſe in diverſis generibus; ad hoc quippe ut res ſpecificata, & ſpecificativum ipſius, dicantur, apud Philoſophos, non eſſe in diverſis generibus, ſed in uno & eodem genere; eſt ſatis, ut ſi res ſpecificata eſt accidens, ſpecificativum ſit quoque accidens, & è contra: licèt autem calor non diſtinguatur

rea-

realiter à sua virtute activa, sed sit immediatè per seipsum activus, vel calefactivus; semper tamen verum est, calorem specificatum, & ejus specificativum, scilicet calefactionem, esse accidentia. At non ita est, si dicatur, substantiam animæ realiter non distingui à suis potentiis activis, sed potiùs immediatè per seipsam esse activam aut operativam; si etenim ita esset, substantia animæ immediatè & primariò respiceret actionem aut operationem suam, à qua proindè specificaretur; sicque in ea hypotesi, res specificata foret in genere substantiæ, & specificativum esset in genere accidentis; cùm actio sive operatio creata, cujusmodi est actio vel operatio animæ, sit accidens.

Objic. 8. memoria, intelligentia (seu intellectus,) & voluntas, in anima rationali, sunt imago Sanctissimæ Trinitatis, ut docent D. Augustinus lib. 1. de *Civitat. Dei* cap. 11. & D. Bernardus *Serm.* 11. *in Cantic.* ergo sicut in Sanctissima Trinitate, tres *divinæ personæ* non distinguuntur realiter ab una essentia divina: sic etiam memoria, intelligentia, & voluntas, non distinguuntur realiter ab una animæ rationalis essentia.

Respondeo concesso ant. negando conseq. memoria quippe, intelligentia, & voluntas, in anima rationali, non sunt perfecta, sed imperfecta tantùm Sanctissimæ Trinitatis imago; quæ quidem imago in hoc dumtaxat consistit, quòd sicut memoria, intelligentia, & voluntas, sunt quidem tres potentiæ distinctæ, habent tamen unam radicem communem, videlicet unam animæ rationalis essentiam: sic etiam tres divinæ personæ sunt quidem ab invicem distinctæ, habent tamen unam essentiam communem.

Obji. 9. nulla est necessitas admittendi potentias vitales realiter à substantia animæ distinctas: ergo reipsa non sunt admittendæ.

Respondeo negando ant. necessè enim est, &

ſubſtantia animæ non ſpecificetur ab accidente: ſi verò ſubſtantia animæ realiter à potentiis vitalibus non diſtingueretur, ſed immediatè per ſeipſam eliceret actiones vitales, deberet eſſe immediatè per ſeipſam activa ſeu operativa, ſicque deberet ſpecificari ab actione aut operatione ſua; quæ cùm ſit accidens, ut ex dictis patet, deberet ipſa ſubſtantia animæ ſpecificari ab accidente.

Quæres 1. quonam modo potentiæ vitales animæ producantur? Reſpondeo, potentias vitales animæ eſſe ejus proprietates; ut autem alibi explicatum eſt, proprietates per propriè dictam actionem non producuntur, ſed duntaxat per naturalem reſultantiam ex eſſentia rei, cujus ſunt proprietates; ideòque potentiæ animæ non debent per propriè dictam actionem produci, ſed per naturalem ex eſſentia animæ reſultantiam. Attamen quando potentiæ animę ita ſe habent, ut una ſubordinetur alteri; tunc potentia, quæ alteri ſubordinatur, non emanat ab eſſentia animæ immediatè, ſed mediante potentia cui ſubordinatur. Hinc voluntas non dimanat immediatè ab eſſentia animæ rationalis, ſed mediante intellectu, cui voluntas ſubordinatur, & à quo dirigitur. Similiter ſenſus externi non emanant ab eſſentia animæ ſenſitivæ immediatè, ſed mediantibus internis ſenſibus, quibus ſubordinantur.

Quæres 2. quodnam ſit ſubjectum potentiarum animæ? Reſpondeo, duo eſſe genera potentiarum animæ. Quædam enim ſunt *organicæ*, & quædam *non organicæ*. Potentiæ organicæ ſunt illæ, quę corporeis indigent organis ad exercitium ſuarum operationum; hujuſmodi ſunt, potentia viſiva, potentia auditiva, &c. Potentiæ verò non organicæ ſunt è contrà illæ, quæ ad ſuas operationes exercendas, abſolutè nullo egent organo corporeo; ejuſmodi ſunt intellectus & voluntas. Hoc prænotato.

Dico: Potentiæ non organicæ immediatè ſubjectantur in ſubſtantia animæ, non verò in organis cor-

corporeis. Hæc veritas ex eo apertè colligitur; quòd si potentiæ non organicæ in organis corporeis immediatè subjectarentur, non autem in substantia animæ; destructis organis corporeis, destrui quoque deberent potentiæ non organicæ, nec operari ampliùs possent: hoc autem falsum est; etenim dum homo moritur, omnia ejus organa corporea destruuntur, & tamen potentiæ illius non organicæ, videlicet intellectus & voluntas, non destruuntur, sed permanent, & operantur; anima quippe hominis à corporeis organis *separata vult* & intelligit.

Quantùm verò ad potentias organicas, dico in primis, eas non subjectari immmediatè in materia prima nuda; cùm enim materia prima nuda, sit subjectiva potentia substantialis, ut docent omnes Peripatetici; actus immediatè correspondens materiæ primæ nudæ, & in ea veluti in subjecto *immediatè receptibilis*, debet esse substantialis; *potentiæ autem organicæ animæ non sunt actus substantiales, sed sunt tantùm accidentia à substantia animæ realiter distincta; ut probatum est suprà.*

Præterea, potentiæ organicæ non subjectantur immediatè in anima; alioquin remanente anima, remanerent & operarentur potentiæ organicæ; & ita anima remanens post separationem à corpore, videret, audiret, & alias operationes potentiarum organicarum exerceret; quod falsum est, ut liquet. Supereſt ergo, ut potentiæ organicæ immediatè in organis corporeis subjectentur; hanc etenim ob causam maximè, *potentiæ organicæ* nuncupantur; unde quia in hominis morte pereunt omnia organa corporea, etiam omnes potentiæ organicæ destruuntur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Anima vegetativa.

EGimus ſatis de anima in communi in quæſtione præcedenti; deinde ſequitur, ut de animabus in particulari diſſeramus, & primò quidem de anima vegetativa; eſt quippe univerſalior & communior, quàm anima ſenſitiva, & anima rationalis; quandoquidem anima vegetativa convenit longè pluribus, quàm anima ſenſitiva, vel rationalis; etenim in plantis eſt anima vegetativa (ut infrà probabitur) in quibus tamen anima ſenſitiva vel rationalis minimè reperitur: eſt autem generalis omnium Philoſophorum conſuetudo, ut priùs diſputent de rebus univerſalioribus & communioribus, quàm de rebus minùs univerſalibus, minùſque communibus.

Duobus autem modis poteſt anima vegetativa definiri. In primis enim ſic definitur: *Anima vegetativa eſt actus primus ſubſtantialis corporis naturalis organici potentia vitam vegetativam habentis.* Quæ definitio explicat animam vegetativam à priori, id eſt, per id, quod in anima vegetativa prius eſt, priùſque concipitur. Secundò ſic poteſt definiri: *Anima vegetativa eſt primum & radicale vivendi* (ſeu vegetandi, id eſt nutriendi, augendi, & generandi) *principium.* Et hæc definitio exponit animam vegetativam quodammodò à poſteriori. Quæ omnia patent ex his, quæ circa præcedentis quæſtionis initium diximus.

Ex quibus infertur cum Ariſtotele 2. de anima c. 4. Textu 34. 46. & 47. ac Philoſophis communiter, tres operationes convenire animæ vegetativæ; videlicet nutritionẽ, augmentationem, & genera-

tio-

tionem. Proindèque triplex est genus potentiarum animæ vegetativæ in communi sumptæ, scilicet potentia nutritiva, potentia augmentativa, & potentia geenerativa, quæ à tribus prædictis operationibus specificantur. Hæ tamen potentiæ emanant ab anima vegetativa juxta capacitatem & dispositionem viventium. Tria autem sunt viventium genera. Quædam enim sunt viventia adeò perfecta, ut à suo simili semper expetant generari, cujusmodi sunt homo, bos, &c. Alia è contrà ita sunt imperfecta, ut semper ex *putri materia* generentur; hujusmodi sunt cu*lices*, & *vermiculi* (teste Aristotele 1. de generatione animal. c. 16.) Alia denique sunt viventia veluti media, quæ nempè interdum à suo simili, medio semine, generantur, interdum verò ex putri materia fiunt; ejusmodi sunt mures, ranæ, &c. Anima itaque vegetativa in viventibus primi & tertii generis *est radix potentiæ nutritivæ*, *potentiæ augmentativæ*, & *potentiæ generativæ*: at in *viventibus secundi generis anima vegetativa est origo potentiæ nutritivæ*, & potentiæ augmentativæ dumtaxat, quoniam viventia illa, ob imperfectionem suam, potentiæ generativæ capacia non sunt.

Circa quod notandum est, generationem esse duplicem. Alia enim est generatio vitalis, & alia non vitalis. Generatio vitalis est illa, quæ fit medio semine, quod est quædam portio viventis sibi simile generantis. Generatio autem non vitalis est ea, quæ fit sine ullo semine. Prima generatio convenit solis viventibus, & ad illam potentia generativa ab anima vegetativa dimanans destinatur. Secunda verò generatio competit non viventibus, v. g. igni alium ignem sibi similem generanti; & de ista generatione hìc non est sermo.

ARTICULUS PRIMUS.

De potentia nutritiva.

§. I.

Quid ſit potentia nutritiva.

POtentia nutritiva nihil aliud eſt, quàm vis ſeu facultas quædam animæ vegetativæ, qua unumquodque vivens tranſmutat ſubſtãtiam alimenti in ſubſtantiam ſuam, ad proprii individui conſervationem; quia enim quotidiè novæ cujuſque individui partes diffluunt, atque ab externis interniſque agentibus corrumpuntur, vel à toto ſeparantur, opus eſt, ut in unoquoque individuo vivente ſit aliqua facultas, quę hanc jacturam partium reparet, alias partes in pereuntium partium locum ſubſtituendo; alioquin, totum compoſitum brevi tempore diffflueret & corrumperetur; & hæc facultas dici ſolet *Potentia nutritiva*; de qua in primis quæritur, an ſit aliqua ſimplex qualitas in ſecunda ſpecie prædicamenti qualitatis collocanda; an potiùs ſit ipſa naturalis quatuor primarum qualitatum complexio toto ſuſa corpore?

Hoc ſecundum aſſerunt Suarez, & alii plures Recentiores; imò aliqui aſſeverant, potentiam nutritivam non diſtingui à calore naturali. Primum tamen docent communiter Thomiſtæ, cum Angelico Doctore, variis in locis, & præſertim 1. p. quæſt. 118. ar. 1. ad 3. ubi aſſerit, calorem, aliaſque primas qualitates eſſe inſtrumenta potentiæ nutritivæ, quæ proinde in illis formaliter non conſiſtit, ſed in ſimplici qualitate ſuperiori & eminentiori, quæ utitur primis qualitatibus tamquam inſtrumentis, ad convertendum alimentum in ſubſtantiam *viventis*. Idem ſimilibus verbis dicit Ariſtoteles lib. 2. de Generat. Animal. cap. 4. ſub finem.

Prob.

Prob. etiam ratione fundamentali. Cùm potentia nutritiva sit proprietas animæ vegetativæ consideratæ, prout distinguitur à formis substantialibus mixtorum inanimatorum, debet ipsa potentia nutritiva emanare ab anima vegetativa, prout est ab ejusmodi formis distincta: atqui complexio quatuor primarum qualitatum (videlicet caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis) non emanat ab anima vegetativa, prout est à formis substantialibus mixtorum inanimatorum distincta; imo potiùs emanat ab anima vegetativa, prout ipsa cum substantialibus formis mixtorum *illorum* convenit; quandoquidem anima vegetativa non est radix complexionis quatuor primarum qualitatum, nisi prout est substantialis forma mixti talem complexionem connaturaliter exigentis: ergo &c. Denique, sicut nutritio est actio ex sua natura *vitalis*, *ita potentia nutritiva* (*quæ est proximum nutritionis principium*) debet *esse ex sua natura absolutè vitalis*; *complexio autem quatuor primarum qualitatum* non est *aliquid ex sua natura absolutè vitale*; quandoquidem complexio illa absolutè reperitur etiam in mixtis non viventibus & inanimatis.

Ex quibus inferes, calorem in vivente non esse potentiam nutritivam: tum quia calor non emanat ab anima, prout est distincta à formis substantialibus mixtorum inanimatorum, sed potiùs prout cum illis convenit; cùm anima non sit radix caloris, & aliarum primarum qualitatum, nisi prout *est substantialis* forma mixti illas qualitates *connaturaliter* postulantis: tum etiam, quia calor in *vivente* non est ex sua natura absolutè vitalis, quandoquidem absolutè est ejusdem naturæ & speciei cum calore, qui in aliis mixtis non viventibus & inanimatis invenitur: tum denique, quia quædam viventia maximè pollent potentia nutritiva, in quibus tamen non nisi languidus est calor, imò prædominatur, aut saltem prædominari videtur frigiditas; *ut patet in arboribus, piscibus,*

&

& aliis ejuſmodi viventibus ad frigiditatem declinantibus ; potentia ergo nutritiva eſt in viventibus aliquid realiter à calore naturali diſtinctum .

Dices 1. Ariſtoteles 2.de anim. cap.4. text.50. ait, concoctionem, ſeu digeſtionem, fieri à calore: ergo cùm concoctio, ſeu digeſtio, fiat à potentia nutritiva, cenſet Ariſtoteles, calorem in vivente eſſe potentiam nutritivam .

Reſpondeo diſtinguendo antec. concedo namque, concoctionem, ſive digeſtionem, fieri à calore naturali, ſicut ab inſtrumento potentiæ nutritivæ ; ſed nego, concoctionem, vel digeſtionem, fieri in vivente à calore naturali, ſicut ab ipſa potentia nutritiva, quæ eſt principalis cauſa nutritionis .

Et eodem modo exponendus eſt Philoſophus, dum in lib. de ſenſu & ſenſato, cap. 4. & lib. 3. de partibus animal. cap. 6. dicit, augmentationem fieri à calore naturali : etenim augmentatio fit à calore naturali ſicut ab inſtrumento potentiæ augmentativæ, non autem ſicut ab ipſa augmentativa potentia .

Dices 2. Complexio quatuor primarum qualitatum *præſtat* officium potentiæ nutritivæ : ergo inutilis eſt potentia nutritiva, à complexione quatuor primarum qualitatum diſtincta . Prob. ant. proprium officium potentiæ nutritivæ eſt diſponere materiam alimenti ad recipiendam animam *viventis* : atqui complexio quatuor primarum qualitatum hoc officium præſtat : ergo &c. Prob. mi. tunc enim maximè diſponitur materia alimenti ad recipiendam animam viventis, quando in ipſam introducitur complexio quatuor primarum qualitatum ſimilis illi, quæ eſt in vivente; ſola autem complexio quatuor primarum qualitatum, quæ eſt in vivente, videtur poſſe ſibi ſimilem complexionem introducere in materiam alimenti .

Reſpondeo negando ant. licèt enim complexio

qua-

quatuor primarum qualitatum, quæ est in *vivente*, disponat materiam alimenti, modo in instantia explicato, ad recipiendam animam *viventis*; hoc tamen officium non præstat ut causa principalis, sed tantùm ut instrumentum potentiæ nutritivæ.

Dices 3. si potentia nutritiva uteretur complexione quatuor primarum qualitatum *viventis* ad nutritionem exercendam, unum instrumentum uteretur alio instrumento; quandoquidem potentia nutritiva *est duntaxat* quoddam animæ *instrumentum* : atqui unum instrumentum non *potest uti alio instrumento*, alioquin in instrumentis daretur in infinitum processus : ergo &c.

Respondeo negando ma. licèt enim potentia nutritiva possit dici aliquo modo instrumentum, per respectum ad nutritionem exercendam, quatenus *est veluti virtus instrumentaria*, qua anima, *tanquam proximum vivendi principium*, *utitur ad nutritionem exercendam*; reverà tamen *potentia nutritiva* exercet nutritionem, *ut causa principalis*, & similiter omnes potentiæ vitales eliciunt proprias actiones, ut causæ principales.

Dici tamen posset, quòd quamvis unum instrumentum non possit uti alio instrumento, quando ambo sunt ejusdem ordinis; minimè tamen repugnat, ut unum instrumentum utatur alio instrumento, cùm unum est superioris ordinis, & aliud ordinis inferioris : hoc patet in manu, quæ utitur penicillo velut instrumento ad pingendam tabellam, eo quòd manus est instrumentum vivum, utpotè animæ conjunctum, & ita est ordinis superioris ordine mortuo, ad quem pertinent penicillus, & alia instrumenta separata. Potentia verò nutritiva est ordinis superioris eo, ad quem pertinet quatuor primarum qualitatum complexio; quandoquidem potentia nutritiva est ex sua natura ordinis vitalis,

non

non autem complexio quatuor primarum qualitatum; ut ex dictis patet.

Dices 4. potentia nutritiva diverſiſſimos producit effectus, præſertim in animali; etenim in ſtomacho producit chylum, in jecore producit ſanguinem, & in aliis partibus efficit nervos, oſſa, carnem, &c. atqui hæc diverſitas effectuum potentiæ nutritivæ nequit explicari, niſi dicatur, potentiam nutritivam conſiſtere in temperamento ſeu complexione quatuor primarum qualitatum; quæ complexio in ſtomacho, in jecore, & in aliis partibus animalis diverſiſſima eſt: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. quamvis enim potentia nutritiva in animali non conſiſtat in temperamento aut complexione quatuor primarum qualitatum, ſed in ſimplici qualitate activa; attamen in diverſis partibus animalis diverſos præſtat effectus, propter diverſam earum diſpoſitionem.

§. II.

De Cibo & Potu.

CIbus & potus communi nomine vocantur *Alimentum*. Alimentum verò deſcribitur à Plutarcho: *Remedium famis*. Definitur autem à Medicis: *Corpus mixtum, quod calore naturali alteratum & victum, verti poteſt in ſubſtantiam viventis*. Definitur verò à Philoſophis: *Subſtantia mixta, poteſtate vivens, viventi partim ſimilis, & partim diſſimilis*. Explicatur hæc ultima alimenti definitio. Alimentum itaque in primis dicitur *ſubſtantia*; quia alimentum converti debet in ſubſtantiam viventis, accidens autem nequit (ſaltem naturaliter) in ſubſtantiam converti; tum etiam, quia per alimentum debent deperditæ partes ſubſtantiæ viventis reparari; nequeunt verò deperditæ partes ſubſtantiæ viven-

ventis per aliquod accidens reparari. Dicitur secundò, alimentum debere esse *substantiam mixtam*; quoniam debet esse proportio inter *vivens*, quod nutritur, & alimentum, quo nutritur; ideòque sicut *vivens* est substantia mixta, ita etiam alimentum sit substantia mixta necesse est; hinc est commune effatum: *Elementum non est alimentum*. Dicitur tertiò, alimentum debere esse substantiam mixtam *potestate vivens*; quoniam alimentum debet posse converti in viventia *vivens*. *Dicitur* denique, alimentum debere *esse* viventi partim simile, (quoniam nisi alimentum foret aliquo modo simile *vivens*, esset venenum) & partim dissimile (quia *vivens* agere debet in alimentum, ut ipsum in substantiam suam convertat; ex communi autem axiomate: *Simile non agit in simile, sed in id, quod est aliquo modo dissimile*.)

Dices 1. *potest homo nutriri speciebus Eucharisticis; ut docet D. Thomas 3. p. q. 77. art. 6.* ergo, cùm *species Eucharisticæ* sint accidentia, *potest accidens* esse alimentum.

Respondeo distinguendo ant. potest homo nutriri modo supernaturali speciebus Eucharisticis, concedo: potest homo nutriri modo naturali speciebus Eucharisticis, nego ant. & distinguo pariter consequens: ergo, cùm species Eucharisticæ sint accidentia, potest accidens modo supernaturali esse alimentum, quatenus, ut est virtus substantiæ, potest modo supernaturali in substantiam *viventis* converti, concedo: potest accidens modo naturali esse alimentum, nego. Dici etiam potest, alteratis speciebus Eucharisticis per calorem naturalem *viventis*, desinere corpus Christi ibi esse, & statim creari vel redire divinitùs substantiam panis, qua homo solet nutriri. Hanc solutionem tradit Angelicus Doctor in 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 2. quæst. 5. ad 2. ubi sic ait de accidentibus Eucharisticis:

cis : *Dicendum, quòd accidentia manentia in ſuo eſſe accidentali non nutriunt; ſed eo modo, quo in aliud convertuntur, vel aliud ſub eis creatur, vel redit.*

Dices 2. homo nutriri poteſt odoribus; & hanc ob cauſam, coqui cibo parciori utuntur : ergo cùm odores ſint accidentia, poteſt accidens eſſe alimentum. Reſpondeo negando ant. neque enim coqui, & ſimiles homines, nutriuntur odoribus, ſed ſubſtantiis odoriferis, quæ in tenues halitus exhalatæ, ab ipſis aſpirando trahuntur, quæque per nutritionem in eorum ſubſtantiam convertuntur.

Dices 3. Ariſtoteles 5. de hiſt. animal. cap. 19. & Plin. lib. 11. nat. hiſt. cap. 36. narrant, in ærariis Cypri fornacibus pennatas quaſdam beſtiolas, quæ *Pyrauſtæ* vocantur, muſcis grandibus paulò majores, per ignem volitare, in eoque naſci & vivere, adeò ut moriantur, ſi longiùs paulò ex eo evolaverint; proindèque ignis eſt illarum beſtiolarum alimentum : ergo elementum ignis poteſt eſſe alimentum. Reſpondeo negando, pyrauſtas naſci & vivere in ipſo igne; vivunt enim pyrauſtæ, non igne, ſed circa ignem, nutriunturque vaporibus metallorum, quæ in præfatis fornacibus coquuntur. Et quod de pyrauſtis diximus, ſimili modo de ſalamandra dicendum eſt.

Dices 4. Plantæ, lupi interdum, talpæ, & quidam ſerpentes, terra nutriuntur; ac ſubinde terræ elementum eſt eorum alimentum : ergo aliquod elementum poteſt eſſe alimentum. Reſpondeo diſtinguendo ant. plantæ, lupi interdum, talpæ, & quidam ſerpentes terra nutriuntur : diſtinguo, inquam : terra impura, id eſt, quibuſdam aliis ſubſtantiis, verbi gr. ſtercoribus, permixta, concedo : terra pura, nego. Et diſtinguo ſimiliter conſequens : ergo aliquod elementum impurum, & aliis ſubſtantiis permixtum, poteſt eſſe alimentum, concedo. ergo

ergo

go aliquod elementum purum potest esse alimentum, nego.

Dices 5. chamæleon solo aere nutritur; de eo enim sic ait Plin. lib. 8. cap. 33. *Solus animalium, nec cibo, nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento*: quod etiam asserit Tertullianus in lib. de Pallio: ac proinde solus aer est chamæleontis alimentum: ergo aliquod elementum potest esse alimentum.

Respondeo 1. distinguendo ant. chamæleon solo aere impuro nutritur, esto ant. chamæleon solo aere puro nutritur, nego ant. & distinguendum est simili modo consequens: ergo aliquod elementum impurum, & aliis substantiis permixtum, potest esse alimentum, concedo: ergo aliquod elementum purum & non permixtum potest esse alimentum, nego.

Respondet 2. Julius Scaliger *exercit. 196.* in Cardanum, Chamæleontem *vivere & nutriri* muscarum *aucupio; refertque Joannem Landium* asserentem, *se chamæleontem habuisse, qui* exerta *repentino & citissimo motu lingua* muscam *rapuit & devoravit.*

Dices 6. struthio-camelus coquit ferrum, quod proinde est ejus alimentum: ergo alimentum potest esse omninò dissimile viventi. Respondeo negando antec. licèt enim vulgò dicatur, struthionem coquere ferrum, id tamen non probatur; si etenim struthio sorbet quædam ferri ramenta, illa non coquit, sed duntaxat assumit ea ad cibos comprimendos, ut faciliùs coquantur; sicut ob eundem finem, aves quædam utuntur lapillis. Dici etiam potest, struthionem sorbere quandoque ferri ramenta in pharmacum quoddam; eo simili modo, quo homines interdum sorbent aurum, gemmasque in pharmacum.

Dices 7. nutriuntur viperæ scorpionibus, sturni cicuta, anates bufonibus, & gallinæ arancis; Mithridates Rex Ponti nutritus fuit veneno; &

& fœmina quædam apud Coloniam Agrippinam araneis victitavit, magna cum delectatione; ut refert B. Albertus Magnus. Narratur etiam de quodam Rege Cambajæ, ab ipſo fuiſſe educatum veneno filium, qui poſteà adeò venenoſus fuit, ut muſcæum aculeo pungentes interierint. Ex quibus omnibus infertur, alimentum non debere eſſe viventi & comedenti ſimile atque conveniens.

Reſpondeo, ſcorpiones reſpectu viperarum, cicutam reſpectu ſturnorum, buſones reſpectu anatum, & araneos reſpectu gallinarum, eſſe ſimile & conveniens alimentum; in ipſis quippe temperamenti diverſitas præſtat, ut quæ aliis ſunt venena, ipſis ſimilia ſint & convenientia alimenta; hinc vinum febricitantibus eſt venenum, & ſanis conveniens alimentum.

Prætereà, conſuetudinis tanta vis eſt, ut ipſa etiam venena reddat allmenta convenientia: ut contigit in Mithridate Rege, qui ſæpiùs ſumendo venenum in parva quantitate, ita ipſi aſſuevit, ut eo bis hauſto interire nequiverit, dum à Romanis obſeſſus, mallet ſe morti quàm eorum tradere poteſtati: ut refert Galenus lib. 2. de Antidotis cap. 52. & aſſerit Plinius lib. 25. nat. hiſt. & idem dicendum eſt de præfata fœmina Colonienſi, ſicut & de filio Regis Cambajæ.

Poteſt quoque fieri, ut, propter ſoli & Cœli diſſimilitudinem, quæ ſunt in uno loco venena, ſint in alio alimenta convenientia; ſicut de malo Perſico refert Columella, quod in nativo ſolo, nempè in Perſide, venenoſum eſt, & in Europa venenum omne deponit: hinc Perſæ adverſus Romanos bellantes, malum Perſicum in pluribus Italiæ locis inſeruerunt, ut hoſtes illius arboris fructu veſcentes, tanquam veneno præſentiſſimo interirent; ſed contrarium contigit, quia fructus, ob ſoli Cœlique diſſimilitudinem, noxias qualitates in ſuaves mutavit, & exhauſto

omni

omni veneno, gratissimum gustui succum exhibuit.

Alimentum autem differt à medicamento & veneno, in eo, quòd alimentum sit debilius vivente, (ex quo fit, ut alimentum à vivente vincatur, & in ipsius substantiam vertatur) medicamentum verò & venenum sint vivente fortiora; exquo fit, ut plus in ipsum *vivens* agant, quàm ab eo patiantur; cum hoc tamen discrimine, quòd medicamentum producat in vivente qualitates amicas, venenum verò qualitates inimicas. *Eadem substantia potest esse alimentum, medicamentum*, & venenum, sub diverso respectu; hinc vinum est alimentum sanis, medicamentum senibus, & venenum febricitantibus. Ut autem docet Aristoteles 2. de anim. cap. 4. dividitur alimentum in remotum, seu indigestum; & proximum, seu digestum. Alimentum remotum, sive indigestum, *est illud, quod* ore sumitur. Alimentum verò proximum, sive digestum, est illud, quod jam *præparatum* est, & proximè dispositum, ut *in viventis* substantiam convertatur.

Potus solet definiri: *Substantia mixta, frigida & humida*: ita colligitur ex 3. cap. lib. 2. de anima; ubi Philosophus sitim definit: *Desiderium frigidi & humidi*: sitis verò est desiderium potus. Nec dicas, vinum esse potum, & tamen esse calidum: *licèt* enim vinum sit virtualiter calidum, *quatenus habet* virtutem effectricem *caloris in ventriculo; est* tamen formaliter frigidum, *ut* patet ad sensum, dum potatur. Potus autem quadruplex commodum confert. In primis enim concoctionem in ventriculo juvat. Secundò inservit ad eliciendum utilem ex alimento succum, dum omnes alimenti partes quoquo versum permeat: nam sicut aqua calida efficit, ut tritis olivis, oleum ab amurca facilius secernatur; ita potus præstat, ut succus alimentitius ab excrementis facilius separetur.

Ter-

Tertiò inſervit potus ad vehendum alimentum, viam ei aperiendo per meatuum flexus. Quartò tandem utilis eſt potus ad temperandum ſanguinis fervorem, & aridicatem membrorum tollendam, nec non ad impediendam humidi naturalis conſumptionem.

§. III.

De fame & ſiti.

CUm animalia conſtent calido, ſicco, humido, & frigido, & hæc quatuor continuò fluant; provida ſolerſque natura animalibus famem ſitimque providit, ut ad illa quatuor reparanda moveantur. Famem quidem dedit, qua animalia calidum ſiccumque appetant; ſitim verò, qua frigidum humidumque procurent. Fames autem definitur à Platone 4. de Republica: *Appetentia cibi*. Ab Ariſtotele verò 2. de anim. cap. 3. definitur: *Appetitio calidi & ſicci*: licèt enim cibus, cujus fames eſt appetitio, ſit interdum frigidus, (ut patet in lactucis, & peponibus) non debet tamen eſſe frigidior, ſed debet moderatum habere calorem; tum quia alioquin in fame, calidum deperditum non repararet cibus; tum etiam quia ventriculum læderet, & facilè coqui non poſſet. Debet etiam cibus eſſe ſiccus, facta comparatione ad potum; quia cùm cibus debeat eſſe ſolidior potu, debet etiam eſſe ſiccior. Sitis autem definitur à Platone, loco citato; *Appetentia potus*. Et ab Ariſtotele loco item citato: *Appetitio frigidi & humidi*. Etenim ſitis eſt appetitio potus, potus verò eſt frigidus & humidus; ut patet ad ſenſum.

Quantùm ad cauſas famis & ſitis. Certum eſt, famem oriri ex defectu alimenti, ſitim verò ex defectu potus. Quòd ſi aliquando adſint alimentum & potus, & tamen fames ſitiſque perſeve-

verent, id ex eo provenit, quòd quandoque ex prava corporis dispositione, effectus alimenti potusque impeditur; ut contingit in his, qui fame canina laborant, & in hydropicis. Qua ratione autem ex defectu alimenti & potus fames sitisque excitentur, non omnes eodem modo explicant. Galenus lib. 1. de causis symptomatum cap. 7. & cum eo Medici communiter existimant, quinque potissimùm ad famem concurrere. Primum est membrorum exinanitio, ob defectum alimenti. Secundum est tractio quædam partium corporis ab invicem facta, à vi naturali, qua *ipsæ* corporis partes traherent alimentum, si adesset: unde tractio illa ab extremis partibus corporis ad usque stomachum, qui communis officina est, continuata, quandam in ipso stomacho divulsionem efficit, cum acri quodam morsu; & hoc est tertium, quod ad famem concurrit. Quartum est sensus talis *divulsionis*, & apprehensio *illius ab imaginatione*. Quintum tandem est *appetentia cibi ab appetitu sensitivo*, qui ut *vitæ totius viventis consulat*, fertur *in* externum *alimentum*, quo præsenti malo succurratur.

Sitis verò hoc fit modo. Cùm succus ille, quem potus invehit, defecit, sive ordinaria consumptione, sive dissolutione ab æstu, vel balneis, sive ex jecoris & lienis intemperie, sive febris ardore, sive esu cibi salsi, sive tandem meracioris vini assumptione; inarescunt membra, & fit tractio similis ei, quæ in fame contingit, *vellicans ventriculum*, & fauces plus æquo exsiccans; unde oritur dolor, cum appetitione potus.

Fames autem duplex est, una naturalis, altera animalis. Fames naturalis est appetitio alimenti, etiam sine sensu doloris; quæ fames reperitur in plantis. Fames verò animalis est ea, quæ in solis animalibus invenitur; estque illa, quæ suprà à nobis definita est. Dum famelicus

satis

ſatis manducavit, ſedatur fames animalis, nondum tamen ſedatur fames naturalis, ſed tantùm dum incipit alimentum converti in ſubſtantiam *virentis*. Sitis pariter duplex eſt : nimirum naturalis una, animalis altera. Sitis naturalis eſt appetitio potus, etiam ſine doloris ſenſu, qualis reperitur in plantis nimiùm exſiccatis. Sitis animalis ea eſt, quæ ſolis animalibus convenit, quamque ſuprà definivimus.

§. IV.

De Nutritione.

CIrca nutritionem occurrit in primis opinio Magiſtri ſententiarum, Petri Comeſtoris ejus fratris, Hugonis à S. Victore, & aliorum exiſtimantium, nihil alimenti tranſire in ſubſtantiam hominis; ſed quidquid pertinet ad veritatem humanæ naturæ, totum fuiſſe in Adamo, à quo derivatum ſit in totum genus humanum, & in ſingulos homines longa generationum traductione minutim diſtributum; alimentum verò ſolùm requiri & prodeſſe ad fovendum nutriendumque calorem naturalem.

Hæc tamen doctrina communiter rejicitur. Nam in primis, alimentum converti in ſubſtantiam hominis, experientia patet; videmus enim quotidiè, humana corpora, nutritionis beneficio, fieri vegetiora, & corpulentiora; ſubtracto autem alimento, extenuari, & paulatim perire : hoc verò non ita contingit, niſi quia alimentum vertitur in humani corporis ſubſtantiam. Deinde, cùm calor naturalis continuò conſumat partes humidiores corporis humani, non ſecus ac flamma lampadis oleum; niſi per nutritionem, ex alimento converſo ſubrogarentur novæ partes, humanum corpus tandem deſiccaretur & periret.

Quod autem dicunt authores hujus ſententiæ, nem-

nempè, quidquid pertinet ad veritatem humanæ naturæ, totum fuiſſe in Adamo, & derivatum fuiſſe in ſingulos homines, qui extitere ab Adamo uſque ad præſens tempus, fuiſſeque in omnes & ſingulos homines minutim diſtributum, videtur incredibile; quis etenim ſibi perſuadeat, modicam Adami ſubſtantiam potuiſſe in tot homines dividi & diſcerpi, qui ab initio mundi ad hanc diem vaſtiſſimas terras non modò implent, ſed propemodùm onerant? Neque poteſt dici, modicam Adami ſubſtantiam in omnes homines diffuſam creviſſe, & auctam ac multiplicatam fuiſſe per rarefactionem; eo ſimili modo, quo modicum thuris rareſcendo creſcit, augetur, & multiplicatur in fumum implentem domum: hoc, inquam, dici non poteſt; ſi enim ita eſſet, ſequeretur, hominum, qui nunc vivunt, ſubſtantiam eſſe præ omni aere tenuem & raram, utpotè quæ ab initio mundi rarefacta fuiſſet; quod ſanè abſurdum eſt.

Objic. 1. ex Magiſtro ſentent. illa Salvatoris verba Matthæi 15. *Omne quod in os intrat*, (id eſt, omne alimentum) *in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*: ſi ergo totum alimentum, quod ore ſumitur, in ſeceſſum abeat, nihil de ipſo alimento in ſubſtantiam hominis commutatur.

Reſpondeo ex D. Thoma in 2. diſt. 30. ad 1. & 1. p. q. 119. a. 1. ad 1. illam particulam, *omne*, non debere intelligi in ſenſu integrali, (ita ut ſenſus ſit, alimentum, quod ore ſumitur, in ſeceſſum emitti ſecũdùm omnes partes ſuas integrales) ſed in ſenſu univerſali incompleto; ita ut ſenſus ſit, quòd de quolibet alimento univerſaliter ſumpto, aliquid impurum per ſeceſſum emittatur. Et hæc explicatio videtur ab ipſo Chriſto Salvatore indicari Marci 7. his verbis: *Omne extrinſecùs introiens in hominem, in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas*. Idque eſt juxta propoſitum Chriſti, qui ut probaret alimenta non inquinare hominem, dicit, illa in ſeceſ-

ſecellium emitti, videlicet quantùm ad partes impuriores, ex quibus aliqua corporalis inquinatio contrahi videretur.

Objic. 2. D. Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad litteram c. 19. aſſerit, nos fuiſſe in Adamo, *& ſecundùm ſeminalem rationem, & ſecundùm corpulentam ſubſtantiam*: per *corpulentam* verò *ſubſtantiam*, nihil aliud intelligere poteſt D. Auguſtinus, præter ſubſtantiam corporis noſtri, quæ proinde tota in Adamo fuit.

Reſpondeo 1. D. Auguſtinum per *corpulentam ſubſtantiam* intelligere ſubſtantiam illam corpoream, in qua reſidet & ſubjectatur ratio ſeu virtus ſeminalis noſtrorum corporum formatrix. Vult ergo ſolùm D. Auguſtinus, nos fuiſſe ſive noſtra corpora præextitiſſe in Adamo virtualiter, ratione ſeminis, quo ſemine deciſo ab Adamo omnia corpora noſtra immediatè, vel mediatè formantur; quodque duo includit, videlicet corpulentam ſubſtantiam, & ſeminalem virtutem.

Reſpondeo 2. diſtinguendo: concedo quippe, totam corporum noſtrorum ſubſtantiam in Adamo fuiſſe; at non formaliter, ſed virtualiter tantùm, velut in origine & cauſa.

Objic. 3. Calor naturalis continuò non conſumit partes humani corporis: ergo nulla eſt neceſſitas converſionis alimenti in corpus hominis comedentis, ut deperditæ illius partes reparentur. Conſeq. patet ex dictis. Prob. ant. ſi calor naturalis continuò conſumeret partes humani corporis, fieri tandem poſſet, ut corpus humanum, v. g. Petri, nihil prorſus haberet de Adamo: atqui hoc dici non poteſt; alioquin Petrus dici non poſſet Adami filius, & ex illo propagatus: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. nego ma. quantumvis enim calor naturalis continuò conſumat partes humani corporis; quia tamen aliæ ſuccedunt, & in partium deperditarum locum ſubrogantur; adeò ut componant idem numero

mero corpus humanum, quod anteà erat; sicut anteà corpus humanum Petri, v. g. erat ex Adamo propagatum, adeò ut Petrus verè diceretur Adami filius; ita corpus humanum ejusdem Petri, post novarum partium subrogationem, per alimenti conversionem, verè semper dici potest ex Adamo propagatum, ipseque Petrus verè Adami filius semper dici potest.

Objic. 4. Puer, qui statim post ortum moritur, in illa statura resurget, quam habuisset, si usque ad ætatem triginta annorum vixisset; ut communiter traditur: unde ergo (inquit Magister Sent.) illa substantia, quæ adeò parva fuit in ortu, in resurrectione tam magna erit, nisi per sui multiplicationem in se, absque alimenti conversione? ergo similiter si puer ille diutiùs vixisset, ejus substantia aucta fuisset per miriolam ipsius multiplicationem in se, sine alimenti conversione. Quo etiam modo crevit costa, de qua *prima mulier facta est*; (ut legitur Genes. *cap.* 2.) Quo item modo crevere quinque panes Evangelici (ut habetur Joannis 6. cap.)

Respondeo negando paritatem: si etenim puer statim post ortum moriatur, non est ampliùs capax augmenti per conversionem alimenti; unde non est mirum, si statura, in qua resurget, non fuerit aucta per alimenti conversionem, sed per miraculosam multiplicationem in se: quo etiam modo crevere costa, de qua prima *mulier facta est*, & quinque panes Evangelici: at si homo statim post ortum non moriatur, sed diu vivat, capax est nutritionis & augmenti per conversionem alimenti; ideòque reipsa nutriri & augeri debet per alimentorum conversionem in propriam substantiam & quantitatem.

Objic. 5. Si alimentum in substantiam viventis verteretur, & per ipsum repararetur deperdita *viventis* substantia; sequeretur, posse *vivens* per-

petuò ſubſtantiam ſuam reparare, ſicque contra mortem ſe ſemper tueri,; quod dici nequit.

Reſpondeo negando ſequelam: etenim calor naturalis,nutritioni &deperditę viventis ſubſtantiæ reparationi deſerviens, cùm repatiatur ab alimento, paulatim debilitatur, & tandem ad eum devenit ſtatum, ut parum ex alimento convertere poſſit, & demùm nihil; tuncque naturaliter ſequitur mors.

Certum igitur eſt apud Philoſophos & Theologos communiter, alimentum verè per nuttitionem converti in ſubſtantiam *viventis*: ſicut enim ignis calefaciendo & comburendo lignum, paulatim in ipſum inducit diſpoſitiones neceſſarias ad ipſius in ignem converſionem: ita facultas ſeu potentia nutritiva, medio calore naturali coquendo & digerendo alimenta, paulatim introducit diſpoſitiones ad ipſorum in ſubſtantiam *viventis* & comedentis converſionem requiſitas: fit autem hæc converſio, quatenus materia alimentorum per illas diſpoſitiones præparata, tranſit à forma, vel à formis alimentorum, ad formam aut animam *viventis*, eaque informatur vel animatur.

§. V.

Quomodo, & quonam ordine, nutritio perficiatur?

CIbus primùm ore ſumitur, dentibuſque conciſus & comminutus, crebra linguæ agitatione, & attrahente gula, in ſtomacum, ſicut in communem officinam, truditur. Receptus autem cibus in ampla ſtomachi capedine, ne huc illucque fluitans, citiùs, quàm par eſt, elabatur, comprimitur ab ipſo ſtomacho ſe ſe contrahente, & in ipſius decoctionem pro viribus incumbente, quem non parùm juvant, cor, jecur,

cur, lien, & aliæ partes vicinæ, quæ calorem non modicum ipsi suppeditant; quæque, tanquam circa lebetem accensus ignis, tum stomachum ipsum, tum inclusum in eo alimentum, mirabili providentia calefaciunt, donec massa quædam fluida albicans, quam *Chylum* vocant, fuerit completa, peractaque prima concoctio.

Postquàm verò stomachus receptum cibum in chylum convertit, infernum ejus orificium, quod, ne cibus incoctus elaberetur, hactenus occlusum manserat, aperitur, ut chylus ad destinatum locum deducatur; & propter hoc dicitur, quodam instructum esse operculo, sive porta, quæ dum opus est, spontè clauditur, & aperitur. E ductus ergo è stomacho chylus, per fluxuosos intestinorum flexus lento motu decurrit; & interim quod crassius est & excrementitium, deorsum ad crassiora volvitur intestina (beneficio virtutis, tum attractivæ, tum expultricis, quæ maximè in illis residet intestinis,) & tandem per anum excernuntur stercora. Quod autem in chylo defœcatius est & purius, à quibusdam venis (quæ *mesaraicæ* solent nuncupari) exsugitur, & ipsis impellentibus venis, atque jecore attrahente, in ipsum jecur per venam majorem, quam *venam portam* vocant, influit, ut secundam concoctionem subeat. Prima itaque concoctio incipit in ore, peragitur in stomacho, & desinit in intestinis. Ejus effectus est chylus albicans. Ipsius verò excrementum est stercus. Appellatur autem à Græcis prima concoctio *Chylosis*; ipsaque carent plantæ, & in solis animalibus invenitur.

Secunda concoctio fit in jecore. Cùm igitur chylus (ut diximus) ad jecur deductus est, virtute caloris, quo insignis ille provisor fervet, vertitur in massam quandam cruentam, fluidam tamen, quæ *Chymus* appellatur; in qua massa quatuor simul humores animadvertere licet; nempè sanguinem, pituitam, flavam bilem, & atram bi-

bilem ſeu melancholiam. Sed quia omnes hi humores nutritioni non ſunt apti, natura quod inutile eſt ſegregat. Flavam bilem ſeu choleram in folliculum fellis, qui ad portas jecoris patet, attrahit. Atram verò bilem ſeu melancholiam ad lienem evocat. At pituita ſpeciali carens receptáculo, eo quòd vehendo per totum corpus ſanguini inſerviat, omneſque corporis partes humectet, ſimul cum ipſo ſanguine in venis miſcetur: quod autem, abſoluto opere, ex pituita relinquitur, per emunctorias ſeu emulgentes venas in veſicam defluit, unà cum alio tenui humore, quo chylus è ſtomacho per inteſtina & meſaraicas venas in jecur, tanquam vehiculo perducitur: is enim humor ſuo functusofficio, per eaſdem venas emunctorias ſive emulgentes in renes attrahitur, & mox in veſicam per urethecas fuſus *Lotium* appellatur.

Cæterùm, quando dicimus, flavam bilem, & bilem atram, è jecore in ſpecialia vaſa colligi, ne nutritioni noceant, hoc intelligi non debet de omnimoda ſecretione; cùm experientia conſtet, ex ſectione venæ ſemper aliquid ex flava & atra bili mixtum ſanguini reperiri. Dicendum ergo eſt, quod lutulentum eſt duntaxat, & illuvie infectum, omninoque terrenum in chymo, ſive meliùs, in atra bili, attrahi à liene; & ſimiliter quod impurum eſt tantùm, in flava bili, attrahi à folliculo fellis. Illi tamen duo humores non omninò inutiles ſunt. Etenim flava bilis acuit ingenium, animos addit, & ad aggredienda pericula promptiores efficit homines, & effuſa ipſa bilis flava in inteſtina, exſtimulat facultatem expultricem, ideòque *Clyſter naturalis* ſolet appellari.

Atra verò bilis, ſeu melancholia in judicando maturitatem parat & fovet. Deinde ſuccus melancholicus in ſtomachi aut ventriculi os & fundum effunditur per quemdam venarum ſurculum,

emperatur; etenim frigida & ſicca
nelancholiæ contrariatur comple-
xïo ſicca & calida flavæ bilis contra-
exxioni humidæ & frigidæ pituitæ: ne
exio ſanguinis vel pituitæ ultra mo-
dum, debet à contraria complexione
atitemperari.

As verò ſanguis omnibus hujuſmodi
entis, quamdam ſubit venam, quæ
appellatur, & per diverſiſſimos ra-
mines ferè corporis partes latiſſimè
quo fit, ut ſanguis, beneficio vir-
ctis, ſpectata cujuslibet partis con-
digentia, per totum corpus admira-
buatur. Poſtquàm autem ipſe ſanguis
s corporis venas (quas à tenuita-
es vocant) ſubiit, ex eis deinde
it per ipſarum poros affluens, in-
quaslibet partes *viventis*, in qui-
laboratur magis, deinde fit per-
dicitur *Ros*. Tertiò fit tenax &
appellatur *Cambium*. Quartò deni-
tur in ipſam *viventis* ſubſtantiam,
n:, quæ dicitur *Aſſimilatio*. Et in hac
completur atque finitur totum nu-
is.

§. VI.

§. VI.

De facultatibus adminiſtris potentiæ nutritivæ.

ANtequàm potentia nutritiva vertat alimentum in ſubſtantiam *viventis*, ita ut materia prima alimenti uniatur cum materia prima aliti, & propriam abjiciendo formam alimenti, recipiat formam ſeu animam *viventis*, (in qua receptione, & utriuſque materiæ unione conſiſtit formalis ratio nutritionis ſumptæ, ut eſt mutatio, qua materia prima alimenti diſpoſita mutatur & tranſit à privatione formæ aut animæ *viventis*, ad ipſam *viventis* formam aut animam) ab aliquibus facultatibus, quaſi famulis & adminiſtris, juvatur, quæ variè alimentum permutant, multiplicique præparant cura; ea nempè ratione, ut optima alimẽti pars nobilioribus *viventis* partibus, ignobilior verò ejuſdem alimenti pars inferioribus ejuſdem viventis partibus diſpenſetur, ſervato juſtitiæ diſtributivæ jure; & tandem inutiles alimenti partes procul amandentur.

Facultates autem adminiſtræ potentiæ nutritivæ numerantur ſeptem à Galeno, (quatuor quidem *lib. 5. de locis affectis cap. 7.* & tres alibi) nimirum *attrahens, concoquens, retinens, expurgans, appetens, diſtribuens, & ſecernens*. Facultas attrahens alimentum, omnibus membris ineſt; cùm enim alimentum propria vi non poſſit ferri ad ſingulas partes, ſingulaque membra, neceſſe eſt, ut alimentum ab omnibus & ſingulis partibus, ſinguliſque membris attrahatur. *Facultas concoquens* alterationi alimenti incumbit; (unde *alteratrix* à Galeno nuncupatur) cùm etenim alimentum in principio ſit diſſimile *viventis*, & quodammodò ipſi cõtrarium, vis illius edomari debet multiplici alteratione, & ita à calore naturali permiſceri atque concoqui, ut ad ſimilitudinem cum vivẽte alendo perveniat, eique uniri poſſit. *Facultas reti-*

nens

nens ad hoc deſtinata,eſt ut non patiatur alimentum facilè dilabi;non poteſt enim facultas concoquens momento officium ſuum explere, cùm in alimento contrarietatem reperiat:ideòque requiritur facultas aliqua ipſum alimentum retinens, & actioni facultatis concoquentis atque alterantis,quãdiu opus eſt,ſubjiciens.*Facultas expugnans* ea eſt,quæ alimenti partes utiles & nutritioni aptas expurgat fovetque;inutiles verò, impuras, & *viventi* nimis adverſas ſegregat ac rejicit.*Facultas appetens* in omnibus *viventis* partibus inſidet; nã cùm omnes *viventis* partes detrimentum aliquod patiantur à cauſis corumpentibus, naturalem habent alimenti appetentiam,ut alimenti beneficio damna illata reſarciant. *Facultas diſtribuens* famulatur appetenti,quatenus alimentum per corporis membra diſpenſat, & ſic ejus appetentiam ſedat. Denique *facultas ſecernens* ſecernit ſeu ſeparat,*in* alimento, *inutile ab utili, ut* quod utile eſt, *faciliùs diſtribuatur* per omnes corporis partes;*ſitque cuilibet parti gratum& veluti* cognatũ.

Præter has ſeptem *facultates*, eſt inſuper in vivente *facultas* chylifactiva,qua nempè alimẽtum in ſtomacho receptum coquitur, & in chylum vertitur. Sequitur facultas chymifactiva,qua nimirum chylus in jecore receptus vertitur in chymum.Eſt prætereà facultas ſanguinifica,qua nempè fit ſangui s perfectus & naturalis. Invenitur tandem in *vivente* facultas ſpirituum productiva quæ in corde reſidens,ſubtiles ſanguinis partes in ſubtiliorem adhuc ſubſtantiam vertit, cujus pars toto *diffunditur* corpore per arterias, & actionibus vitalibus (nimirum nutritioni, augmentationi, & generationi)exercendis inſervit. Pars verò altera cerebrum adit, ibique temperatiori natura donatur, & convertitur in ſpiritus animales, qui idonei ſunt & neceſſarii ad actiones animales (v. g. ad ambulationis motum, ſenſationem, & appetitionem) exercendas.

Si quæras, quonam modo diſtinguantur omnes

illæ facultates, tum inter ſe, tum à potentia nutritiva? Reſpondeo, probabilius eſſe, omnes illas facultates non diſtingui realiter inter ſe, & à potentia nutritiva; ſed ad ſummum virtualiter, adeò ut ſint una & eadem realiter potentia nutritiva, prout varias functiones inadæquatas exercere poteſt. Cæterùm juxta aliquos auctores, omnes illæ facultates comprehenduntur, generali diviſione, ſub triplici membro: videlicet ſub facultate naturali, ſub facultate vitali, & ſub facultate animali. Facultas naturalis (juxta eoſdem auctores) reſidet præcipuè in jecore: facultas vitalis ſedem præſertim habet in corde: & tandem facultas animalis viget in cerebro.

§. VII.

Quædam circa nutritionem quæſtiunculæ ſolvuntur.

QUæres 1. cur viventibus opus ſit alimento Reſpondeo, viventibus opus eſſe alimento, tribus de cauſis. Primò, ut actio caloris naturalis per oppoſitionem alimenti, ab activa *viventis* corruptione coerceatur. Secundò, ut damnum, quod *vivens*, tum ab internis, tum ab externis patitur cauſis, per alimenti converſionem utcumque reſarciatur. Tertiò denique, ut *vivens* creſcere poſſit

Quæres 2. utrum homo poſſit diu ſine alimento externo manere? Reſpondeo 1. ſupernaturaliter poſſe, ut patet in jejunio Chriſti, & Moyſis.

Reſpondeo 2. hominem ſanum vix poſſe per hebdomadam integram ab omni cibo abſtinere. Hæc doctrina eſt Hipocratis aſſerentis, inediam per ſeptimanam eſſe lethalem. Ratio eſt, quia naturalis calor hominis ſani eſt maximè activus, neque homo ſanus pravis abundat humoribus, quibus actio illius caloris occupetur; proindeque idem calor brevi labefactat partium temperiem, (propter quam rationem, homines juniores copioſiori egent alimento, ſicut & bilioſi) & ita brevi ſequitur mors.

Reſ-

Respondeo 3. homines frigidos, & humoribus abundantes, præsertimque pituitosos, diu sine alimento vivere posse: tum quia calorem habent parùm activum: tum quia multum habent humoris, quo calor naturalis occuperetur. Propter quam rationē, glires tota hyeme abstinēt à cibis. B. Albertus Magnus refert etiam, se vidisse Coloniæ mulierem, quę interdum per triginta dies inediam tolerarent; testaturque se alibi vidisse hominem, qui vixerit per septem hebdomadas, alternis diebus aquam sorbendo. Rondeletius item mulierē vidit quæ sic duodecimum ætatis attigerit annum. Medina quoque li. 2. suę paralesis affirmat, hominem quendam per tres menses nullum alimentū sumpsisse. Simon Persius idem notat de puella quadam Germanica. Et tandem Bocatius asseverat, Germanam mulierem triginta sex annos sine cibo & potu ferè traduxisse. Hoc tamen difficilè creditur.

Quæres 3. *quibus rebus competat nutritio?* Respondent *Aristoteles 2. de anima, & D. Thomas* ibidem *lect. 9. nutritionem propriè solis viventibus convenire. Ratio est, quia nomine nutritionis propriè dictæ* intelligunt Philosophi eam alimenti conversionem, quæ fit per intùs sumptionē ipsius alimenti, per organa ad hoc à natura destimata: (quo pacto animalia sumunt alimentum per os, & per œsophagum, quod deinde in stomacho aut ventriculo concoquitur, modo suprà explicato; quo etiam modo plantæ per radices, medullam, & fibras, sumunt alimentum) atqui talis conversio alimenti convenit solis viventibus, cùm *in solis viventibus* inveniantur organa specialiter à natura ad intùs sumptionem alimenti destinata, ut experientia patet: ergo &c.

Dices 1. ignis lampadis nutritur per intùs-sumptionem alimenti; trahendo nempè intùs oleum: ergo cùm ignis sit non *vivens*, nutritio per intùs-sumptionem alimenti, & ita nutritio propriè dicta, potest non viventibus convenire.

Respondeo negando ant. etenim ad propriè dictam

ſtam nutritionem per intùs-ſumptionem alimenti (prout in præſenti à Philoſophis ipſa accipitur) requiritur, ut alimentum ſumatur per organa ſpecialiter à natura ad talem ſumptionem deſtinata, quæ in igne non inveniuntur.

Dices 2. vinum augetur per intùs-ſumptionem, quando in ipſum injicitur alius liquor, (v.g. aqua) quem in ſe convertit: ergo cùm vinum ſit non *vivens*, augmentatio per intùs ſumptionem (proindeque & nutritio per intùs-ſumptionem) convenit non viventibus.

Reſpondeo negando quoque ant. nam ad propriè dictam augmentationem per intùs-ſumptionem, opus etiam eſt, ut in eo, quod augetur, ſint organa ad illam augmentationem à natura deſtinata; quæ in vino nulla ſunt.

Quæres 4. utrum quando *vivens* nutritur & augetur, omnes ejus partes ſimul nutriantur & augeantur.

Reſpondeo affirmativè: id enim in primis patet ad ſenſum; videmus namque, omnes *viventis* partes proportionaliter nutriri & augeri, dum *vivens* nutritur & augetur; quòd ſi aliquando, cùm nutritur & augetur una pars *viventis*, alia non nutriatur nec augeatur; hoc eſt per accidens, videlicet propter illius partis indiſpoſitionem, & caloris naturalis in illa exiſtentis debilitatem. Deinde calor naturalis, quo tanquam inſtrumento fit viventis nutritio & augmentatio, eſt in omnibus *viventis* partibus. ergo ad nutritionem & augmentationem *viventis* debent omnes illius partes proportionaliter nutriri & augeri, per ſe loquendo. Sanè, cùm calor naturalis exiſtens in omnibus *viventis* partibus, ipſas continuò depaſcat, eas tandem conſumeret, niſi per nutritionem & augmentationem illarum damna repararentur.

Quæres 5. Utrum nutritio duret toto tempore vitæ? Reſpondeo affirmativè: id enim in primis experientia patet; videmus etenim etiam decrepitos, & jamjam morituros, ſumere alimenta, qui-

quibus nutriuntur, adeò ut alimentorum benefi-
cio, labétes reparent vires. Deinde calor naturalis
continuò depascit substantiam *viventis*: ergo, ut
substantia *viventis* reparetur, debet toto tempore
vitæ continuò fieri nutritio. Nutritio tamen non-
numquam interrumpitur, v. g. in gravissimis mor-
bis, in quibus magna humorum copia penè suffo-
cat calorem naturalem, sicque impedit, ne ipse ca-
lor naturalis in elementum agere possit. Hinc plu-
res ægri sine alimento aliquot dies transegerunt.

Quæres 6. Utrum augmentatio duret etiam to-
to tempore vitæ? Respondeo 1. augmentationem
latè sumptam, pro quacumque acquisitione par-
tialis quantitatis, (sive ista quantitas sit major,
sive sit æqualis, sive sit minor ea quantitate, quæ
vi & actione caloris naturalis continuò depascen-
tis deperditur) durare toto tempore vitæ: cùm
enim calor naturalis continuò *depascendo* sub-
stantiam *viventis*, *depascat etiam continuò quan-
titatem illi adjunctam; necesse est, ut quantitas
viventis continuò deperdita, continuò etiam to-
to tempore vitæ aliquo modo reparetur, vide-
licet per quamcumque* acquisitionem partialis
quantitatis.

Respondeo 2. augmentationem strictè sump-
tam pro acquisitione partialis quantitatis majo-
ris ea, quæ vi & actione caloris naturalis deper-
ditur, non durare toto tempore vitæ, sed dumta-
xat usque ad certam ætatem. Ratio est evidens:
etenim augmentatio strictè accepta *viventis* or-
dinatur ad *acquisitionem* debitæ magnitudinis,
ut *vivens* possit perfectas operationes suæ speciei,
& præsertim sui similis productionem, exerce-
re: ergo cùm in certa quadam ætate pertin-
gat *vivens* ad debitam & sufficientem magnitu-
dinem, ut possit perfectas suæ speciei opera-
tiones, & præcipuè sui *similis productionem*,
exercere; ut patet experientia: debet tunc cessa-
re augmentatio strictè sumpta; habito enim &
quisito fine, cessant ea, quæ erant ad finem acqui-

ren-

rendum ordinata. Deinde calor naturalis, quo alimentum convertitur in quantitatem *viventis*, sive quo *vivens* acquirit ex alimento novas partes quantitatis, ad deperditas quantitatis partes reparandas, continuò repatitur ab alimento, proindeque continuò debilitatur atque minuitur. Ideòque calor ipse naturalis, initio quidem ita fortis est, ut non solùm convertat ex alimento quod sufficit ad reparationem deperditæ quantitatis, verùm etiam ut majorem acquirat quantitatem (& dici solet tempus aut ætas augmenti, duratque hoc tempus ab ortu usque ad annum vigesimum primum, vel vigesimum quintum.) Posteà verò debilior factus naturalis calor non acquirit ex alimento, nisi quantitatem deperditæ æqualem (& dicitur tempus vel ætas consistentiæ, duratque usque ad annum quadragesimum secundum, vel quadragesimum quintum.) Demùm ita debilitatur & minuitur idem calor, ut acquirat dumtaxat quantitatem deperdita minorem, tuncque incipit diminutio, & appellatur tempus sive ætas decrementi, duratque usque ad finem vitæ; deficiente verò totaliter calore naturali, *vivens* tamdem moritur. Quòd si quis voluerit scire, quanta sit futura hominis statura, discere poterit ex primo quinquennio; teste Aristotele dicente, tunc puerum obtinere dimidium magnitudinis, quam in ætate perfecta habiturus est.

Quæres 7. utrum *vivens* maneat idem numero toto tempore vitæ? Respondeo affirmativè, quia etsi partes *viventis* toto tempore vitæ ejus variantur materialiter, seu in *esse* entis, quatenus vi & actione caloris naturalis quædam partes *viventis* deperduntur, & aliæ acquiruntur: attamen non variantur formaliter, sive in ratione partium. Quod explicari potest exemplo loci; dicitur quippe communiter, locum esse formaliter immobilem, quia licèt superficies (verbi gratia aeris) ambiens corpus locatum possit mutari,

vel

vel moveri materialiter, aut in esse entis, v. g. ven-
torum vi & actione : non mutatur tamen illa *su-*
perficies formaliter, seu in ratione loci, eo quòd
superficies, quæ succedit, servat semper eumdem
ordinem distantiæ ad centrum mundi; ut in
quæst. de loco explicatum est: ita similiter,
licèt in *vivente* partes materialiter, & in *esse en-*
tis mutentur, vel varientur, quatenus, ut dixi,
vi & actione caloris naturalis, quædam partes
viventis deperduntur, & aliæ acquiruntur; atta-
men partes *viventis* non mutantur seu non varian-
tur formaliter, sive in ratione partium *viventis*,
quia semper servant ordinem ad eamdem for-
mam aut animam *viventis*, qua informan-
tur.

§. VIII.

Virum nutritio & augumentatio sint motus successi-
vi & continui?

Respondent communiter Philosophi affirma-
tivè. Et quidem, augmentationem esse
motum successivum & continuum, est expressa
Aristotelis doctrina, pluribus in locis, sed præ-
sertim 5. Phys. c. 1. text. 9. & 10. ubi asserit, tria
esse motus successivi & continui genera; nempè
motum ad quantitatem, motum ad qualitatem,
& motum ad *ubi*: idem quoque docet D. Tho-
mas li. 1. de Generat. c. 24. text. 84. Augmenta-
tio autem est motus ad quantitatem; ut patet,
cùm tunc solùm fiat augmentatio, quando sub-
jectum movetur à minori ad majorem quan-
titatem.

Prob. etiam ratione : tunc motus est successi-
vus & continuus, quando terminatur ad aliquid,
in quo sunt partes successivè & continuè acqui-
sibiles, quæque successivè & continuè acquirun-
tur : atqui augmentatio terminatur ad aliquid, in
quo sunt partes successivè & continuè acqui-

sibi-

ſibiles, quæque ſucceſſivè & continuè acquiruntur: quandoquidem terminatur ad quantitatem, in qua ſunt variæ partes integrales ſucceſſivè & continuè acquiſibiles, quæque ſucceſſivè & continuè acquiruntur: ergo &c.

Quantùm verò ad nutritionem, idem ſimili ratione prob. nam tunc motus dici debet ſucceſſivus, & continuus, quando in ejus termino ſunt partes ſucceſſivè & continuè acquiſibiles, quæque ſucceſſivè & continuè acquiruntur; ut modò dicebamus: atqui in termino nutritionis ſunt partes ſucceſſivè & continuè acquiſibiles, quæque ſucceſſivè & continuè acquiruntur; quandoquidem nutritionis terminus non eſt ſubſtantia nudè ſumpta, ſed affecta quantitate; (cùm enim calor naturalis depaſcat, non tantùm ſubſtantiam, ſed etiam quantitatem *viventis*; neceſſe eſt, ut in nutritione non modò ſubſtantia, ſed etiam quantitas *viventis* reparetur; & ita eſt neceſſe, ut in ipſa nutritione non acquiratur ſubſtantia nuda, ſed affecta quantitate) ſubſtantia autem affecta quantitate varias habet partes integrales ſucceſſivè & continuè acquiſibiles, (ut alibi oſtenſum eſt) quæ reipſa ſucceſſivè & continuè acquiruntur.

Objic. 2. Ariſtoteles 8. Phyſic. cap. 3. textu 23. & D. Thomas ibidem lect. 5. & aliis in locis, expreſsè aſſerunt, augmentationem non fieri continuè.

Reſpondeo, Ariſtotelem & D. Thomam non loqui de continuitate ſucceſſionis, ſed de continuitate perpetuitatis; unde volunt ſolùm Ariſtoteles & D. Thomas, augmentationem non fieri perpetuò in *vivente*; quod utique verum eſt; nam ut fiat augmentatio *viventis*, debet priùs alimentum alterari & diſponi; hæc autem alteratio & diſpoſitio alimenti durat per aliquod tempus, intra quod non fit *viventis* augmentatio.

Objic. 2. Motus ſucceſſivus & continuus debet

ber habere terminum; in quo sint partes integrales successivè & continuè acquisibiles: atqui in termino nutritionis non sunt partes integrales successivè & continuè acquisibiles: ergo &c. Ma. patet ex dictis. Prob. mi. habere partes integrales, est proprium quantitatis; ut docent communiter discipuli D. Thomæ: ergo in substantia, quæ est terminus nutritionis, non sunt partes integrales successivè & continuè acquisibiles.

Respondeo concessa maj. negando min. licèt enim habere ratione sui partes integrales, sit proprium quantitatis; attamen habere partes integrales successivè & continuè acquisibiles dependenter à quantitate, convenit substantiæ materiali affectæ quantitate: sicut autem dicebamus suprà, terminus nutritionis est substantia materialis affecta quantitate.

Objic. 3. *Ad motum successivum & continuum propriè dictum requiritur, ut non fiat à privatione ad formam, sed ab uno termino positivo ad alium terminum positivum, ut communiter docent Philosophi, & nos ipsi docuimus in qu. de motu:* atqui nutritio fit à privatione ad formam, nempè à privatione formæ *viventis* ad ipsam *viventis* formam: ergo &c. Mi. ex eo constare videtur, quòd tunc nutritio censetur fieri, quando alimentum transit à privatione formæ *viventis* ad ipsam *viventis* formam.

Respondeo concessa maj. distinguendo mi. atqui *nutritio, ut est simplex* mutatio, fit à privatione ad formam, nempè &c. concedo: atqui nutritio, ut est actio potentiæ nutritivæ, fit à privatione ad formam, nego. Nutritio ergo duobus modis accipi potest, nimirum ut est mutatio, vel ut est actio potentiæ nutritivæ. Si nutritio accipiatur, ut est mutatio, est transitus alimenti, vel materiæ alimenti, à privatione formæ *viventis* ad *viventis* formam. Si autem nutritio sumatur, ut est actio potentiæ nutritivæ, est motus

tus ſucceſſivus & continuus ab una parte integrali ſubſtantiæ materialis ad ulteriorem ipſius partem, & ita ab uno termino poſitivo ad alium terminum poſitivum.

Obji. 4. In eodem inſtanti, in quo materia alimenti eſt ultimò diſpoſita ad recipiendam formam *viventis*, etiam reipſa recipit *viventis* formam: ergo cùm in tali receptione conſiſtat nutritio, nutritio fit in inſtanti; proindèque non eſt motus ſucceſſivus, ſed inſtantaneus.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguendo conſequens: ergo nutritio, ut eſt nutratio materiæ alimenti à privatione formę *viventis* ad receptionem ejuſdem formæ, fit in inſtanti, concedo conſeq. ergo nutritio, ut eſt motus ab una parte integrali ſubſtantię materialis ad ulteriorem ipſius partem fit in inſtanti, nego conſeq. unde ſemper manet, nutritionem hoc ſecundo modo ſumptam eſſe motum ſucceſſivum & continuum.

Obji. 5. Si nutritio & augmentatio *viventis* fierent diviſibiliter & ſucceſſivè, ita ut *vivens* diviſibiliter & ſucceſſivè acquireret ex alimento novas partes materiæ, novaſque partes quantitatis, deberent etiam novæ partes formæ à *vivente* ex alimento diviſibiliter & ſucceſſivè acquiri: atqui non debent novæ partes formæ in nutritione & augmentatione à *vivente* ex alimento diviſibiliter & ſucceſſivè acquiri; cùm ſæpè *vivens* habeat formam indiviſibilem, quæ partibus caret; hoc enim modo anima rationalis, & animæ perfectorum animalium ſunt indiviſibiles: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: nam quando *vivens* habet animam formaliter diviſibilem, (ut ſunt plantæ, & animalia imperfecta) tunc in nutritione & augmentatione acquiruntur diviſibiliter & ſucceſſivè novæ partes formæ vel animę ab ipſo *vivente*, & quidem novæ partes formales: quando autem *vivens* habet animā formaliter indiviſibilem, & eminenter vel virtualiter diviſibilem;

tunc

tunc in nutritione & augmentatione acquirantur divisibiliter & ſucceſſivè novæ partes virtuales formæ ab ipſo *viventis*, ut contingit in homine & in aliis animalibus perfectis.

Quòd ſi quæras, quid intelligatur per partes virtuales formæ aut animæ *viventis* vel *animalis* perfecti? Reſpondeo, per partes virtuales formam aut animam *viventis* vel *animalis* perfecti, quatenus virtualiter aut eminenter æquivalet formis aut animabus plantarum & animalium imperfectorum, quæ ſunt formaliter divisibiles in partes integrales; & quatenus virtualiter aut eminenter coextenditur partibus ſubſantiæ materialis & quantitatis de novo ex alimento per nutritionem & augmentationem acquiſitis.

Obji. 6. In prima productione *viventis*, quantitas fit aut reſultat *in inſtanti*: ergo etiam in augmentatione *quantitas fit vel reſultat in inſtanti*; proindeque *augmentatio non eſt motus ſucceſſivus & continuus*.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio autem *diſcriminis* eſt, quia in prima productione *viventis*, per ſe primò intenditur ſola natura totalis *viventis*; intenditur verò tantùm ſecundariò quantitas, videlicet tamquam proprietas naturæ totalis *viventis*: ideòque quantitas *in prima productione viventis debet fieri ad eum modum*, quo fit totalis natura *viventis*; (*proprietas quippe debet fieri eo proportionali modo, quo fit natura, cujus eſt proprietas*) natura autem totalis *viventis*, in prima ejus productione, fit in inſtanti; poſita enim ultima diſpoſitione ad introductionem animæ *viventis*, ſtatim reſultat totalis natura *viventis*, ex materia vel corpore & ex anima compoſita; at in augmentatione, quantitas per ſe primò intenditur, & ideò fieri debet ad modum ſuum connaturalem; cùm autem quantitas habeat rationem ſui partes integrales

ſucceſſivè & continuè acquiſibiles, petit fieri ſucceſſivè & continuè, non verò in inſtanti, quando fit ſecundùm modum ſuum connaturalem.

Quærunt hic aliqui Authores, an, & quomodo ſubſtantia materialis habeat integrales partes? ſed ea de re fusè diſſeruimus in Logica quæſt. de Quantitate art. 3.

Articulus Secundus.

De potentia augmentativa.

Dico primò: potentia augmentativa ſic poteſt definiri: *Potentia augmentativa eſt facultas, qua vivens ex alimento majorem quantitatem ſibi acquirit. Vivens* namque à principio ſufficientem non habet magnitudinem ad perfectas ſuæ ſpeciei operationes peragendas, & præſertim ad ſui ſimilis productionem exercendam; quia gignitur ex ſemine à *vivente*, dum ſui ſimile generat, deciſo; quæ ſeminis deciſio fieri non poteſt ſtatim à principio, ſed eo dumtaxat tempore, quo *vivens* majorem quantitatem acquiſivit: facultas autem, qua *vivens* majorem acquirit quantitatem, *Potentia augmentativa* nuncupatur. Ex quo facilè colliges, quid ſit augmentatio; augmentatio quippe eſt *Actio illa, qua major quantitas à vivente acquiritur ex alimento.* Sive augmentatio eſt *motus ſucceſſivus & continuus à minori ad majorem quantitatem ex alimento acquirendam.*

Dico ſecundò: potentia augmentativa eſt aliqua ſimplex qualitas, in ſecunda ſpecie prædicamenti qualitatis collocanda, realiter diſtincta à naturali quatuor primarum qualitatum complexione, ſicut & à calore naturali. In primis enim Ariſtoteles lib. 2. de generat. animal. c. 4. & D. Thomas 1. part. quæſt. 118. art. 1. ad 3. aſſerunt calorem, aliaſque primas qualitates, eſſe inſtrumenta potentiæ nutritivæ, potentiæ augmentativæ,

væ, & potentiæ generativæ: proindeque potentiæ illæ, ex doctrina Ariſtotelis & D. Thomæ, non conſiſtunt formaliter & eſſentialiter in illis qualitatibus: ſed in ſimplicibus qualitatibus ſuperioribus & eminentioribus, quæ in ſecunda ſpecie prædicamenti qualitatis collocentur, quæque utantur primis qualitatibus, tamquam inſtrumentis ad ſuas operationes exercendas.

Prob. etiam ratione: cùm enim potentia nutritiva, potentia augmentativa, & potentia generativa, ſint proprietates animæ vegetativæ, prout eſt à formis ſubſtãtialibus mixtorum inanimatorum diverſa, debent illæ potentiæ emanare ab anima vegetativa, prout ab illis formis diſtincta: atqui complexio quatuor primarum qualitatum non emanat ab anima vegetativa, prout eſt à formis ſubſtantialibus mixtorum inanimatorum diſtincta; imò potiùs emanat ab anima vegetativa, prout *ipſa cum ſubſtantialibus formis mixtorum illorum convenit*, ut oſtenſum eſt artic. præcedenti, §. 1. ergo &c.

Deinde, ſicut augmentatio *viventium*, de qua *nunc* loquimur, eſt actio ex ſua natura *vitalis*; ita potentia augmentativa, quæ eſt proximum augmentationis principium, debet ex ſua natura eſſe vitalis; complexio autem quatuor primarum qualitatum non eſt aliquid ex ſua natura vitale, cùm, ex ſua natura, communis ſit viventibus, & non viventibus; hinc invenitur in mixtis inanimatis, quæ non *vivunt*.

Ex quibus infertur, calorem in *vivente* non eſſe potentiam augmentativam: tum quia calor non emanat ex anima vegetativa, ut eſt diſtincta à formis ſubſtantialibus mixtorum inanimatorum: ſed potiùs ab illa emanat, prout convenit cum ejuſmodi formis; quandoquidem anima vegetativa non eſt radix caloris & aliarum primarum qualitatum, niſi prout eſt forma mixti, quod hujuſmodi qualitates connaturaliter poſtulat:

tum etiam quia calor in *vivente* non eſt ex ſua natura vitalis, cùm ſit ejuſdem naturæ & ſpeciei cum calore, qui in aliis mixtis non viventibus reperitur: tum denique quoniam quædam viventia maximè pollent virtute aut potentia augmentativa, in quibus tamen non niſi languidus eſt calor, imò prædominari videtur frigiditas; ut patet in arboribus, piſcibus, & aliis ejuſmodi viventibus ad frigiditatem declinantibus: ergo virtus ſeu potentia augmentativa eſt in viventibus aliquid realiter à calore diſtinctum.

Dico 3. Nutritio, & augmentatio, ſunt actiones ſpecificè & realiter diſtinctæ: illæ ſiquidem actiones ſpecificè & realiter diſtinguuntur, quæ habent diverſa objecta formalia; quandoquidem actiones ſpecificantur à ſuis objectis formalibus: atqui nutritio, & augmentatio, habent diverſa objecta formalia: ergo &c. Prob. min. ex eo, quòd objectum formale nutritionis eſt, vel nova portio ſubſtantiæ ex alimento acquirenda, vel ultima diſpoſitio ad talis portionis ſubſtantiæ acquiſitionem; objectum verò formale augmentationis eſt major quantitas ex alimento acquirenda.

Dices: Nutritio eſt ea actio, qua partialis ſubſtantia ex alimento acquiritur: augmentatio autem eſt illa actio, qua partialis quantitas ex eodem alimento comparatur: atqui duæ illæ actiones realiter non diſtinguuntur: ergo &c. Ma. patet. Prob. min. ſicut enim per unam & eamdem realiter actionem generativam producuntur ſubſtantia totalis, & totalis quantitas; ſic etiam per unam & eamdem realiter actionem acquiri debent, & partialis ſubſtantia, & quantitas partialis.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. ad cujus prob. nego paritatem; ut enim ſuprà dicebamus, in prima productione aut generatione *viventis*, ſola ſubſtantia totalis per ſe primò ſeu primariò intenditur; quantitas verò totalis intenditur

dum-

dumtaxat secundariò, aut per modum termini secundarii, nempè per modum proprietatis ad substantiam totalem *viventis* consequentis; ut autem terminus primarius, & proprietas ejus per modum termini secundarii producantur, una sufficit actio: at in nutritione per se primò intenditur substantia partialis, sive portio substantiæ extur substantia partialis, sive portio substantiæ ex alimento acquirenda, ut deperdita reparetur (vel ultima dispositio ad talis portionis substantiæ acquisitionem:) & similiter in augmentatione per se primò intenditur partialis quantitas, tum ut deperdita reparetur, tum etiam ut *vivens* ad debitam perveniat magnitudinem, quæ nimirum necessaria est, ut possit operationes perfectas suæ speciei exercere: ad diversos terminos autem per se primò intentos acquirendos, una non sufficit actio, sed actiones specificè & raliter distinctæ necessariò requiruntur.

Dico 4. *Potentia augmentativa, & potentia nutritiva, specificè & realiter distinguuntur. Ita docet D. Thomas* 1. *p. qu.* 78. *art.* 2. *& cum ipso omnes ejus discipuli. Ratio hujus conclusionis colligitur ex supra dictis*: nam cùm potentiæ specificentur ab actibus primariis; (ut alibi probatum est) illæ potentiæ specificè & realiter distinguuntur, quæ habent diversos actus primarios, qui nempè specificè & realiter distinguuntur: atqui potentia augmentativa, & potentia nutritiva, habent diversos actus primarios, qui scilicet specificè & realiter distinguuntur; quandoquidem augmentatio, quæ est actus primarius potentiæ augmentativæ, & nutritio, quæ est actus primarius potentiæ nutritivæ, specificè & realiter distinguuntur; ut patet ex dictis suprà in præcedenti conclusione: ergo &c.

Dices 1. Nutritio, & augmentatio, sunt actus subordinati; augmentatio quippe subordinatur nutritioni: ergo ad nutritionem, & augmentationem sufficit una porentia: (ad actus enim subordinatos una sufficit potentia; proindeque potē-

tia

tia nutritiva, & potentia augmentativa, ſpecificè & realiter non diſtinguuntur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. nutritio, & augmentatio, ſunt actus ſubordinati, tamquam actus per ſe primò à natura intēti in ſuis lineis, quorum unus alium ſupponit, concedo: nutritio, & augmentatio, ſunt actus ſubordinati, tamquam actus primarius, & actus ſecundarius, nego: licèt autem ad actus ſubordinatos una ſufficiat potentia, quando ſe habent ut actus primarius, & actus ſecundarius; non tamen quando ſunt actus per ſe primò à natura intenti in ſuis lineis.

Dices 2. Ad actus neceſſariò conjunctos una ſufficit potentia: atqui nutritio, & augmentatio, ſunt actus neceſſariò conjuncti: ergo &c.

Reſpondeo 1. negando mi. intellectam de augmentatione ſtrictè ſumpta; etenim nutritio fit toto tempore vitæ, non autem augmentatio ſtrictè accepta, ut ſuprà oſtenſum eſt in articulo præcedenti §. VII. ac proinde neceſſariò non conjunguntur.

Reſpondeo 2. diſtinguendo ma. ad actus neceſſariò conjunctos una ſufficit potentia: quando actus illi ſe habent ut actus primarius, & actus ſecundarius, concedo: quando ſinguli actus illi ſunt per ſe primò à natura intenti in ſuis lineis, cujuſmodi ſunt nutritio & augmentatio, nego.

Dices 3. Res, & proprietas rei, petunt fieri per unam & eamdem actionem, ut communiter docent Philoſophi: atqui quantitas partialis eſt proprietas ſubſtantiæ partialis, quæ per nutritionem acquiritur: ergo partialis ſubſtantia, & partialis quantitas, fiunt per unam & eamdem actionem, proindeque per unam & eamdem potentiam; & conſequenter potentia nutritiva, qua acquiritur partialis ſubſtantia; & potentia augmentativa, qua partialis quantitas acquiritur, ſunt una & eadem potentia.

Reſpondeo diſtinguendo maj. res & proprietas rei petunt fieri per unam & eamdem actionē: quā-

do

do propriè loquendo est proprietas, concedo: quando impropriè solùm est proprietas, nego: quamvis verò partialis quantitas, quæ acquiritur in augmentatione, sit impropriè loquendo proprietas substantiæ partialis materialis, quæ in nutritione comparatur, quatenus cum ipsa necessariò connectitur; non est tamen propriè illius proprietas, quia ad hoc requireretur, ut partialis illa quantitas fieret per simplicem resultantiam ex partiali substantia materiali in nutritione comparata; quod dici non potest; cùm enim partialis quantitas, quæ in augmentatione acquiritur, per se primò intendatur à natura, ut possit *vivens* operationes perfectas suæ speciei exercere, debet fieri per propriè dictam actionem primariò ad ipsam terminatam, non autem per simplicem resultantiam.

Dico 5. augmentatio propriè sumpta convenit solis viventibus. Ratio hujus est, quòd *augmentatio propriè sumpta*, *apud Philosophos*, *ea est*, *quæ fit per intùs-sumptionem alimenti*: atqui augmentatio, quæ fit per intus-sumptionem alimenti, convenit solis viventibus; etenim intùs-sumere alimentum, solis viventibus propriè convenit; ut patet ex dictis in præcedenti art. §. VII. ergo &c. Unde non viventia augentur quidem: (ut patet in lapidibus, &c.) at non per augmentationem propriè dictam, quæ fit per intùs-sumptionem alimenti, & per ejus digestionem; sed per augmentationem vulgarem & impropriè sumptam, quæ nimirum fit per juxta positionem materiæ ad partes externas non viventium, quæ augentur.

de Ætatibus.

QUia ætates maximè distinguuntur & dete-
guntur ex varia magnitudine viventium, eo-
rumque augmentatione; idcò explicationi poten-
tiæ augmentativæ & augmentationis, non abs re
visum est, quædam de ætatibus subnectere. Ætas
autem vulgò definitur: *Intervallum vitæ, quo vivens*
secundum naturæ legem insigniter mutatur. Aristo-
teles lib. de respirat. c. 18. tres distinguit ætates;
scilicet *juventutem, vigorem, & senectutem*. Alii
istas ætates aliter vocant; videlicet, *ætatem incre-*
menti, ætatem consistentiæ, & ætatem decrementi,
Fernelius autem lib. 3. Physiolo. c. 10. totã homi-
nis vitam optimè in novẽ ætates partitur. Occur-
rit ergo in primis *infantium ætas*, omnium ætatum
humidissima, quæ ad tertium quartumvè annum
provehitur. Succedit deinde *Puerilia*, quæ perve-
nit ad decimum annum. Inde ad decimum octa-
vum *Pubertas*. Postea ad vigesimum annum *Ado-*
lescentia, quæ sic appellatur eò quòd tunc corpo-
ra, ob humoris ubertatem, plurimùm adolescant.
Sequitur rursus vitæ ætas, quæ *florida* nuncupatur,
vel *juventus*, ad trigesimum quintum, aut etiam
quadragesimum annum excurrens, cujus propria
est venustas, agilitas, & ferocia; quæ ætas calida
parcèque humida est, licèt comparatione progres-
sæ ætatis, soleat calida siccaque censeri. Succedit
ætas constans, matura, temperataque, sui ubique
ferè similis, vix annum attingens quinquagesi-
mum. Hinc ad quintum, & sexagesimum ingrave-
scens est ætas & præcipitata, quæ *prima senectus*
potest appellari, quæque siccum ac frigidum cor-
pus efficit, frigidum tamen minùs. Omnium po-
strema vitam claudens *ætas est decrepita* frigidissi-
ma atque siccissima, quæ & *ultimum senium* dici
solet.

AR-

Articulus Tertius.

De potentia generativa.

§. I.

Quid sit generatio viventis?

libris de ortu & interitu egimus satis de gene-
tione in communi, quatenus significat quam-
ue productionem substantialem corruptioni
tiali oppositam; hic locus proprius est
e generatione, prout solis viventibus con-
eneratio autem vitalis duobus modis ac-
ſſt; nimirum activè, vel passivè. Generatio
iivè sumpta definiri potest: *Actio, qua vi-*
cit sibi simile in specie infima: ejusmodi
qua homo producit alium hominem.
m acceptæ generatio vitalis sic defini-
neratio vitalis est processio viventis à
conjuncto, secundùm similitudinem
sinfima. Explicatur hæc definitio.
s: dicitur in primis *processio viven-*
o aut productio passiva viven-
m est, ad generationem vita-
nerans & genitum sint viventia;
effectu, productio calculorum
mine non est vitalis; quoniam
calculos sit vivens, calculi
ntes: productio item rana-
ratio vitalis, quia Sol ge-
Additur, *à principio vitæ*
ectu cujus conditionis,
dam non fuit generatio
rat de se principium vi-
conjuncto; quia ad ge-
rt, ut generans agat
njunctum

di eſt *ſemen*. Additur denique, *Secundùm ſimilitudinem naturæ in ſpecie infima*; nam ut ſit vera generatio vitalis, proles debet eſſe ejuſdem naturæ cum generante in ſpecie infima; hinc vermes non generantur vitaliter ab homine in ipſo homine, quia ab eo diſcrepant ſpecie.

Dices 1. productio muli ex equa & aſino, vel ex aſina & equo: item productio Leopardi ex lexna & pardo: nec non productio lyncis ex Cerva & Lupo, & ſimiles productiones, ſunt veræ generationes vitales; & tamen in illis proles non eſt ejuſdem ſpeciei infimæ cum generante: ergo ad veram generationem vitalem neceſſe non eſt, ut proles conveniat in ſpecie infima cum generante.

Reſpondeo, relatas in antecedente productiones eſſe quidem generationes vitales, at non legitimas & connaturales, ſed monſtroſas: præfata autem definitio generationis vitalis debet intelligi de generatione vitali legitima & connaturali.

Dices 2. quando perdix fovet ova gallinæ, ſit vera generatio vitalis; & tamen proles non eſt ejuſdem ſpeciei infimæ cum generante, videlicet pulli excluſi non ſunt ejuſdem ſpeciei infimæ cum perdice generante.

Reſpondeo, perdicem non eſſe tunc generantem vel parentem, niſi inſtrumentalem, reſpectu pullorum ex ovis gallinæ excluſorum: parens quippe & generans principaliter, reſpectu pullorum illorum, eſt gallina, quæ ova genuit, & ipſis ovis ſeminalem virtutem communicavit, qua poſſent pulli ex ovis generari: ſatis autem eſt ad generationem vitalem, ut proles ſit ejuſdem ſpeciei infimæ cum principali parente & generante; quando verò perdix fovet ova gallinæ, pulli ex ejuſmodi ovis excluſi, ſunt revera ejuſdem ſpeciei infimæ cum principali parente ac generante, nimirum cum gallina quæ ova procreavit.

§. II.

§. II.

De quidditate aut eſſentia potentiæ generativæ.

DIco 1. Potentia generativa, ſecundùm quod viventibus competit, rectè ſic definitur: *potentia generativa eſt facultas animæ vegetativæ, qua vivens ſibi ſimile producit, ad totius ſpeciei conſervationem.* Quæ ultima verba oſtendunt diſcrimen potentiæ generativæ, à potentia nutritiva, & à potentia augmentativa; quia iſtæ duæ poſteriores potentiæ ſunt à natura ad individui conſervationem per ſe primò ordinatæ; potentia verò generativa per ſe primò totius ſpeciei conſervationem & propagationem reſpicit.

IIDico 2. Potentia generativa diſtinguitur realiter à potentia nutritiva, & à potentia augmentativa. *Hæc concluſio communis eſt apud Philoſophos, & præſertim apud diſcipulos D. Thomæ.*

Probat. 1. *Si potentia generativa realiter cum potentia nutritiva, & cum potentia augmentativa identificaretur, ubicumque reperirentur potentia nutritiva, & potentia augmentativa, ibi etiam reperiretur potentia generativa; quando etenim aliqua realiter identificantur, ubi reperitur unum, ibi etiam aliud inveniatur neceſſe eſt, quæ non poſſint realiter ſeparari: atqui ubicumque reperiuntur potentia nutritiva, & potentia augmentativa, ibi non invenitur potentia generativa; in animalibus quippe imperfectis reperiuntur potentia nutritiva, & potentia augmentativa, & tamen in eis non invenitur potentia generativa; nutriuntur enim & augentur animalia imperfecta, ſed ſibi ſimilia generare non poſſunt: ergo &c.*

Probat. 2. Potentiæ, quæ per ſe primò ad diverſas operationes ordinantur, diſtinguuntur realiter; ut patet: atqui potentia nutritiva, potentia augmentativa, & potentia generativa, per ſe primò ad diver-

diverſos fines ordinantur; potentia quippe nutritiva per ſe primò ad novæ ſubſtantiæ partialis acquiſitionem ex alimento ordinatur; potentia verò augmentativa per ſe primò ordinatur ad partialem quantitatem ex eodem alimento comparandam; & tandem potentia generativa per ſe primò tendit ad novi *viventis* generationem: ergo &c.

Objic. 1. cum multis recentioribns: Ariſtoteles 2. de anima cap. 4. text. 42. ait, eandem vim animæ eſſe nutritivam & generativam. Et text. 34. aſſerit, eſſe ejuſdem potentiæ generare, & alimento uti; unde cùm alimento uti, pertineat ad potentiam nutritivam, videtur Ariſtoteles iterum ſentire, potentiam generativam, & potentiam nutritivam, eſſe unam eandemque potentiam.

Reſpondeo 1. potentiam generativam, & potentiam nutritivam, eodem modo eſſe unam & eandem potentiam, quo homo, & brutum, ſunt unum & idem animal: ſicut ergo licèt homo, & brutum, ſint unum & idem animal genericè, quatenus conveniunt univocè in animali ſumpto genericè; *ſunt tamen animalia realiter ſpecificè diſtincta: ſic etiam quamvis potentia generativa, & potentia nutritiva, ſint una & eadem* animæ potentia genericè, quatenus conveniunt univocè in potentia animæ genericè ſumpta; ſunt tamen duæ potentiæ realiter ſpecificè diſtinctæ.

Reſpondeo 2. duplicem eſſe potentiam generativam, & nutritivam; alia namque eſt radicalis, & alia formalis ac proxima: potentia generativa & nutritiva radicalis eſt ipſa animæ vegetativæ eſſentia, prout eſt radix potentiæ generativæ, & nutritivæ potentiæ formalis & proximæ. Potentia verò generativa formalis & proxima, eſt proximum & immediatum generationis principium: & ſimiliter potentia nutritiva formalis ac proxima, eſt proximum atque immediatum nu-

nutritionis principium. Quando itaque Ariſtoteles ait, potentiam generativam, & potentiam nutritivam, eſſe unam eandemque potentiam, loquitur de potentia generativa, & nutritiva radicali; unde Philoſophus vult tantùm, unam eandemque animæ vegetativæ eſſentiam eſſe radicem utriuſque potentiæ generativæ & nutritivæ formalis & proximæ. Cum quo tamen manet, potentiam generativam formalem & proximam eſſe realiter ſpecificè diſtinctam à potentia nutritiva formali & proxima.

Objic. 2. Illæ potentiæ ſpecificè & eſſentialiter non diſtinguuntur, quæ habent terminos accidentaliter ſolùm diſtinctos; quandoquidem diſtinctio potentiarum à terminis aut objectis deſumitur: atqui potentia generativa, & potentia nutritiva, habent terminos accidentaliter ſolùm diſtinctos: ergo &c. Min. ex eo prob. quòd *terminus generationis, aut potentiæ generativæ, eſt ſubſtantia totalis generanda, terminus verò nutritionis, vel potentiæ nutritivæ, eſt ſubſtantia partialis ex alimento comparanda: duæ autem illæ ſubſtantiæ* non diſtinguuntur ſpecificè & eſſentialiter, (cùm eadem ſubſtantiali forma ſpecifica informentur) ſed accidentaliter tantùm.

Reſpondeo diſtinguendo ma. illæ potentiæ ſpecificè & eſſentialiter non diſtinguuntur, quæ habent terminos accidentaliter ſolùm diſtinctos, tum ex parte ſuarum entitatum materialiter ſumptarum, tum ex parte modi producibilitatis ſuæ, concedo; *illæ* potentiæ ſpecificè & eſſentialiter non diſtinguuntur, quæ habent terminos accidentaliter ſolùm diſtinctos ex parte quidem ſuarum entitatum materialiter ſumptarum, ſed ſpecificè & eſſentialiter diſtinctos ex parte modi producibilitatis ſuæ, nego: quamvis autem terminus generationis, aut potentiæ generativæ, (nempè ſubſtantia totalis generanda,) & terminus nutritionis, vel potentiæ nutritivæ,

nimirum ſubſtantia partialis ex alimento comparanda) accidentaliter tantùm differant; ſi materialiter & ſecundùm entitates ſuas præcisè ſumantur, quatenus in entitatibus illis diverſa accidentia inveniuntur: attamen ſi conſiderentur formaliter, ſive ſecundùm modos producibilitatis ſuæ, cenſeri debent ſpecificè & eſſentialiter diſtincti in ratione termini producibilis, quatenus diverſo planè modo producuntur; etenim ſubſtantia totalis in generatione producitur per ſe primò in ordine ad ſpeciem conſervandam; ſubſtantia verò partialis in nutritione per ſe primò producitur in ordine ad individui conſervationem: ut autem aliquæ potentiæ ſpecificè & eſſentialiter diſtinguantur, ſufficit, ut habeant terminos ſpecificè & eſſentialiter diſtinctos formaliter in ratione termini; quandoquidem diſtinctio ſpecifica & eſſentialis potentiarum deſumitur à terminis aut objectis formaliter diverſis.

Objic. 3. Per nutritionem ſæpè generantur membra integra, v. g. partes integræ carnis, in quibus gignuntur arteriæ, venæ, fibræ, & alia omnia ad vitam neceſſaria: ergo potentia nutritiva, & potentia generativa, reipſa non diſtinguuntur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. per nutritionem ſæpè generatione impropriè dicta generantur membra integra, concedo: per nutritionem ſæpè generatione propriè dicta generantur membra integra, nego: ad generationem enim propriè dictam opus eſt, ut genitum non precedat ſimpliciter ſui generationem, ſed potiùs ſimpliciter fiat, & *eſſe* accipiat per illam: quando autem in *vivente* per nutritionem membra integra reſtaurantur, & veluti iterum generantur, *vivens*, quod eſt principale genitum, ſimpliciter præcedit hanc membrorum reſtaurationem ſive generationem, quamvis eam ſecundùm quid ſubſequatur, videlicet ſecundùm aliqua membra reſtaurata;

rata; & ideò potentia nutritiva, ad quam pertinet illa restauratio, aut impropriè dicta generatio membrorum, potest quidem dici impropriè potentia generativa, vel aggenerativa; at semper verum est, potentiam nutritivam esse realiter à potentia propriè generativa distinctam.

Objic. 4. Cùm generatio fiat ex semine, ea potentia est generativa, quæ semen producit: atqui potentia nutritiva producit semen: ergo &c. Prob. min. cùm semen formetur ex sanguine, ea potentia producit semen, quæ sanguinem efficit: atqui potentia nutritiva efficit sanguinem: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. sanguis siquidem in *vivente* duobus modis potest accipi: Uno modo, prout est dispositus ad hoc, ut in partes solidas *viventis*, in quo est, convertatur; & hoc modo *sumptus sanguis efficitur à nutritiva viventis potentia: alio modo sanguis accipi* potest, *prout nimirum est speciali modo elaboratus & dispositus ad hoc, ut recipiat virtutem* seminariam *alterius viventis* productivam; & *sanguis* isto modo acceptus, non fit à potentia nutritiva, sed à potentia realiter distincta, quæ *potentia generativa* solet appellari. Semen verò formatur ex sanguine, non primo, sed secundo modo accepto.

Objic. 5. Ignis per eandem realiter potentiam se nutrit, se auget, & alium generat ignem: ergo etiam *vivens* per eandem realiter potentiam se nutrit, se auget, & aliud generat *vivens*; proindeque potentia nutritiva, potentia augmentativa, & potentia generativa, realiter in *vivente* non distinguuntur.

Respondeo negando paritatem. Etenim in igne, nutritio, augmentatio, & alterius ignis generatio, sunt reipsa una & eadem actio (quandoquidem ignis non alio modo se nutrit, & se auget, quàm in materia sibi apposita & propinqua no-

novum ignem generando; ideòque non eſt mirum, ſi ignis per eandem realiter potentiam ſe nutriat, & augeat, aliumque generet ignem: at in *vivente*, nutritio, augmentatio, & generatio, ſunt actiones realiter diſtinctæ, cum ad diverſos fines per ſe primò ordinentur; nutritio quidem ad partialem ſubſtantiam ex alimento acquirendam, augmentatio autem ad partialem quantitatem ex eodem alimento comparandam, & generatio ad aliud *vivens* ſimile generanti procreandum; & ideò in *vivente* requiruntur tres potentiæ realiter diſtinctæ ad tres illas actiones exercendas.

QUÆSTIO TERTIA.

De Anima ſenſitiva.

Est omnium Philoſophorum generalis conſuetudo, ut priùs differant de rebus univerſalioribus & communioribus, quàm de rebus minùs univerſalibus minùſque communibus: anima verò ſenſitiva eſt univerſalior & communior, quàm anima rationalis: etenim anima ſenſitiva in hominibus & brutis invenitur,) modo infrà explicando) cùm tamen anima rationalis in ſolis hominibus reperiatur: priùs ergo cum Philoſophis de anima ſenſitiva diſputandum eſt, quàm de anima rationali diſſeratur.

Duobus autem modis poteſt anima ſenſitiva definiri. In primis enim ſic definiri poteſt: *Anima ſenſitiva eſt actus primus ſubſtantialis corporis naturalis organici potentia vitam ſenſitivam habentis.* Quæ definitio explicat animam ſenſitivam à priori, hoc eſt, per id, quod in ipſa anima ſenſitiva prius eſt, priùſque in ea concipitur. Se-

cun-

candò sic potest definiri: *Anima sensitiva est il, quo primò sentimus.* Hæcque definitio exponit animam sensitivam quodammodò à posteriori. Quæ omnia perspicua sunt ex his, quæ circa quæst. initium dicta sunt, & explanata. Unde solùm superest de potentiis animæ sensitivæ, sive de sensibus disputandum.

Articulus Primus.

De sensibus in communi.

Potentiæ animæ ab actibus suis specificantur (ut alibi fusè ostensum est) unde & per eos cognoscunt. Ideòque ut notionem potentiarum animæ sensitivæ, sive sensuum, in communi, habere possimus, necesse est, ut explicemus in communi actionem, ad quam potentiæ animæ sensitivæ, seu sensus, per se primò ordinantur, & à ea specificantur; hæc autem actio est sensatio, vel cognitio sensitiva. Sensatio verò duobus modis potest; nempè latè, vel strictè. Sensatio accepta significat quamcumque actionem ab anima sensitiva procedentem; & in hac sensatione acceptione, appetitio sensitiva, & motivus, dici possunt sensationis. Sensationem strictè sumpta solam cognitionem non comprehendit. De sensatione utroque accepta in hoc articulo agemus; & eidem de sensatione latè sumpta, deinde strictè spectata dicemus; potissimùm de sensatione strictè accepta erit sermo. Latissimè & generalissimè sumpta est. *Omnis vitalis procedens ab anima sensitiva à principio radicali; & ab aliqua ex sensibus sicut à principio immediato & proximo actionum vel terminum cognitum occupationis aut descriptionis bonitas ex quòd definitio vel descriptio illa sensationi, sive omni actioni sensi-*

tivæ; actio quippe ſenſitiva generaliſſimè accepta eſt tantùm triplex, nimirum appetitio, motus progreſſivus, & cognitio: tres autem illæ actiones, & earum ſingulæ, procedunt ab anima ſenſitiva, tanquam à radicali principio, & præterea appetitio provenit à potentia appetitiva, ſeu ab appetitu ſenſitivo, ſicut à principio immediato & proximo; motus progreſſivus procedit etiam, tanquam à principio immediato & proximo, à potentia progreſſiva; & tandem cognitio ſenſitiva oritur ab aliquo ex ſenſibus internis vel externis, velut à principio immediato & proximo: appetitio quoque circa objectum cognitum occupatur, cùm animal per appetitionem non poſſit ferri niſi circa bonum cognitum, ita ut bonum per cognitionem proponatur appetitui animalis: ſimiliter motus progreſſivus animalis verſatur circa terminum cognitum, cùm animal per progreſſivum motum non ſe moveat ad aliquem terminum, niſi priùs hujuſmodi terminum per cognitionem apprehenderit: quòd verò cognitio animalis occupetur circa objectum per ipſam cognitum, ex ipſis terminis patet. Prædicta autem ſenſationis latiſſimè & generaliſſimè acceptæ definitio vel deſcriptio nulli alteri actioni convenit.

Definiri verò vel deſcribi poteſt ſenſatio ſtrictè ſumpta, ſeu cognitio ſenſitiva: *Perceptio aut apprehenſio objectis ſenſibilis, ab anima ſenſitiva, tanquam à principio radicali, & à ſenſu, ſicut à principio immediato & proximo, proveniens.* Quæ definitio, vel deſcriptio, omnibus & ſolis cognitionibus ſenſitivis convenit. In hoc conſentiunt ferè omnes Philoſophi. At utrùm ad cognitionem ſenſitivam requirantur ſpecies ſenſibiles? celebris eſt controverſia.

§. I.

§. I.

De *speciebus sensibilibus*.

SPecies, ut in præsenti usurpatur, dicitur ab antiquo verbo *specio*, quatenus inservit ad objecta specienda, seu aspicienda & cognoscenda. Dicitur verò communiter *intentionalis*, quia inservit, ut potentiæ cognoscitivæ tendant in objecta sua; hinc cognitio est quædam *intentio*, sive quædam tendentia in objectum cognitum. Vocatur etiam *sensibilis*, quia sensibus ad suas functiones exercendas deservit. Appellatur quoque *visibilis*, seu *visibilis*, *audibilis*, *tactilis*, &c. secundùm quod ad visum, vel ad auditum, aut ad tactum, &c. pertinet. Ob similem rationem dicitur species *intellectilis*, vel *intelligibilis*, quando intellectui ad intelligendum opitulatur.

Species intentionalis, duplex est, nimirum *impressa*, & *expressa*. Species impressa est ea, quæ imprimitur potentiæ cognoscitivæ ab objecto, tanquam ipsius objecti imago vicaria, quæque simul cum potentia cognoscitiva ad objecti cognitionem concurrit, & quæ proinde habet rationem comprincipii respectu cognitionis. Species verò expressa est terminus per cognitionem productus; terminus, inquam, intrinsecus, seu intra intellectum vel sensum efformatus, ad quem cognitio actualis immediatè terminatur, & quo mediante se ad objectum extra intellectum aut sensum positum extendit. Dicitur verò *Species expressa*; quoniam exprimitur, seu efformatur ad imitationem speciei impressæ, cui proinde debet assimilari. Sæpè etiam appellatur *Verbum*; quoniam sicut per externa verba aliis loquimur, nostros conceptus ipsis manifestando; sic pariter dum potentia cognoscitiva format internum *verbum*, seu speciem expressam, sibi quodammo-

modò loquitur, manifeſtando & repræſentando ſibi objectum, ipſumque actu cognoſcendo. De ſpecie expreſſa ſuo loco infra diſſeremus. De ſpecie verò impreſſa hic agemus. Quærimus ergo, an in ſenſibus admitti debeant ſpecies impreſſæ objectorum ſenſibilium repræſentativæ.

Circa quam difficultatem variæ ſunt Philoſophorum ſententiæ. In primis namque Ocham cum Nominalibus, omnes ſpecies ſenſibiles negat. Cum Nominalibus conſentiunt Carteſiani negantes, ullam ſpeciem imprimi potentiis ſenſitivis à ſenſibilibus objectis. Durandus verò ſpecies ſenſibiles rejicit in cognitionibus intuitivis, (id eſt, in cognitionibus rerum præſentium) illas tamen admittit in cognitionibus abſtractivis (ſive in cognitionibus rerum abſentium.) Alii (inter quos eſt Pontius) ſpecies ſenſibiles, admittunt in viſu, auditu, & odoratu; ſed illas negant in guſtu, & tactu. Arriaga eas negat etiam in odoratu. Thomiſtæ verò communiter ſpecies ſenſibiles in omnibus ſenſibus neceſſarias eſſe volunt, ut ſuas functiones poſſint obire, ſuaſque operationes elicere. Cum Thomiſtis.

Dico: admittendæ ſunt ſpecies impreſſæ ſenſibiles in omnibus ſenſibus. Hanc concluſionem docet Ariſtoteles 3. de anima textu 3. ubi loquens de intellectu & ſenſu generaliter ſumpto, ſic ait: *Oportet eſſe ſuſceptivum ſpeciei*. Quod ibidem approbat D. Thomas lect. 7. idque repetit innumeris in locis.

Prob. 1. Cùm in communi Philoſophorum ſententia, omnes & ſinguli ſenſus ſint potentiæ immanentes; dum operantur, ſuas ſenſationes exercendo, non debent ferri extra ſeipſos, ſed debent in ſeipſis remanere: atqui niſi objecta ſenſuum ipſis imprimerent ſpecies, ſenſus dum operarentur, ferrentur extra ſeipſos, nec in ſeipſis propriè remanerent: ergo &c. Prob. min. Tunc aliqua potentia, dum operatur, cenſetur ferri extra

traseipsam, quando operatur circa ob-
taliter ipsi extrinsecum, & omninò extra ipsam to-
positum: atqui nisi objecta sensuum ipsis im-
merent species, sensus operarentur circa obje-
cta totaliter ipsis extrinseca, & omninò extra
ipsos posita: ergo &c. Ma. videtur clara. Prob.
mi. tunc aliquod objectum censeri debet totali-
ter alicui potentiæ extrinsecum, & extra ipsum
omninò positum, quando objectum illud neque
est intra potentiam secundùm seipsum, aut pro-
priam entitatem naturalem, neque secundùm
aliquid à se ipso impressum potentiæ: atqui, si
objecta sensuum eis non imprimerent species,
objecta illa neque essent intra sensus, secun-
dùm seipsa, vel proprias entitates naturales,
(neque enim dum video arborem, arbor secun-
dùm seipsam, aut propriam entitatem suam na-
turalem, est intra meam potentiam visivam, ut
patet) *neque secundùm aliquid à seipsis im-
pressum sensibus; si etenim objecta sensuum
eis non imprimant species, non apparet,
quid sensibus ab objectis imprimatur: ergo
&c.*

*Prob.*2. Cùm quilibet sensus sit de se in actu primo indeterminatus & indifferens ad cognoscendum hoc objectum potiùs, quàm illud, v.g. ad videndam albedinem potiùs, quàm nigredinem; necesse omninò est, ut quilibet sensus aliquid recipiat, quo intrinsecè in actu primo determinetur ad cognoscendum hoc objectum potiùs, quàm illud; alioquin manebit semper indeterminatus & indifferens, nec unquam cognoscet potiùs hoc objectum, quàm illud: atqui sensus non potest aliquid aliud recipere, quo intrinsecè in actu primo determinetur ad cognoscendum hoc objectum potiùs, quàm illud, præter speciem sive imaginem & repræsentationem impressam hujus objecti potiùs, quàm illius; quid enim illud aliud esset? ergo &c.

Respondent aliqui, sensus sufficienter determi-

BIBLIOTECA D. F. M.
MONTEFUSCO
(Av)

minari ad cognoſcendum hoc objectum potiùs, quàm illud, per ſolam præſentiam extrinſecam objecti potiùs, quàm alterius.

Sed contrà: nam in primis, ſenſus interni ſæpè cognoſcunt objecta abſentia (ut patet in memoria ſenſitiva:) ergo ſaltem tunc ſenſus non poterunt ſufficienter determinari per extrinſecam objecti præſentiam: & ita debebunt per ſpeciem ab objecto impreſſam determinari.

Deinde extrinſeca objecti præſentia nihil ponit intrinſecè in ſenſu: ergo hæc extrinſeca objecti præſentia minimè ſufficit ad determinandum intrinſecè ſenſum ad cognoſcendum hoc objectum potiùs, quàm illud.

Prob. 3. ex illo axiomate ſumpto ex D. Auguſtino lib. 9. de Trinit. cap. 12. *Ex objecto & potentia paritur notitia*; quod nunc apud Philoſophos uſurpatur. Ut itaque potentia ſenſitiva pariat notitiam, id eſt, ut cognoſcat hoc objectum determinatum, debent objectum & potentia ſenſitiva, ſeu ſenſus, priùs uniri (neque enim poſſunt duo agentia ſimul influere in eundem effectum, vel in eandem actionem, niſi priùs uniantur:) cùm ergo objectum ſecundùm entitatem ſuam naturalem ſæpiſſimè non uniatur potentiæ ſenſitivæ, ut patet; ſupereſt, ut ſenſibile objectum uniatur ipſi potentiæ ſenſitivæ, ſeu ſenſui, mediante ſpecie impreſſa ſenſibili.

Addi poſſet, quòd experimur ſpeciem, ſive imaginem, aut repræſentationem objecti recipi in oculo, quæ ſpecies, aut imago, vel repræſentatio intentionalis idem repræſentat oculo vel potentiæ viſivæ, cui imprimitur, quod nobis repræſentat. Sanè, ſi objecta immittunt ſpecies aut imagines ſui in ſpeculum, quare etiam immittere & imprimere non poterunt ſpecies, aut imagines intentionales ſui, in potentias ſenſitivas animæ, ſive in ſenſus?

Ex dictis inferes, admittendas eſſe ſpecies impreſſas intelligibiles in intellectu. Nam in primis

in-

intellectus est potentia immanens, ideòque, dum operatur intelligendo, non debet ferri extra seipsum, sed debet in seipso remanere; proindèque objecta, circa quæ operatur, non debent esse totaliter ipsi extrinseca, & esse omninò extra illum posita; sed potiùs debent illa objecta fieri intrinseca intellectui in *esse* saltem *intelligibili*, nimirum ratione speciei intelligibilis, quam ipsa objecta imprimant intellectui, quæque in ipso intellectu intrinsecè recipiatur.

Deinde intellectus de se est in actu primo indeterminatus & indifferens ad intelligendum hoc objectum potiùs, quàm illud; proindèque necesse est planè, ut intellectus aliquid recipiat, quo intrinsecè in actu primo determinetur ad intelligendum hoc objectum potiùs, quàm illud; nequit verò intellectus recipere aliud, quo intrinsecè determinetur in actu primò ad intelligendum hoc objectum potiùs, quàm illud, præter speciem aut imaginem & repræsentationem intelligibilem hujus objecti potiùs, quàm illius.

Neque dici potest, intellectum sufficienter determinari ad intelligendum hoc objectum potiùs, quàm illud objectum, per solam præsentiam extrinsecam hujus objecti potiùs, quàm illius objecti. Non potest, inquam, hoc dici. Nam in primis intellectus sæpè intelligit objecta absentia; ergo saltem tunc intellectus non poterit sufficienter determinari per extrinsecam objecti præsentiam, & ita debebit per speciem ab objecto impressam determinari. Deinde extrinseca objecti præsentia nihil ponit intrinsecè in intellectu: ergo hæc extrinseca objecti præsentia nequaquam sufficit ad determinandum intrinsecè intellectum ad intelligendum hoc objectum potiùs, quàm illud. Denique, ut intellectus & objectum pariant notitiam intellectualem, debent priùs uniri: cùm ergo objectum secundùm entitatem suam naturalem non uniatur intellectui,

ctui, debet ipſi uniri mediante ſpecie intelligibili, quam illi imprimat.

§. II.

Variæ objectiones ſolvuntur.

OBjic. 1. Si admittendæ eſſent ſpecies ſenſibiles, v.g. in viſu, poſſent duo accidentia ſolo numero differentia ſimul eſſe in eodem ſubjecto: ergo cùm hoc dici non poſſit, ſaltem in ſententia diſcipulorum D. Thomæ, non ſunt admittendæ ſpecies ſenſibiles in viſu, & aliis ſenſibus. Prob. ant. ſi admittendæ eſſent ſpecies ſenſibiles in viſu, poſſent ſpecies ſenſibiles duorum ovorum ſimul eſſe in eodem oculo; ut patet: atqui hoc poſito, poſſunt duo accidentia ſolo numero differentia ſimul eſſe in eodem ſubjecto: ergo &c. Prob. min. ſpecies ſenſibiles duorum ovorum alborum ſolo numero differunt; cùm non magis differant, quàm duo ova alba, à quibus imprimuntur, quæ ſolo differunt numero: ergo cùm aliunde duæ illæ ſpecies ſint duo accidentia, ſi poſſint ſimul eſſe in eodem oculo, duo accidentia ſolo numero diſtincta poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubjecto.

Reſpondeo negando ant. quamvis enim duæ ſpecies ſenſibiles ſolo numero differentes poſſint ſucceſſivè eſſe in viſu, non tamen ſimul. Ad Prob. ant. nego mz. ut enim dixi, ſpecies ſenſibiles numero ſolo differentes non poſſunt ſimul eſſe in viſu; ideòque duæ ſenſibiles duorum novorum ſpecies ſolo numero differentes nequeunt ſimul eſſe in eodem oculo. Unde cùm oculus videt duo ova eodem viſionis actu, ea videt per unam ſpeciem ſenſibilem, ſicut & per unum viſionis actum. Neque ex eo, quòd ſint duo ova numero diſtincta, ſequitur, ut etiam ſint duæ ſpecies ſenſibiles numero differentes, ſimul in eodem oculo exiſtentes, quibus duo illa ova repræſententur; li-

cèt

cèt enim in ratione entis illa duo ova sint duo distincta numero, sunt tamen unum in ratione objecti immittentis speciem sensibilem in oculum; sive sunt unum objectum adæquatum unius & ejusdem actus visionis, quod proinde per unam speciem sensibilem repræsentari potest. Huic objectioni susiùs in Metaphy. respondebimus, differentes de unitate numerica accidentium.

Objic. 2. Si objectum visus imprimeret ei speciem sensibilem, hæc species deberet esse quanta seu extensa & divisibilis: atqui objectum visus non imprimit ei speciem quantam seu extensam & divisibilem: ergo &c. Ma. patet; species quippe, quæ ab objecto quanto seu extenso & divisibili provenit, quæque recipitur in subjecto quanto, sive extenso & divisibili, debet esse quanta aut extensa & divisibilis, ut patet; si autem objectum visus imprimeret ei speciem sensibilem, hæc proveniret ab objecto quanto vel extenso & divisibili, nempè ab objecto visibili; & præterea reciperetur in subjecto quanto aut extenso & divisibili, v.g. in oculo. Prob. autem mi. si species sensibilis quanta aut extensa & divisibilis imprimeretur visui ab objecto visus, debet esse tantæ quantitatis & divisibilitatis, quantæ est objectum, à quo imprimitur: atqui hoc dici non potest; nam alioquin species sensibilis cœli, vel alicujus magni montis, recipi nequaquam posset ab oculo: ergo &c.

Respondeo distinguendo: duobus etenim modis species sensibilis visus dici potest quanta & divisibilis; nimirum in *esse* entitativo, & in esse intentionali aut repræsentativo. Species sensibilis visus in *esse* entitativo mensuratur in sua quantitate & divisibilitate per quantitatem & divisibilitatem subjecti, in quo recipitur, nempè per quantitatem & divisibilitatem oculi, vel subjecti, in quo est visus; in *esse* autem intentionali vel repræsentativo mensuratur per quantitatem & divisibilitatem objecti, quod repræsentat; unde

unde hujuſmodi ſpecies tantæ eſt quantitatis & diviſibilitatis in *eſſe* intentionali & repræſentativo, quantæ eſt objectum. Non repugnat ergo, ut ſpecies ſenſibilis cœli, magni montis, & cujuſcumque alterius objecti, quantæcumque magnitudinis, recipiatur in oculo, aut in ſubjecto viſus, licèt oculus, vel ſubjectum viſus ſit longè minoris quantitatis; quia, ut ſpecies ſenſibilis, & quodcumque aliud accidens quantum & diviſibile recipiatur in aliquo ſubjecto, eſt ſatis, ut accidens receptibile, & ſubjectum recipiens, in *eſſe* entitativo & naturali commenſurentur, & proportionentur in quantitate & diviſibilitate.

Objic. 3. Si oculus vel viſus reciperet ſpecies intentionales ab objectis viſibilibus, deberet recipere ſpecies intentionales ab omnibus objectis viſibilibus; cùm non ſit major ratio de uno objecto viſibili, quàm de aliis: atqui oculus vel viſus nequit recipere ſpecies intentionales ab omnibus objectis viſibilibus; alioquin tandem contingeret, ut in uno oculo, aut in uno viſu, eſſent ſimul innumeræ innumerorum objectorum viſibilium ſpecies intentionales, ex quibus emanaret confuſio: ergo &c.

Reſpondeo 1. conceſſa maj. negando min. ad cujus prob. dico, quòd dum viſus, vel quilibet alius ſenſus externus, recipit ſpecies ſenſibiles & intentionales ab objectis ſenſibilibus, ſpecies illæ ſucceſſivè deſinunt, dum objecta à quibus fuerunt impreſſæ, deſinunt eſſe præſentia; in hoc quippe diſcrepant ſenſus interni ab externis, quòd ſenſus interni, utpotè propiùs ad intellectum accedentes, non limitantur ad objecta præſentia, ſed potiùs abſtrahunt à præſentia vel abſentia objecti, ita ut poſſint cognoſcere etiam objecta abſentia; unde poſtquàm receperunt intentionales objectorum ſpecies, hæ ſpecies non ceſſant, dum objecta deſinunt eſſe præſentia; ſed potiùs permanent, adeò ut ſenſus

inter-

sensus externi, propter imperfectionem, limitantur & determinantur ad objecta præsentia; ideòque dum objecta desinunt esse præsentia, species intentionales, quas sensibus externis impresserant, cùm erant præsentia, desinunt; sicque nunquam contingit, ut in uno oculo, aut in uno visu, vel in quovis alio sensu externo, sint innumeræ innumerorum objectorum sensibilium species intentionales simul, confusionem inducentes.

Respondeo 2. quòd sicut frigus, albedo, *dulcedo*, &c. in eadem lactis parte simul existunt absque confusione ulla, & distinctè percipiuntur à tactu, visu, gustu, &c. ita etiam dici posset, innumeras objectorum sensibilium species intentionales posse simul esse in uno oculo, vel in uno visu, absque ulla confusione, adeò ut distinctè repræsentent objecta, quorum sunt species intentionales.

Instabis: Si in visu essent simul plures species intentionales, non posset visus discernere distantias objectorum, quæ per ejusmodi species repræsentarentur; quandoquidem species illæ non distarent.

Respondeo negando sequelam; quantumvis enim plures species intentionales simul in eodem visu existant, & simul existendo in eodem subjecto à se mutuò non distent; quia tamen repræsentant objecta, prout in re sunt extra visum; si contingat, ut objecta illa extra visum ab invicem distent, repræsentant illorum distantiam, quam proinde visus discernere potest.

Objic. 4. Incredibile est, ignem, & alia lucida, quæ à magna distantia videntur nocte, posse per tantum spatium diffundere species intentionales usque ad visum: ergo saltem tunc objecta illa videntur sine speciebus intentionalibus.

Respondeo negando ant. etenim licèt ignis &

alia

alia lucida viſa nocte à magna diſtantia, copioſum lumen non tribuat, niſi aeri ſibi vicino, attamen aliquale lumen diffundunt per aerem uſque ad viſum, ut patet experientia; ideòque non eſt incredibile, illa lucida diffundere ſpecies intentionales per totum ſpatium interjectum uſque ad viſum.

Objic. 5. Si ſonus emitteret ſpeciem intentionalem ſui repræſentativam, deberet illam emittere, ſtatim ac fit ipſe ſonus: atqui ſtatim ac fit ſonus, non emittit ſpeciem intentionalem ſui repræſentativam; alioquin ſtatim audiretur ſonus; quod tamen experientia conſtat eſſe falſum; ſi quis enim ſecuri ligna ſcindat, priùs videmus ictum ſecuris, quàm audire poſſimus ſonum: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. reverà namque, ſtatim ac ſit ſonus, ipſe emittit ſpeciem intentionalem ſui repræſentativam; nec tamen ſtatim auditur ſonus, quia ſpecies intentionalis repræſentativa ſoni, non pervenit ad auditum, niſi mediante motu, quo aer colliditur, & ſpecies intentionalis ſoni ad auditum defertur; unde, cùm motus ille non fiat in inſtanti, ſed ſucceſſivè; intentionalis ſpecies ſoni in inſtanti ad auditum non pervenit, ſed ſucceſſivè; quamvis emittatur ſeu producatur in eodem inſtanti, in quo fit ipſe ſonus.

Objic. 6. Duo objecta viſibilia contraria, (ut albedo & nigredo) diſtinctè percipiuntur à viſu: duo autem odores contrarii minimè percipiuntur diſtinctè ab olfactu, ſed percipitur duntaxat odor quidam mixtus; ut patet experientia; cujus nulla poteſt reddi ratio, niſi quia objecta viſibilia fiunt in viſu præſentia ſolùm ſecundùm ſpecies intentionales; objecta verò odorabilia fiunt in olfactu præſentia ſecundùm entitates ſuas naturales; ex quo oritur, ut ſe quandoque perturbent, adeò ut reſultet ex hujuſmodi perturbatione & permixtione, odor qui-

quidam mixtus: ergo objecta ſaltem odorabilia non imprimunt ſenſui olfactus ſpecies intentionales.

Reſpondeo, olfactum duobus modis poſſe percipere odores contrarios & diverſos; uno modo, quando objecta odorabilia ſunt propè, alio modo quando objecta illa ſatis diſtant. Quando itaque objecta odorabilia ſatis diſtant ab olfactu, tunc ipſe olfactus poteſt diſtinctè percipere odores contrarios vel diverſos; non tamen quando objecta odorabilia ſunt propè, hujus autem ratio non eſt, quia odores contrarii aut diverſi objectorum odorabilium propè poſitorum fiant præſentes in olfactu ſecundùm entitates ſuas naturales, (odores quippe, vel aliæ quæcumque qualitates ſenſibiles, non ſunt ſufficientis immaterialitatis, ut poſſint ſecundùm entitates ſuas naturales immediatè in aliquo ſenſu poni, & fieri in eo præſente; ideòque neceſſe eſt, ut emittant ſpecies intentionales, quæ ſunt puriores, ſubtiliores, & magis immateriales, ut poſſint ſecundùm ejuſmodi ſpecies in ſenſu poni, & fieri in eo præſentes) ſed quia ſpecies intentionales objectorum odorabilium propè poſitorum, magis ſapiunt conditiones odorum in hujuſmodi objectis exiſtentium, quàm ſi objecta odorabilia magis ab olfactu diſtarent; ex quo fit, ut ſpecies intentionales objectorum odorabilium propè poſitorum, ſapientes quandoque conditiones odorum contrariorum, ſibi invicem quodammodo contrarientur, ſeſeque perturbent; ſicque impediant, ne odores contrarii, quorum ſunt ſpecies intentionales, poſſint diſtinctè ab olfactu percipi, ſed potiùs confusè, ad modum alicujus odoris mixti.

§. III.

§. III.

Aliæ objectiones diluuntur.

OBji. 7. inutiles ſunt ſpecies intentionales in guſtu & tactu: ergo non dantur ſpecies intentionales in guſtu & tactu. Prob. ant. tunc ſolùm neceſſariæ videntur in aliquo ſenſu ſpecies intentionales objectorum ſenſibilium, quando objecta ſenſibilia ſunt à ſenſu diſtantia; ad hanc quippe objectorum ſenſibilium diſtantiam & abſentiam ſupplendam, neceſſariæ videntur ſpecies intentionales, quæ ſint illorum objectorum vicariæ: atqui dum guſtus, & tactus, percipiunt objecta ſua, hæc objecta non ſunt ab illis ſenſibus diſtantia; imò repugnat, ut hi ſenſus percipiant objecta diſtantia: ergo &c.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. diſtinguo maj. duobus ſiquidem modis poſſunt duo dici à ſe mutuò diſtantia; uno modo propriè & ſtrictè, alio modo impropriè & latè. Tunc duo aliqua dici poſſunt propriè & ſtrictè diſtantia, quando ſunt in locis diſtantibus. Tunc verò duo aliqua poſſunt dici impropriè & latè diſtantia, quando unum non eſt in alio. Quando igitur guſtus & tactus percipiunt objecta ſua, hæc objecta non ſunt quidem ab illis ſenſibus propriè ſtrictèque diſtantia; benè tamen impropriè & latè, quatenus ſecundùm entitates ſuas naturales non ſunt in ejuſmodi ſenſibus immediatè poſita atqui præſentia; ut enim ſuprà dicebamus, qualitates ſenſibiles, vel objecta ſenſibilia, non ſunt ſufficientis immaterialitatis, ut poſſint immediatè ſecundùm entitates ſuas naturales poni in aliquo ſenſu: neceſſariæ autem ſunt ſpecies intentionales in ſenſu ad ſupplendam, non modò diſtantiam objecti propriam & ſtrictam, ſed etiam impropriam latamque.

Inſtabis: ſi guſtus & tactus ſentirent per ſpecies

cies intentionales objectorum, possent hi duo sensus sentire objecta non sibi contigua atqui distantia secundùm distantiam propriam strictamque; sicut & alii sensus, qui sentiunt aut cognoscunt per intentionales objectorum species: atqui gustus & tactus non possunt sentire objecta non sibi contingua atque distantia secundùm distantiam propriam strictamque; ut patet experientia: ergo &c.

Respondeo negando ma. cùm etenim gustus & tactus sint imperfectissimi omnium sensuum, corum *virtus* cognoscitiva vel sensitiva est magis limitata; ideòque licèt alii sensus possint per virtutem suam cognoscitivam se ad objecta non sibi contigua atque distantia secundùm distantiam propriam strictamque extendere, id tamen non possunt gustus tactusque.

Objic.8. objecta visibilia, & quævis alia objecta sensibilia, non sunt activa ergo non possunt species intentionales sensibus imprimere, cùm has species nequeant sensibilibus imprimere, nisi agant.

Respondeo distinguendo ant. objecta visibilia, & quævis alia objecta sensibilia, non sunt activa, in ordine ad aliquam formam Physicam producendam concedo. non sunt activa in ordine ad formam intentionalem & sui repræsentativam imprimendam, nego ant. & conseq.

Objic.9. si admitendæ essent species intentionales, duo accidentia contraria possent simul esse naturaliter in eodem subjecto: atqui duo accidentia contraria non possunt naturaliter simul esse in eodem subjecto: ergo &c. Prob. ma. species intentionalis albedinis, & species intentionalis nigredinis, sunt duo accidentia contraria; sicut albedo, & nigredo, quarum sunt species: ergo cùm duæ illæ species intentionales possent simul esse in eodem oculo, duo accidentia contraria possent simul esse in eodem subjecto.

Respond. distinguendo ma. si admittendæ essent

ſpecies intentionales, duo accidentia repræſentativè contraria, poſſent ſimul eſſe naturaliter in eodem ſubjecto, concedo: duo accidentia entitativè contraria, poſſent ſimul eſſe naturaliter in eodem ſubjecto, nego; licèt enim ſpecies intentionalis albedinis, & ſpecies intentionalis nigredinis, ſint duo accidentia repræſentativè contraria, quatenùs duæ illæ ſpecies repræſentant albedinem, & nigredinem; quæ ſunt accidentia contraria; attamen hujuſmodi ſpecies non ſunt accidentia entitativè contraria, ita ut habeant entitates contrarias, & in eodem ſubjecto naturaliter incompoſſibiles.

Objic.10. cum Galeno: ad hoc ſolùm neceſſariæ ſunt ſpecies intentionales in potentiis cognoſcitivis, ut nempè potentiæ cognoſcitivæ determinentur ad cognoſcenda hæc objecta potiùs, quàm illa: atqui ad hoc non ſunt neceſſariæ ſpecies intẽtionales in ſenſibus externis: ergo in ſenſibus externis neceſſariæ non sũt ſpecies intentionales. Prob. mi. ſenſus externi non poſſunt cognoſcere niſi objecta realiter præſentia: ergo ſenſus externi ſufficienter determinantur ad cognoſcenda hæc objecta potiùs, quàm illa, per realem præſentiam horum objectorum potiùs, quàm illorum, neque ad hanc ſenſuum externorum determinationem neceſſariæ ſunt intentionales ſpecies.

Reſpondeo data maj. negando min. Licèt enim ſenſus externi per extrinſecam prẹſentiam realem horum objectorum potiùs, quàm illorum, extrinſecè determinentur ad hæc objecta potiùs, quàm ad illa cognoſcenda; non determinantur tamen intrinſecè niſi per ſpecies intentionales, quæ in ipſis intrinſecè recipiantur.

Objic.11. inutiles ſunt ſpecies intentionales in ſenſibus internis: ergo ſpecies intentionales in ſenſibus internis non dantur. Prob. ant. eo ipſo, quòd ſenſus externi ſunt ad hoc objectum potiùs, quàm ad illud cognoſcendum determinati, ad idem objectum cognoſcendum determinantur ſenſus in-

interni: quandoquidem sensus interni ea dunta-xat cognoscunt objecta, quæ ipsis à sensibus externis repræsentantur: ergo inutiles sunt species intentionales in sensibus internis ad ipsos determinandos ad hoc objectum potiùs, quàm illud cognoscendum.

Respondeo negando ant. Ad cujus Prob. distingo ant. eo ipso, quòd sensus externi sunt ad hoc objectum potiùs, quàm ad illud cognoscendum determinati, ad idem objectum cognoscendum determinantur extrinsecè sensus interni, concedo: *ad idem* objectum cognoscendum determinantur intrinsecè sensus interni, nego; cùm enim determinatio sensuum externorum, sit aliquid extrinsecum respectu sensuum internorum, nequeunt sensus interni denominari intrinsecè determinati à sola sensuum externorum determinatione; proindèque, ut sensus interni intrinsecè ad hæc potiùs, quàm ad illa objecta cognoscenda determinentur, utiles sunt, imò necessariæ sspecies intentionales horum objectorum potiùs, quàm illorum, quæ in sensibus internis recipiantur.

Instabis: ideò intellectus indiget speciebus intentionalibus sibi propriis, quibus determinetur ad cognoscendum hoc objectum potiùs, quàm illud, nec sufficit ad hoc determinatio sensuum internorum externorumque, quia sensuum internorum & externorum denominatio est ordinis inferioris, respectu intellectus; utpotè, cùm intellectus sit ordinis spiritualis, determinatio autem sensuum internorum & externorum sit ordinis corporei: ergo cùm è contra, determinatio sensuum externorum sit ejusdem ordinis cum sensibus internis; utpotè cùm determinatio illa, & sensus interni, sint ejusdem ordinis sensibilis; determinatio sensuum externorum ad hoc objectum potiùs, quàm ad illud cognoscendum, erit satis & pro sensibus internis; nec erunt necessariæ in ipsis sensibus internis propriæ species intentionales,

les, ut per eas ad hæc objecta potiùs, quàm ad illa cognoſcenda determinentur.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ideò intellectus indiget ſpeciebus intentionalibus ſibi propriis, quibus determinetur ad cognoſcendum hoc objectum potiùs, quàm illud; nec ſufficit ad hoc determinatio ſenſuum internorum externorumque; quia ſenſuum internorum & externorum determinatio eſt ordinis inferioris reſpectu intellectus &c. ſi illa particula, *quia*, deſignet rationem hujus rei inadæquatam, concedo: ſi illa particula, *quia*, deſignet rationem hujus rei adæquatam, nego. Quòd igitur ſenſuum internorum & externorum determinatio ſit ordinis inferioris reſpectu intellectus, quòd nempè determinatio illa ſit ordinis corporei, eſt quidem inadæquata ſeu aliqua ratio, cur non ſufficiat ad determinandum intellectum, ut hoc objectum potiùs, quàm illud cognoſcat; at non eſt adæquata & tota ratio; imò præcipua hujus rei ratio eſt, quia ut intellectus ſufficienter determinetur ad cognoſcendum hoc objectum potiùs, quàm illud, debet intrinſecè ad hoc determinari, (eo quòd de ſe eſt ad id intrinſecè indeterminatus & indifferens) proindèque debet per aliquid ſibi intrinſecum ad illud determinari; determinatio autem ſenſuum internorum & externorum non eſt aliquid intrinſecum intellectui, ſed potiùs eſt aliquid ipſi extrinſecum; ut patet: ſimili mõdo ergo, quia ſenſuum externorum determinatio eſt aliquid extrinſecum reſpectu ſenſuum internorum, non debet ſufficere ad determinandos intrinſecè ſenſus internos ad hoc objectum potiùs, quàm ad illud cognoſcendum; ſed ad hoc neceſſariæ ſunt ſpecies intentionales, quæ ſint ipſis ſenſibus internis intrinſecæ.

Objic. 12. ſi ſenſus tam externi, quàm interni reciperent ſpecies intentionales ſibi ab objectis impreſſas; hæ ſpecies in ſenſibus tam externis,

quàm

quàm internis, poſſent in objectorum abſentia conſervari; & ſic tam ſenſus externi, quàm interni, poſſent mediis ſpeciebus illis remanentibus objecta abſentia percipere: atqui hoc dici non poteſt; imò experientia quotidiana patet, externos ſenſus non poſſe percipere objecta abſentia: ergo &c.

Reſpondeo negando ma. ſenſus quippe externi, cùm ſint ſenſibus internis longè imperfectiores, habent vim perceptivam ſeu cognoſcitivam longè imperfectiorem, nempè ad objecta præſentia *limitata*, ita ut ſtatim ac ceſſant objecta eſſe præſentia, ceſſent quoque in ſenſibus externis ſpecies intentionales illorum objectorum repræſentativæ, adeò ut non poſſint ampliùs ipſi ſenſus externi illa objecta percipere.

Objic.13. inutiles ſunt ſpecies intentionales in intellectu: ergo in intellectu non dantur ſpecies intentionales. Prob. ant. eo *ipſo*, quòd ſenſus interni percipiunt *hoc* objectum potiùs, quàm illlud intellectus ad idem objectum percipiendum determinatur: ergo ad determinandum intellectum inutiles ſunt ſpecies intentionales in ipſo intellectu.

Reſpondeo negando antec. quamvis etenim eo ipſo, quòd ſenſus interni percipiunt hoc objectum, potiùs quàm illud; intellectus ad idem objectum percipiendum extrinſecè determinetur, non tamen intrinſecè; proindèque ut intellectus intrinſecè determinetur, neceſſariæ ſunt ſpecies *intentionales*, in *ipſo* intellectu conſtituendæ.

Inſtabis: quamvis cauſæ particulares ſint ordinis inferioris reſpectu cauſarum univerſalium, cauſæ tamen particulares determinant cauſas univerſales ad hunc effectum producendum potiùs, quàm ad illum; ſic Leo generans determinat Solem ad Leonem potiùs, quàm ad equum producendum; ut communiter docent Philoſophi: ergo licèt intentionales ſpecies, vel etiam ſenſatio-

tiones ſenſuum internorum & externorum, ſint ordinis inferioris reſpectu intellectus; nihil tamen impedit, ne intellectus determinetur per ſpecies intentionales, vel ſenſationes ſenſuum internorum & externorum, ad hoc objectum potiùs, quàm ad illud percipiendum.

Reſpondeo cùm diſtinctione data; tametſi enim cauſæ partiales determinent cauſas univerſales, non tamen intrinſecè, (ipſis aliquid intrinſecum imprimendo) ſed extrinſecè ſolùm; quatenus cauſæ univerſales producunt hos effectus potiùs, quàm illos, juxta connaturalem cauſarum particularium exigentiam: ſimili modo ergo, licèt intellectus determinetur per ſpecies intentionales, vel etiam per ſentationes ſenſuum internorum & externorum, ad hoc objectum potiùs, quàm ad illud percipiendum; non determinatur tamen intrinſecè, ſed extrinſecè tantùm.

Objic. 14. ſi intellectus indigeret ſpeciebus intentionalibus ad objecta cognoſcenda, nullum poſſet cognoſcere objectum ſine ſpecie intentionali; cùm non ſit major ratio de uno objecto, quàm *de alio*: atqui falſum eſt, intellectum non poſſe cognoſcere ullum objectum ſine ſpecie intentionali: ergo &c. Prob. min. nam reipſa intellectus cognoſcit relationes, privationes, negationes, & ſubſtantias Angelicas, ſine ſpeciebus intentionalibus: ergo falſum eſt, intellectum non poſſe cognoſcere ullum objectum ſine ſpecie intentionali. Prob. ant. nam, ut infrà dicetur, intellectus pro præſenti ſtatu conjunctionis animæ rationalis cum corpore, non poteſt acquirere ſpecies intentionales, niſi per miniſterium ſenſuum: atqui intellectus acquirere nequit ſpecies intentionales relationum, privationum, negationum, & ſubſtantiarum Angelicarum, per miniſterium ſenſuum; quandoquidem ſenſus nequaquam poſſunt relationes, pri-

va-

wationes, negationes, & ſubſtantias Angelicas ıpercipere: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa major. negando min. Ad ocujus prob. nego anteced. etſi enim ſenſus directè ınon poſſit percipere relationes, privationes, neggationes, & ſubſtantias Angelicas, benè tamen ïindirectè; quamvis etenim viſus, verbi gr. non ıpoſſit directè percipere relationem mutuam ſimilitudinis duorum parietum, benè tamen indirectè, percipiendo nempè illius relationis fundamentum, mutuam nempè albedinem in ambobus illis parietibus exiſtentem; ſimiliter licèt viſus non poſſit directè cognoſcere privationem ıvel negationem lucis, benè tamen indirectè, oquatenus cognoſcere, & apprehendere poteſt lucem, quæ privationi vel negationi ſui ipſius oopponitur; quamvis denique viſus non poſſit directè apprehendere ſnbſtantias Angelicas, benè tamen indirectè, quatenus apprehendere poteſt qquaſdam ſubſtantias corporeas, cum quibus ſubſſtantię Angelicę aliquando habent ſimilitudinem, cujuſmodi ſunt homines: ſunt itaque in ſenſibus ſſpecies intentionales directè repræſentantes fundamenta relationum, formas aliquas privatiomibus aut negationibus oppoſitas, & quaſcdam ſubſtantias corporeas, cum quibus ſubſſtantiæ Angelicæ cenſentur habere aliquam ſimilitudinem; indirectè verò repræſentantes re'lationes, privationes, negationes, & ſubſtantias Angelicas; & ex hujuſmodi ſpeciebus ſenſuum, quæ per miniſterium ſenſuum acquiruntur, abſtrahere poteſt intellectus ſpecies intelligibiles, quibus (utpotè longè perfectioribus) directè quodammodò, vel ſaltem minùs indirectè, relationes, privationes, negationes, & Angelicæ ſubſtantiæ repræſentenıur.

Ex dictis inferes, potentias cognoſcitivas, tum ſenſitivas, tum intellectuales, eſſe ſimul actiıas & paſſivas, ſub diverſa conſideratione. Sun:

quippè paſſivæ ſeu receptivæ, quatenus recipiunt ſpecies ab objectis impreſſas. Sunt verò activæ, quatenùs potentiæ illæ ſpeciebus impreſſis fœcundatæ eliciunt activè ſeu efficienter cognitiones ſuas.

Hinc confutatur ſententia quorumdam veterum aſſerentium, potentias cognoſcitivas eſſe merè paſſivas ſive receptivas, etiam reſpectu propriæ cognitionis. Quorum aliqui docuere, potentias cognoſcitivas ita recipere ſpeciem ab objecto impreſſam, ut hujus ſpeciei receptio, vel ſpecies ipſa recepta, ſit actualis cognitio; ſicque voluere, cognitionem effici, non à potentia cognoſcitiva, ſèd ab objecto ſpeciem activè imprimente. Alii autem aſſeruere, cognitionem elici vel effici à ſola ſpecie impreſſa, potentia cognoſcitiva merè paſſivè aut receptivè ſe habente.

Refutatur, inquam, duplex illa ſententia: etenim ſicut nutritio, augmentatio, & generatio, ſunt actiones vitales vitalitate vegetativa; ſic etiam cognitio eſt actio vitalis vitalitate cognoſcitiva (ſenſitiva nempè, vel intellectiva) proindèque, quia omnis actio vitalis procedere debet à principio vitali, debet cognitio à principio vitali procedere: atqui neque objectum cognoſcibile, neque ſpecies impreſſa, eſt principium vitale: ergo &c. Prob. mi. & primò quidem objectum cognoſcibile nequit dici principium vitale; ſiquidem, ut docent omnes, principium vitale debet eſſe intrinſecum viventi: objectum verò cognoſcibile non eſt intrinſecum viventi, ſcilicet cognoſcenti; ſed potiùs eſt aliquid ipſi planè extrinſecum. Quòd autem ſpecies impreſſa non ſit propriè & ſimpliciter principium vitale, ex eo prob. quòd nomine principii vitalis propriè & ſimpliciter dicti, intelligunt Philoſophi, vel animam, (quæ eſt primum & radicale principium vitale) vel potentias vitales, (quæ ſunt principia proxima & immediata vitalia;) proindèque

ſpe-

ſpecies impreſſa, quæ neque eſt anima, neque potentia vitalis, non eſt propriè & ſimpliciter principium vitale.

Dices: nequit una & eadem actio à duobus principiis activis procedere: atqui ſi cognitio activè procederet à potentia cognoſcitiva, cùm aliunde à ſpecie impreſſa activè proveniat, una & eadem actio à duobus principiis activis procederet: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. nequit una & eadem *actio* à duobus principiis activis adæquatis *procedere*, concedo ma. nequit una & eadem *actio* à duobus principiis activis inadæquatis, & unicum principium activum adæquatum conſtituentibus, procedere, nego; quamvis autem una & eadem actio cognoſcitiva, ſive una & eadem actio cognitionis, ſimul à potentia cognoſcitiva, & à ſpecie impreſſa, activè concurrentibus, procedat; potentia tamen cognoſcitiva, & ſpecies impreſſa, non ſunt duo principia activa adæquata, ſed *inadæquata* tantùm, conſtituentia unicum principium activum adæquatum cognitionis.

§. IV.

Vtrùm ſpecies impreſſa ſit formalis ſimilitudo objecti.

NOtandum eſt 1. ſpeciem impreſſam poſſe duobus modis conſiderari: nempè in *eſſe entitativo*, (prout nempè eſt entitas quædam nhærens *intellectui*, vel ſenſui, cui impreſſa eſt) vel in *eſſe* intentionali & repræſentativo, prout videlicet eſt quædam objecti cognoſcibilis repræſentatio intentionalis; quæ idcircò *intentionalis* appellatur, quia inſervit cognitioni intellectus aut ſenſus, quæ eſt quædam in objectum intentio, ſeu tendentia.

Notandum eſt 2. poſſe dari duplicem ſimilitudinem alicujus rei; nimirum formalem, vel virtua-

tualem. *Similitudo formalis rei eſt ea*, quæ ex ſuo conceptu formali rem repræſentat; hujuſmodi eſt perfecta Cæſaris imago. *Virtualis autem ſimilitudo rei eſt id*, cujus virtute producitur ſimilitudo aut imago rei; ejuſmodi eſt *ſemen*, cujus virtute producitur proles, quæ eſt parentis imago ſeu ſimilitudo. His prænotatis.

Certiſſimum eſt, ſpeciem impreſſam non eſſe in ordine entitativo formalem objecti ſimilitudinem; quandoquidem ſpecies impreſſa in ordine entitativo ſæpiſſimè eſt accidens, & objectum eſt ſubſtantia; dici autem non poteſt, accidens inquantùm tale, eſſe formalem ſubſtantiæ ſimilitudinem. Tota ergo controverſia eſt de ſpecie impreſſa in ordine intentionali ſumpta, utrùm nempè in illo ordine ſit formalis, vel virtualis ſolùm objecti cognoſcibilis ſimilitudo?

Affirmant Bannes, Cajetanus, Ferrarienſis, Carmelitæ Complutenſes, Joannes à S. Thoma, & alii Thomiſtæ communiter, ſpeciem impreſſam eſſe in ordine intentionali formalem objecti cognoſcibilis ſimilitudinem. Negant verò Suares, & alii plures recentiores extra Scholam D. Thomæ; imò ex Thomiſtis, Canus, & uterque Soto: docent namque iſti Authores, ſpeciem impreſſam eſſe duntaxat ſimilitudinem virtualem objecti cognoſcibilis, quatenus vim habet concurrendi cum potentia cognoſcitiva ad cognitionem objecti, quæ (ſecundùm ipſos) eſt formalis ſimilitudo, expreſſio, & repræſentatio ipſius objecti.

Dico: ſpecies impreſſa in eſſe intentionali conſiderata, eſt formalis ſimilitudo objecti. Hæc concluſio colligitur ex Ariſtotele, qui 2. de anima cap. 12. textu 121. aſſerit, ſpeciem impreſſam objecti in anima cognoſcente, eo ſimili modo ſe habere, quo ſe habet ſpecies impreſſa ſigilli in cera: ſicut ergo evidens eſt, ſpeciem impreſ-

impressam sigilli in cera esse sigilli formalem simili-
tudinem; ita etiam evidens esse debet, speciem
impressam objecti cognoscibilis esse in anima co-
gnoscente, formalem ipsius objecti cognoscibilis
similitudinem. Eodem exemplo speciei sigilli im-
pressæ in cera utitur D. Thom. *lect. 3. de memoria*
& reminiscentia litt. B.

Prob. 1. formalis similitudo alicujus objecti est id, quod ex suo conceptu formali & proprio re-
præsentat objectum: atqui species impressa ob-
jecti cognoscibilis, considerata in *esse* intentiona-
li, ex suo conceptu formali & proprio, repræ-
sentat objectum cognoscibile: ergo &c. Ma.
videtur clara. Prob. mi. quod ex suo conce-
ptu formali & proprio ordinatur ad repræ-
sentandum objectum cognoscibile, ipsum ex suo
conceptu formali & proprio repræsentat; ut
ex *ipsis terminis patet*: atqui *species im-
pressa objecti cognoscibilis, considerata in
esse intentionali*, ex *suo conceptu formali &
proprio*, ordinatur *ad ipsum repræsentandum*:
ergo &c. Prob. mi. *ut enim communiter expo-
nunt* Philosophi, species impressa objecti cogno-
scibilis, in *esse* intentionali spectata, ex suo con-
ceptu formali & proprio ordinatur & institui-
tur ad præsentandum objectum cognoscibile
potentiæ cognoscitivæ; species autem impressa
objecti cognoscibilis non præsentat ipsum po-
tentiæ cognoscitivæ, nisi ipsum repræsen-
tando.

Prob. 2. & simul destruitur adversariorum do-
ctrina. *Docent igitur* adversarii, speciem im-
pressam subjecti cognoscibilis intantùm esse simi-
litudinem objecti cognoscibilis, inquantùm est
quædam virtus concurrens ad productionem spe-
ciei expressæ, quæ est formalis similitudo objecti:
eo simili modo, quo semen concurrit ad produ-
ctionem prolis, quæ est formalis similitudo gene-
rantis: sicque concludunt, speciem impressam
objecti cognoscibilis esse virtualem duntaxat

ejus ſimilitudinem, ſicut ſemen eſt virtualis tantùm ſimilitudo generantis: hæc autem doctrina ex eo refellitur, quòd ſemen eſt ſolùm inſtrumentum generantis; ſpecies verò impreſſa objecti cognoſcibilis eſt ejus præſentatio, proindè, que formalis ejus ſimilitudo.

Denique, ſpeciem impreſſam objecti cognoſcibilis *eſſe* formalem ejus ſimilitudinem, probatur exemplo ſpecierum, quæ ab objectis imprimuntur ſpeculis, has enim ſpecies eſſe formales objectorum ſimilitudines, & germanas eorum imagines, evidentiſſimum eſt: ergo cùm potentiæ cognoſcitivæ ſint veluti quædam animæ, vel animalis, ſpecula, ſpecies ab objectis cognoſcibilibus impreſſæ potentiis cognoſcitivis, debent eſſe formales objectorum cognoſcibilium ſimilitudines, & germanæ illorum imagines.

Objic. 1. accidens nequit dici formalis ſimilitudo ſubſtantiæ, cùm etenim accidens, & ſubſtantia, ſint prorſus diſſimilis rationis, non apparet, quonam modo accidens poſſit dici formalis ſimilitudo ſubſtantiæ: ergo cùm interdum ſpecies impreſſa objecti cognoſcibilis ſit aliquod accidens, & objectum cognoſcibile ſit ſubſtantia; non apparet, quonam modo ſpecies impreſſa objecti cognoſcibilis poſſit tunc dici ſimilitudo formalis objecti cognoſcibilis.

Reſpondeo 1. diſtinguendo ant. concedo namque, accidens in *eſſe* entitativo, nunquam poſſe dici formalem ſubſtantiæ ſimilitudinem; etenim accidens, & ſubſtantia in *eſſe* entitativo ſunt eſſentialiter diſſimilis rationis: at minimè repugnat, ut ſubſtantia imprimat & emittat in potentiam cognoſcitivam accidens aliquod, quod ſit vicarium ipſius ſubſtantiæ, eamque præſentet potentiæ cognoſcitivæ, tanquam intentionalis ejus imago; ad quod requiritur, ut accidens illud ſit in *eſſe* intentionali formalis ſimilitudo ſubſtantiæ; unde non repugnat, ut ſubſtantia, & accidens, ſiant in *eſſe* intentionali ſimilis rationis.

Objic.

Objic. 2. essentia Divina est in intellectu hominis beati species impressa repræsentans creaturas, quas homo beatus videt in Deo clarè viso, (ut docent Theologi) & tamen Divina essentia nequit dici formalis creaturarum similitudo : ergo necesse non est, ut species impressa sit formalis similitudo objecti.

Respondeo distinguendo duplex objectum, quod per speciem impressam repræsentari potest; nempè unum primarium, & aliud secundarium, *quod in* primario sicut in causa virtualiter continetur: species itaque impressa in *esse* intentionali, est formalis similitudo objecti primarii ; at est virtualis solùm objecti secundarii similitudo ; non quidem in sensu adversariorum, ex eo nempè præcisè, quòd sit quædam virtus concurrens ad objecti secundarii cognitionem ; sed in alio *sensu, quatenus nimirum species impressa* formaliter & *immediatè non repræsentat* objectum *secundarium, sed virtualiter tantùm* & mediatè, prout *videlicet objectum secundarium* virtualiter in primario velut in causa continetur. Essentia autem divina intellectui hominis beati unita, est quidem species impressa repræsentans creaturas, quas homo beatus videt in Deo clarè viso : at non repræsentat eas formaliter & immediatè, ad modum objecti primarii ; sed virtualiter vel eminenter & mediatè tantùm, ad modum objecti secundarii, quod in Divina essentia tanquam in causa virtualiter aut eminenter *continetur*; ideòque mirum non est, si *Divina essentia intellectui hominis beati unita* per modum speciei impressæ, non sit formalis, sed virtualis solùm, creaturarum similitudo.

Objic. 3. similitudo formalis est planè impertinens in specie impressa ad præstandum id, ad quod ea natura destinata est ; nempè ad determinandam potentiam cognoscitivam ad cognoscendum hoc objectum potiùs, quàm illud : ergo necesse non est, ut species impressa sit formalis similitudo obje-

objecti. Prob. ant. habitus ſcientiarum determinant intellectum ad propria objecta cognoſcenda, & tamen habitus ſcientiarum non ſunt formales propriorum objectorum ſimilitudines : ergo ſimilitudo formalis objecti eſt planè impertinens in ſpecie impreſſa ad determinandum intellectum, vel quamcumque aliam potentiam cognoſcitivam, ad cognoſcendum hoc objectum potiùs, quàm illud.

Reſpondeo negando ant. ad cujus prob. nego paritatem ; ſiquidem habitus ſcientiarum ſe tenent ex parte intellectus, (tanquam virtutes quædam habituales) quem informant, inclinant, ac determinant ad propria objecta cognoſcenda ; & ideò neceſſè non eſt, ut habitus ſcientiarum ſint formales objectorum propriorum ſimilitudines: at ſpecies impreſſa determinat potentiam cognoſcitivam ad cognoſcendum hoc objectum potiùs, quàm illud, tanquam intentionalis præſentatio hujus objecti potiùs, quàm illius, quæ proinde ſe tenet ex parte objecti, tanquam id quod ex ſuo conceptu formali & proprio ordinatur ad præſentandum ſive repræſentandum hoc objectum potiùs, quàm illud; quod fieri non poteſt, niſi ipſa ſpecies impreſſa ſit formalis ſimilitudo, imago, & repræſentatio hujus objecti potiùs, quàm illius, (ut patet ex dictis ſuprà) ideòque formalis ſimilitudo, imago, & repræſentatio hujus objecti potiùs, quàm illius, non eſt aliquid impertinens in ſpecie impreſſa ad præſtandum id, ad quod à natura deſtinata eſt, nempè ad determinandam modo ſibi proprio potentiam cognoſcitivam ad cognoſcendum hoc objectum potiùs, quàm illud.

Objic. 4. ex D. Auguſtino lib. 9. de Trinit. cap. 12. ſpecies impreſſa ſe habet inſtar ſeminis ; ſpecies autem expreſſa per cognitionem producta ſe habet inſtar prolis : ergo ſicut in Phyſica generatione prolis, ſemen eſt duntaxat virtualis ſimilitudo generantis ; ita in generatione intentionali, ſpe-

ſpecies impreſſa eſt tantummodò virtualis ſimili-
tudo objecti.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ex D. Auguſtino:
quantùm ad aliquid, ſpecies impreſſa ſe habet ad
inſtar ſeminis, &c. concedo: quantùm ad omnia,
ſpecies impreſſa ſe habet ad inſtar ſeminis, &c. ne-
go. Itaque in hoc conveniunt ſpecies impreſſa in
generatione intentionali ſpeciei expreſſæ, & ſe-
men in Phyſica generatione prolis; quòd ſicut ſe-
men eſt vicarium phyſicè generantis prolem, ita
ſpecies impreſſa eſt vicaria objecti intentionaliter
cum potentia cognoſcitiva ſpeciem expreſſam
procreantis: at diſcrepant in hoc, quòd ſemen
eſt duntaxat phyſicum inſtrumentum Phyſicè ge-
nerantis prolem, unde in ſemine eſt Phyſica vir-
tus inſtrumentaria generantis, & ideò ſemen non
poteſt eſſe niſi virtualis ſimilitudo generantis: at
ſpecies *impreſſa eſt in ordine intentionali præſen-*
tantio objecti, *quæ nempè ex ſuo conceptu forma-*
li, proprio, & primariò, objectum præſentat
ſeu repræſentat potentiæ cognoſcitivæ; quod fie-
ri non poſſet, niſi ipſa ſpecies impreſſa, in eodem
ordine intentionali, eſſet formalis ſimilitudo vel
imago objecti.

Objic. 5. ſi ſpecies impreſſa eſſet formalis ſimi-
litudo objecti, ſtatim ac ſpecies impreſſa alicujus
objecti reciperetur in potentia cognoſcitiva, eo
ipſo, objectum illud actu à potentia cognoſcitiva
cognoſceretur: atqui ſtatim ac ſpecies impreſſa
alicujus objecti recipitur in potentia cognoſciti-
va, *eo ipſo objectum illud* actu non cognoſcitur
à potentia cognoſcitiva, ut experientia conſtat;
ſi quis enim attentè vacet alicui rei oculis aper-
tis, recipit impreſſas vicinorum objectorum viſi-
bilium ſpecies in oculis, vel in potentia viſiva; &
tamen ſtatim actu non cognoſcit ſive non videt
omnia objecta viſibilia, quorum impreſſas reci-
pit ſpecies: ergo &c. Prob. maj. ſecundùm com-
mune Philoſophorum dictum: *Tunc fit actualis*
cognitio objecti, *quando fit aſſimilatio intentionalis*

ve-

potentiæ cognoſcitivæ cum objecto: atqui ſi ſpecies impreſſa eſſet formalis ſimilitudo objecti in *eſſe* intentionali, ſtatim ac ſpecies impreſſa alicujus objecti reciperetur in potentia cognoſcitiva, eo ipſo fieret intentionalis aſſimilatio potentiæ cognoſcitivæ cum objecto illo; cùm hæc aſſimilatio non poſſit alio modo fieri, quàm per receptionem intentionalis ſimilitudinis formalis objecti in ipſa potentia cognoſcitiva: ergo &c.

Reſpondeo negando ma. ad cujus prob. diſtinguo ma. ſecundùm commune Philoſophorum dictum, tunc fit actualis cognitio objecti, quando in actu ſecundo ſit aſſimilatio intentionalis potentiæ cognoſcitivæ cum objecto, concedo: quando in actu primo duntaxat ſit aſſimilatio intentionalis potentiæ cognoſcitivæ cum objecto, nego: licèt autem recepta ſpecie impreſſa in potentia cognoſcitiva, ſtatim fiat in actu primo intentionalis aſſimilatio potentiæ cognoſcitivæ cum objecto; non tamen in actu ſecundo, quoniam in hoc differunt ſpecies impreſſa, & ſpecies expreſſa, quòd ſpecies impreſſa eſt formalis ſimilitudo intentionalis objecti in actu primo ſolùm, ſpecies verò expreſſa eſt formalis ſimilitudo intentionalis objecti in actu ſecundo, adeò ut potentia cognoſcitiva in actu ſecundo cognoſcat ſive contempletur objectum in ſpecie expreſſa, & ſolùm in actu primo ſeu habitualiter in ſpecie impreſſa.

Objic. 6. ſi ſpecies impreſſa eſſet formalis ſimilitudo intentionalis objecti, inutilis foret ſpecies expreſſa in potentia cognoſcitiva, v. g. in intellectu: atqui inutilis non eſt ſpecies expreſſa in potentia cognoſcitiva, ut infrà conſtabit: ergo &c. Prob. ma. ſi eſſet neceſſaria ſpecies expreſſa objecti, v.g. in intellectu, maximè, ut ea mediante fieret objectum intentionaliter præſens in ipſo intellectu: atqui ſi ſpecies impreſſa eſſet formalis ſimilitudo intentionalis objecti, objectum ratione illius fieret ſufficienter præſens intentionaliter in

in-

intellectu, proindeque ad hoc necessaria non fo-
ret species expressa, sed potiùs ad hoc esset inuti-
lis in intellectu &c.

Respondeo neg. ma. etenim ut intellectus, v. g.
cognoscat aliquod objectum, necesse est, ut objec-
tum in primis fiat intentionaliter præsens in actu
primo in ipso intellectu, ad hoc nempè, ut intel-
lectus fiat in actu primo completus & proximè
potens ad cognoscendum objectum; & præterea
opus est, ut objectum fiat in actu secundo inten-
tionaliter præsens in eodem intellectu, ad hoc vi-
delicet, ut ipse intellectus contempletur obje-
ctum in actu secundo: necessaria ergo est species
aut similitudo formalis impressa objecti, ut obje-
ctum fiat intentionaliter præsens in actu primo in
intellectu; necessaria item est species seu similitu-
do formalis expressa objecti, ut ipsum objectum
fiat in actu secundo intentionaliter præsens in in-
tellectu; *unde neutra species inutilis est.*

Dices: *species impressa objecti est ipsum* objec-
tum in *esse intentionali* (*ut infrà dicetur:*) ergo
eo ipso, quòd intellectus *habet speciem impres-*
sam objecti, habet in *esse* intentionali objectum
præsens etiam in actu secundo.

Respondeo distinguendo ant. species impressa
objecti est ipsum objectum in *esse* intentionali,
modo separabili ab actu secundo intentionis seu
cognitionis, concedo (revera namque obje-
ctum, prout in *esse* intentionali est præsens in in-
tellectu, mediante specie impressa, est ab actu se-
cundo *intentionis sive* cognitionis *separabile*,
cùm *possit in intellectu habere speciem impres-*
sam alicujus objecti, & tamen in actu secundo ip-
sum non cognoscere, imò de ipso in actu secundo
non cogitare; ut patet in homine dormiente:) spe-
cies impressa objecti est ipsum objectum in *esse* in-
tentionali, modo conjuncto cum actu secundo
intentionis seu cognitionis, nego; sola enim
species expressa est objectum in *esse* intentionali
per conjunctionem cum actu secundo intentionis

seu

ſe cognitionis, adeò ut in ſola ſpecie expreſſa intellectus, in actu ſecundo cognoſcat & contempletur objectum; unde conſtituere in actu ſecundo objectum præſens in *eſſe* intentionali in intellectu, eſt proprium ejuſdem ſpeciei expreſſæ; nec ipſe intellectus cenſetur habere in *eſſe* intentionali objectum præſens in actu ſecundo, niſi expreſſam objecti ſpeciem habeat.

§. V.

Virùm ſpecies impreſſa objecti ſit ipſummet objectum in eſſe intentionali.

REſpondent communiter Thomiſtę affirmativè; contra Suarem, Vaſquem, & alios Recentiores. Ut autem certa ab incertis ſeparemus.

Supponendum eſt, tanquam certum apud omnes, ſpeciem impreſſam plerumque diſtingui realiter in *eſſe* entitativo ab objecto. Nam in primis ſpecies impreſſa ut plurimùm in *eſſe* entitativo ſpectata, eſt accidens quoddam inhærens potentiæ cognoſcitivæ; objectum verò (ſaltem intelligibile) eſt perſæpè ſubſtantia; accidens autem, & ſubſtantia, realiter in *eſſe* entitativo diſtinguuntur. Deinde ſpecies impreſſa, & objectum, in *eſſe* entitativo conſiderata, ſunt plerumque in ſubjectis realiter diſtinctis; etenim albedo ſecundùm ſuum *eſſe* entitativum eſt, v. gr. in pariete, & ſpecies ejus impreſſa ſecundùm ſuum *eſſe* entitativum eſt in viſu; quæ verò ſunt in ſubjectis realiter diſtinctis, realiter diſtinguantur neceſſe eſt.

Dixi tamen, ſpeciem impreſſam plerumque diſtingui realiter in *eſſe* entitativo; nam interdum ſpecies impreſſa, & objectum, nec etiam in *eſſe* entitativo realiter diſtinguuntur. Hinc docent Theologi, divinam eſſentiam uniri intellectibus bea-

beatorum, per modum speciei impressæ in visione beatifica; docent etiam, Angelum seipsum intelligere per suam essentiam sive substantiam tanquam per speciem impressam; idemque docent de anima rationali separata. Cæterùm, ut dixi, pluriumque species impressa in *esse* entitativo considerata, realiter ab objecto distinguitur; unde tota controversia est, utrùm species impressa objecti sit semper in *esse* intentionali aut repræsentativo realiter ipsummet objectum?

Dicendum est, speciem impressam objecti in *esse vel in* ordine intentionali aut repræsentativo *consideratam*, semper esse realiter ipsummet objectum. Hæc conclusio colligitur in primis ex Aristotele lib. 3. de anima Textu 37. ubi ait, *Animam intelligendo posse quodammodò fieri omnia*. Neque enim aliter anima fieri potest omnia, nisi quatenus potest recipere omnium rerum species impressas, quæ sint realiter omnes res, seu omnia, in *esse* intentionali aut repræsentativo.

Colligitur quoque ex D. Thom. 4. contra Gent. cap. 14. ubi ait, *quòd verbum* (seu species expressa) *possibilis intellectus ex ipsa re intellecta habet, ut intelligibiliter eandem numero naturam contineat*. Non potest autem verbum vel species expressa habere intelligibiliter, seu in *esse* intelligibili, intentionali, & repræsentativo, eandem numero naturam cum illa, quæ in objecto intellecto invenitur, nisi in eodem *esse* intelligibili, intentionali, & repræsentativo, sit realiter ipsummet objectum *intellectus*: si verò species expressa est realiter ipsummet objectum in *esse* intentionali vel repræsentativo, idem de specie impressa dicendum est; quantùm enim ad hoc, eadem est speciei impressæ & expressæ ratio.

Prob. etiam duplici ratione; in primis namque eo modo aliqua dici debent idem quo conveniunt; hinc quæ genericè conveniunt, dici debent idem genericè; quæ verò conveniunt specificè, debent dici idem specificè; quæ tandem conveniunt

unt

unt numericè, idem ſunt numericè: atqui in *eſſe* intentionali vel repræſentativo, ſpecies impreſſa, & objectum repræſentatum, conveniunt realiter, etiam numericè: ergo &c. Prob. min. eo modo imago alicujus rei, cum ipſa re convenit in *eſſe* repræſentativo, quo illam repræſentat; cùm vis repræſentativa, quæ inest imagine, fundetur in convenientia imaginis cum re repræſentata; proindèque imago, quæ hanc numericè rem realiter repræſentat, debet in eſſe repræſentativo realiter numericè cum illa re convenire: atqui ſpecies impreſſa, v. g. hujus numericè albedinis, realiter repræſentat potentiæ cognoſcitivæ, v. g. potentiæ vitivæ, hanc numericè albedinem; ut patet: ergo &c.

Deinde, ſpeciem impreſſam eſſe realiter in *eſſe* intentionali, aut repræſentativo, objecti repræſentativam, nihil aliud ſignificat, niſi ipſam eſſe realiter formalem & germanam objecti repræſentationem: atqui ſpecies impreſſa eſt realiter formalis & germana objecti repræſentatio, ſeu ſimilitudo; ut probatum eſt ſuprà: ergo &c.

Obji. 1. illa verba D. Thomæ, quæ habet q. 8. de verit. ar. 11. ad 3. *Conſtat*, inquit, *quòd ſpecies lapidis in anima eſt longè alterius naturæ à lapide in materia*: quando autem duo ita ſe habent, ut unum ſit alterius naturæ, ea non ſunt idem realiter, ſed pòtiùs realiter diſtinguuntur.

Reſpondeo diſtinguendo: concedo namque, ſpeciem lapidis in anima exiſtentem, eſſe quidem in ordine entitativo, alterius naturæ à lapide exiſtente in materia, ſive exiſtente in ſe; at nego, ſpeciem illam eſſe alterius naturæ in ordine intentionali aut repræſentativo.

Objic. 2. ſubſtantia, & accidens, dici nequeunt idem realiter: atqui ſpecies impreſſa interdum eſt accidens, & objectum quandoque eſt ſubſtantia; ita enim contingit, dum intellectus cognoſcit ſubſtantiam: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſubſtantia, & accidens,

ciiidens, dici nequeunt idem realiter in *eſſe* entitatiivo; concedo: dici nequeunt idem realiter in *eſſe* intentionali vel repræſentativo; ſubdiſtinguo: ſi ſubſtantia illa, & illud accidens, non ſe habeant ut objectum repræſentatum, & germana ac formalis repræſentatio ac ſimilitudo objecti, concedo: ſi ſubſtantia illa, & illud accidens, ſe habeant ut objectum repræſentatum, & germana ac formalis repræſentatio ac ſimilitudo objecti, nego; licèt autem ſpecies impreſſa nonnunquam ſit accidens, & objectum ſit *aliquandoque* ſubſtantia; attamen accidens illud *exit* germana ac formalis repræſentatio & ſimilitudo ſubſtantiæ; ut ex dictis patet.

Objic. 3. ſi ſpecies impreſſa ſenſibilis eſſet ipſum objectum ſenſibile; ſpecies impreſſa ſenſibilis ſupra ſenſum poſita, ſive illi inhærens, deberet ſenſationem impedire; communiter enim dicitur apud Philoſophos; *Objectum ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, impedire ſenſationem*; atqui ſpecies impreſſa ſenſibilis ſupra ſenſum poſita, ſive illi inhærens, non impedit ſenſationem; ut experientia patet: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi ſpecies impreſſa ſenſibilis eſſet ipſum objectum ſenſibile conſideratum in *eſſe* entitativo; ſpecies impreſſa ſenſibilis ſupra ſenſum poſita, ſive illi inhærens, deeberet ſenſationem impedire; &c. concedo: ſi ſpoecies impreſſa ſenſibilis eſſet ipſum objectum ſenſibile conſideratum in eſſe intentionali aut repræſentativo; ſpecies impreſſa ſenſibilis ſupra ſenſum poſita, ſive illi inhærens, deberet ſenſationem impedire, nego: quamvis enim objectum ſenſibile in eſſe entitativo & naturali conſideratum, adeò ſit craſſum & impurum, ut poſitum ſupra ſenſum, ſenſationem impediat; aliter tamen dicendum eſt de objecto ſenſibili ſpecitato in eſſe intentionali vel repræſentativo, prout nimirum continetur in ſpecie intentionali & repræſentativa; cùm enim iſta ſpecies ſit ad-

ſpecies impreſſa eſt in oculo, vel in viſu: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui albedo parietis, & ſpecies ejus impreſſæ ſunt in diverſis ſubjectis, &c. ſi albedo & ſpecies ejus impreſſa conſiderentur ſecundùm ſuum *eſſe* entitativum & naturale, concedo: ſi albedo & ſpecies ejus impreſſa conſiderentur ſecundum *eſſe* intentionale & repræſentativum, nego; ſic enim conſideratæ ſunt in uno & eodem ſubjecto, videlicet in oculo vel in viſu, in quo eſt tota intentionalis repræſentatio albedinis, & cujuſcumque alterius objecti viſibilis. Et diſtinguendum eſt conſequens diſtinctione data.

Obji. 8. quæ à parte rei diſtinguuntur numero, realiter diſtinguuntur: atqui albedo, & ipſius ſpecies impreſſa, diſtinguuntur numero à parte rei: ergo &c. Prob. min. cùm accidentia accipiant unitatem vel diſtinctionem numericam à ſubjecto, ea accidentia ſunt à parte rei numero diſtincta, quæ à parte rei ſunt in diverſis ſubjectis: atqui, ut patet ex dictis, albedo & ipſius ſpecies impreſſa ſunt à parte rei in diverſis ſubjectis; v. g. albedo eſt in pariete, & ſpecies ejus impreſſa eſt in oculo, vel in viſu, ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui albedo & ipſius ſpecies impreſſa in *eſſe* entitativo & naturali diſtinguuntur numero à parte rei, concedo min. atqui albedo & ipſius ſpecies impreſſa in *eſſe* intentionali & repræſentativo diſtinguuntur numero à parte rei, nego mi. & conſeq. ſub eadem diſtinctione. Ad prob. min. conceſſa maj. diſtinguo eodem modo min. atqui albedo & ipſius ſpecies impreſſa in *eſſe* entitativo & naturali ſunt à parte rei in diverſis ſubjectis, &c. concedo min. atqui albedo & ipſius ſpecies impreſſa in *eſſe* intentionali & repræſentativo ſunt à parte rei in diverſis ſubjectis, nego min. & conſeq. ſub diſtinctione data.

Objic.

Objic. 9. species impressa in *esse* entitativo & naturali distinguitur realiter ab objecto; ut ex dictis patet: ergo species impressa etiam in *esse* intentionali & repræsentativo distinguitur realiter ab objecto. Conseq. ex eo prob. quòd in specie impressa, *esse* naturale aut entitativum, & *esse* intentionale vel repræsentativum, realiter non distinguuntur: ergo si species impressa in *esse* entitativo aut naturali distinguitur realiter ab objecto, debet etiam realiter ab illo distingui in *esse* intentionali & repræsentativo.

Respondeo concesso ant. negando conseq. sicut *animal* licèt in homine *animal* & *rationale* realiter non distinguantur; verum est tamen, hominem distingui realiter à bruto, in *rationali*; & non in *animali*, in quo potiùs cum bruto convenit; ad quod sufficit virtualis distinctio in homine inter *animal*, & *rationale*: ita similiter, quamvis in specie impressa, *esse* naturale ac entitativum, & *esse* intentionale ac repræsentativum, realiter non distinguantur; quia tamen *virtualiter* distinguuntur, hoc sufficit, ut species impressa possit in *esse* naturali & entitativo realiter ab objecto distingui; absque eo, quòd in *esse* intentionali & repræsentativo realiter ab objecto distinguatur.

Objic. 10. quæ sunt idem realiter, sunt idem simpliciter & absolutè: atqui species impressa, & objectum, non sunt idem simpliciter & absolutè, sed solùm *quodammodò*; ut ait D. Thomas quodlib. 8. art. 4. ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. quæ sunt idem realiter *in esse* naturali aut entitativo, sunt idem simpliciter & absolutè, concedo: quæ sunt idem realiter, non in *esse* naturali vel entitativo, sed tantummodò in aliquo *esse* superaddito *esse* naturali aut entitativo, nego: tamen si autem species impressa, & objectum, sint idem realiter, non tamen in *esse* naturali vel entitativo, sed duntaxat in aliquo *esse* superaddito *esse* naturali & entitativo, nempè in solo esse intentionali & repræ-

ſentativo, & hoc tantùm vult D. Thomas, dum ait, ſpeciem intelligibilem ac impreſſam, & objectum, eſſe quoddamodò idem. Verba D. Thomæ ſunt hæc: *Species intelligibilis eſt ſimilitudo ipſius eſſentiæ rei, & eſt quodammodò ipſa quidditas & natura rei ſecundùm eſſe intelligibile, non ſecundùm eſſe naturale, prout eſt in rebus.*

Obji. 11. quæ ſunt diverſæ naturæ, diſtinguuntur realiter: atqui ſpecies impreſſa, & objectum, ſunt diverſæ naturæ: ergo &c. Ma. videtur manifeſta. Prob. min. ſi ſpecies impreſſa, & objectum, non eſſent diverſæ naturæ, ſed potiùs è contrà, ejuſdem forent naturæ, ſequeretur, ſpeciem impreſſam albedinis, & ſpeciem impreſſam nigredinis, eſſe ejuſdem naturæ cum albedine & nigredine: atqui ſpecies impreſſa albedinis, & ſpecies impreſſa nigredinis, non ſunt ejuſdem naturæ cum albedine & nigredine: ergo &c. Prob. min. quæ ſunt ejuſdem naturæ, ſunt etiam earundem proprietatum; cùm proprietates ſint à natura inſeparabiles: atqui ſpecies impreſſa albedinis, & ſpecies impreſſa nigredinis, non ſunt earundem proprietatum cum albedine & nigredine; alioquin ſicut albedo & nigredo ex ipſa naturarum ſuarum proprietate ſunt in eodem ſubjecto incompoſſibiles; ita ſpecies impreſſa albedinis, & impreſſa nigredinis ſpecies, mutuam haberent in eodem ſubjecto incompoſſibilitatẽ; quod tamen dici non poteſt, cùm ſpecies impreſſa albedinis, & impreſſa nigredinis ſpecies, poſſint ſimul eſſe in eodem oculo, vel in eodem viſu: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min. atqui ſpecies impreſſa, & objectum, in *eſſe* naturali & entitativo ſunt diverſæ naturæ, concedo mi. atqui ſpecies impreſſa, & objectum, in *eſſe* intentionali & repræſentativo ſunt diverſæ naturæ, nego min. & conſeq. ſub eadem diſtinctione. Ad prob. min. diſtingui debent maj. min. & conſequens, diſtinctione data. Ad prob. min. diſtinguen-

gnuenda ſunt duo proprietatum genera in albedine & nigredine: quædam enim ſunt albedinis & nigredinis proprietates, quæ abſolutè eas conſequuntur; & hæ proprietates conveniunt quoque ſpeciei impreſſæ albedinis, & ſpeciei impreſſæ nigredinis: aliæ ſunt albedinis & nigredinis proprietates, quæ illas conſequuntur, prout ſunt in ſtatu naturali, & in *eſſe* entitativo; & hæ proprietates non conveniunt ſpeciei impreſſæ albedinis, & ſpeciei impreſſæ nigredinis; quoniam albedo & nigredo non ſunt illis in ſpeciebus in ſtatu naturali, & ſecundùm *eſſe* entitativum; ſed duntaxat in ſtatu intentionali & repræſentativo, ſeu ſecundùm *eſſe* intentionale & repræſentativum; ut ex dictis patet: mutua autem incompoſſibilitas albedinis & nigredinis in eodem ſubjecto pertinet ad ſecundum genus proprietatum; unde non eſt mirum, ſi ſpeciei impreſſæ albedinis, & ſpeciei impreſſæ nigredinis, non competat.

§. VI.

Virùm & quomodo potentia cognoſcitiva fiat idem cum ſpecie intentionali?

DOcent communiter Thomiſtæ, tantam eſſe ſpeciei impreſſæ cum potentia cognoſcitiva unionem, ut potentia cognoſcitiva fiat per identitatem ipſa ſpecies, ſive objectum in *eſſe* intentionali & repræſentativo conſideratum. Quæ quidem *doctrina colligitur* in primis ex Ariſtotele 3. de anima textu 37. ubi ait, *Animam poſſe fieri quodammodò omnia*: hoc etenim alio modo verum eſſe non poteſt, niſi quatenus anima, aut ejus potentia cognoſcitiva, recipere poteſt omnium rerum ſpecies impreſſas, (quæ ſunt ipſæ res in *eſſe* intentionali conſideratę) cum quibus quodammodò, ſive in *eſſe* intentionali, poteſt identificari.

Colligitur item ex illo celebri dicto commentatoris aſſerentis, lib. 3. de anima, textu 5. &

lib. 12. Metaph. textu. 39. *Ex intellectu, & re intellecta, fieri magis unum, quàm ex materia & forma.* Quod etiam verificari nequaquam poteſt, niſi dicatur, materiam & formam ita per unionem fieri *unum*, ut ex utraque ſic unita reſultet quidem unum compoſitum; materia tamen per identitatem non fiat forma, nec forma materia: intellectum verò, & rem intellectam, in *eſse* intentionali, ſic uniri, ut intellectus, aut potentia intellectiva per identitatem fiat ipſa res intellecta in *eſse* intentionali & repræſentativo.

Colligitur tandem ex D. Thoma, multis in locis, & præſertim lib. 3. cap. 8. Textu 38. lect. 13. ubi ſic ait: *Anima non eſt ipſa res, quia lapis non eſt in anima, ſed ſpecies lapidis, & per hunc modum dicitur intellectus in actu eſse ipſum intellectum in actu, in quantùm ſpecies* (objecti) *intellecti eſt ſpecies intellectus in actu.* Et lib. 2. contra Gent. cap. 95. ſic ait: *Et hoc quidem oportet, verum eſse ſecundùm ſententiam Ariſtotelis, qui posuit, quòd intelligere contingit per hoc, quòd* (objectum) *intellectum in actu ſit unum cum intellectu in actu.* Quod repetit variis in locis. Cenſet itaque D. Thomas, intellectum, ſeu potentiam intellectivam fieri actu unum & idem cum ſpecie objecti intellecti, ſaltem in *eſse* intentionali.

Prob. etiam ratione fundamentali: quotieſcumque forma aliqua non unitur ſubjecto per identitatem, unitur ipſi ad componendum cum illo aliquod totum; ut patebit, ſi omnes iſtæ formæ conſiderentur: ſi igitur ſpecies impreſſa alicujus objecti conſiderata in *eſse* intentionali & repræſentativo, non uniretur potentiæ cognoſcitivæ per identitatem, deberet ipſi uniri ad componendum aliquod totum: atqui ſpecies impreſſa objecti conſiderata in *eſse* intentionali & repræſentativo non unitur potentiæ cognoſcitivæ ad componendum cum ea aliquod totum, ſed unitur per ſe primò potentiæ cognoſcitivæ ad repræſentandum ipſi objectum cognoſcibile, tanquam for-

ma-

rmalis hujus objecti ſimilitudo, imago, & repræſſentatio: ergo ſpecies impreſſa objecti conſiderata in *eſſe* intentionali & repræſentativo debet uniri potentiæ cognoſcitivæ per identitatem.

Hoc tamen ita intelligendum non eſt, ut fiat phyſica potentiæ cognoſcitivæ in ſpeciem impreſſam objecti converſio: id quippe abſurdum videtur: ſed illud ſic intelligendum venit, ut fiat moralis quædam potentiæ cognoſcitivæ in ſpeciem impreſſam objecti transformatio; quatenus nimirum potentia cognoſcitiva ſic ſpecie impreſſa objecti induitur, ut veluti propriam formam immutare, & in ſpeciem illam verti videatur.

Quod exponit D. Thomas 1. p. qu. 55. art. 1. ad 2. his verbis: *Senſus in actu eſt ſenſibile in actu, ut dicitur in 2. de anima; non ita, quòd ipſa vis ſenſitiva ſit ipſa ſimilitudo ſenſibilis, quæ eſt in ſenſu; ſed quia ex utroque fit unum, ſicut ex actu & potentia: ita & intellectus in actu dicitur eſſe intellectum in actu; non quòd ſubſtantia intellectus ſit ipſa ſimilitudo, per quam intelligit, ſed quia illa ſimilitudo eſt forma ejus.*

Objic. 1. quod eſt realiter accidens, non poteſt fieri unum per identitatem cum ſubſtantia; atqui potentia cognoſcitiva eſt realiter accidens (juxta Thomiſtas) objectum verò ſæpè eſt ſubſtantia: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. quod eſt realiter *accidens*, *non poteſt fieri* unum per identitatem cum *ſubſtantia in eſſe* naturali & entitativo conſiderata, concedo: quod eſt realiter accidens, ad modum potentiæ cognoſcitivæ, non poteſt fieri unum per identitatem cum ſubſtantia in *eſſe* intentionali & repræſentativo conſiderata, ſive (quod idem eſt) non poteſt fieri unum per identitatem cum ſpecie intentionali repræſentativa ſubſtantiæ; ſubdiſtinguo: non poteſt fieri unum per phyſicam illius accidentis ſeu potentiæ cogno-

ſcitivæ in prætatam ſpecierum converſionem, concedo: non poteſt fieri unum per moralem ejuſmodi accidentis vel potentiæ cognoſcitivæ in prædictam ſpecierum transformationem, modo explicato, nego maj. & conceſſa min. diſtinguendum eſt conſequens diſtinctione data.

Objic. 2. quod unitur potentiæ cognoſcitivæ per modum accidentis, non unitur illi per identitatem, ſed per inhærentiam; cùm proprium ſit accidentis inhærere ſubjecto: atqui ſpecies impreſſa, v.g. albedinis, unitur potentiæ viſivæ per modum accidentis, quod de potentia viſiva educitur: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. quod unitur potentiæ cognoſcitivæ per modum puri accidentis, non unitur illi per identitatem, ſed per inhærentiam, concedo: quod unitur potentiæ cognoſcitivæ per modum accidentis habentis rationem ſimilitudinis formalis objecti (ita ut potentia cognoſcitiva debeat per illud accidens, vel per illam ſimilitudinem formalem objecti, aſſimilari objecto, ut poſſit ipſum cognoſcere,) non unitur illi per identitatem, ſed per inhærentiam; ſubdiſtinguo: non unitur illi per identitatem, ſed per inhærentiam, quæ ſit moralis quædam transformatio potentiæ cognoſcitivæ in illud accidens, aut in illam formalem objecti ſimilitudinem; quæque proinde ſit moralis quædam identitas potentiæ cognoſcitivæ cum accidente illo, vel cum illa formali ſimilitudine objecti, concedo: non unitur illi per identitatem, ſed per inhærentiam puram, eodem prorſus modo, quo alia accidentia ſuis ſubjectis uniuntur, nego: quamvis autem ſpecies impreſſa, v. gr. albedinis, recepta in potentia viſiva, ſit revera aliquod accidens, quod de ipſa potentia viſiva educitur; non eſt tamen purum accidens, ſed eſt accidens habens rationem ſimilitudinis formalis objecti.

Objic. 3. ſpecies impreſſa objecti, & potentia cognoſcitiva, antequàm uniantur, realiter diſtinguun-

guuntur: ergo etiam post unionem
realiter; quæ enim semel distinguu
manent semper realiter distincta.

Respondeo, dato ant. disting
quens: ergo etiam post unionem
realiter physicè, concedo: ergo eti
nem distinguuntur realiter moralite
enim, quòd species impressa objecti
cognoscitiva, intimè uniuntur; po
scitiva quodammodò in speciem im
cti moraliter transformatur, & ita c
moraliter cum ipsa identificatur
titatem moralem species impressa o
tentia cognoscitiva ante unionem n
Illud autem commune dictum:
finguuntur realiter, manent semp
tincta: intelligi debet duntaxat de
iter Physicè distinguuntur; non ve
realiter moraliter distinguuntur;
namque, quòd ante unionem, i
non transformentur; & tamen po
in sese invicem moraliter transforme
moraliter identificentur, licèt anteà
tificarentur.

Objic. 4. cùm idem non possit à
ter separari, ea non sunt idem real
tiùs realiter sunt distincta, quæ re
separari: atqui potentia cognosci
cies impressa objecti, etiam po
possunt realiter separari: ergo &
ea possint realiter separari, quoru
te realiter, aliud permanere pote
tentia cognoscitiva, & species impr
etiam post unionem, ita se habent,
te potentia cognoscitiva, species im
realiter perire possit; etenim reman
tisiva, v. g. species impressa albedi
unita est, realiter perire potest: erg

Respondeo distinguendo maj. con
ea non esse idem realiter Physicè, se

realiter phyſicè diſtincta, quæ realiter poſſunt ſeparari: at minimè repugnat, quòd duo aliqua ſint idem moraliter, licèt unum poſſit realiter ab alio ſeparari, vel unum permanere, alio realiter pereunte; ad hoc etenim ut duo aliqua dicantur unum & idem moraliter, eſt ſatis, ut ita intimè uniantur, ut unum in aliud moraliter transformari videatur; quo modo ſe habent potentia cognoſcitiva, & ſpecies impreſſa objecti, poſt mutuam unionem.

Objc. 5. ſi ſpecies impreſſa uniretur potentiæ cognoſcitivæ per identitatem, ſequeretur, eſſentiam Divinam unitam intellectui creato beato, per modum ſpeciei impreſſæ, eſſe idem cum ipſo intellectu creato beato; & ita intellectum creatum beatum eſſe Deum ipſum; quod dici non poteſt.

Reſpondeo cum diſtinctione. Quòd enim intellectus creatus beatus fiat Phyſicè & ſimpliciter Divina eſſentia, vel Deus ipſe, hoc dici non poteſt: at minimè repugnat, quòd intellectus creatus beatus fiat ſecundùm quid & moraliter idem cum eſſentia Divina in *eſſe* intentionali & repræſentativo; ad hoc quippe ſufficit, ut Divina eſſentia intimè uniatur intellectui creato beato, per modum ſpeciei impreſſæ & intentionalis, ſive per modum ſimilitudinis formalis intentionalis repræſentativæ ſui ipſius; quod de facto contingit; unde beatus eſt Deus ipſe in *eſſe* intentionali & repræſentativo, per quandam creati intellectus beati in Divinam eſſentiam, vel in Deum ipſum, moralem converſionem & transformationem. Et ideò hìc maximè verum eſt illud dictum vatis Regii: *Ego dixi, Dii eſtis*: Pſalm. 81.

Objic. 6. ſi ſpecies impreſſa uniretur potentiæ cognoſcitivæ per identitatem, ſequeretur, eſſentiam Angeli, quæ in propria cognitione ſui eſt ſpecies impreſſa; ſequeretur, inquam, eſſentiam Angeli uniri proprio intellectui per identitatem,

rem, sicque essentiam Angeli esse idem cum proprio intellectu; hoc autem est contra Thomistas docentes, intellectum Angelicum realiter distingui ab essentia Angeli.

Respondeo cum distinctione, & quidem faciè: essentia quippe Angeli duobus modis potest sumi; nimirùm, vel in *esse* naturali & entitativo, vel in *esse* intentionali & repræsentativo: intellectus ergo Angelicus realiter distinguitur ab essentia Angeli in esse naturali & entitativo considerata, sed realiter moraliter identificatur cum eadem essentia Angeli in *esse* intentionali & repræsentativo spectata, prout nempè ista essentia, per modum speciei impressæ & intentionalis, formaliter que similitudinis ac repræsentationis sui ipsius, intimè unitur intellectui Angelico, ita ut intellectus Angelicus moraliter in essentiam Angeli hoc modo acceptam transformari videatur.

Objic. 7. *si species impressa albedinis, & species impressa nigredinis, cum eadem potentia* identificarentur, *illæ species impressæ* identificarentur inter se; juxta illud axioma. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; atqui absurdum est dicere, speciem impressam albedinis, & speciem impressam nigredinis, identificari inter se:: ergo &c.

Respondeo negando maj. ut enim ea, quæ sunt eadem uni tertio, sint eadem inter se, necesse est, ut sint eadem uni tertio secundùm eandem *rationem spectato*: licèt autem species *impressa albedinis*, & species impressa nigredinis, in potentia visiva receptæ, vel ipsi unitæ, moraliter cum illa identificentur in *esse* intentionali & repræsentativo; non tamen secundùm eandem rationem: sicut enim distinguunt Theologi in æternitate plures sinus virtualiter distinctos, adeò ut æternitas Divina secundùm unum sinum correspondeat rebus creatis præsentibus, secundùm alium sinum correspondeat rebus creatis præ-

præteritis, & ſecundùm alium ſinum correſpondeat rebus creatis futuris : ſic etiam in potentia viſiva (& in quavis alia potentia cognoſcitiva) diſtinguendi ſunt veluti ſinus varii virtualiter differentes; adeò ut ſecundùm unum ſinum recipiat per identitatem ſpeciem impreſſam albedinis, ſecundùm alium ſinum recipiat ſpeciem impreſſam nigredinis, &c. ſicque ſpecies impreſſa albedinis, & ſpecies impreſſa nigredinis, in potentia viſiva receptæ, & ipſi unitæ, non identificantur cum ipſa potentia viſiva ſecundùm eandem rationem, ſed potiùs ſecundùm diverſas rationes, ſeu ſecundùm ſinus virtualiter diverſos; & ita neceſſe non eſt, ut identificentur inter ſe.

§. VII.

Quomodo ſpecies impreſſa ad cognitionem concurrat?

COmmunis reſponſio atque doctrina Thomiſtarum eſt, ſpeciem impreſſam concurrere activè ſeu effectivè ſimul cum potentia cognoſcitiva ad cognitionem eliciendam. Quam doctrinam tuentur etiam Scotiſtæ, & plures recentiores. Et quidem hæc ſententia manifeſtè colligitur ex Ariſtotele variis in locis, ſed præſertim cap. 2. de ſenſu & ſenſibili, nec non cap. 6. ubi loquens de ſpecie impreſſa luminis, quæ eſt in oculo, dicit, quòd viſionem efficit; verba Ariſtotelis ſunt hæc : *Nam lumen ipſum viſionem efficit* : efficere verò aliquid, eſt activè ſeu effectivè ad illius productionem concurrere ; ut ex ipſis terminis patet : ſi autem in oculo, vel in potentia viſiva, ſpecies impreſſa luminis activè, vel effectivè ad viſionem concurrit, nulla eſt ratio, cur in aliis potentiis cognoſcitivis, ſpecies impreſſæ objectorum ad cognitionem activè & effectivè non concurrant.

Col-

Colligitur quoque eadem doctrina ex D. Thoma, qui q. 2. de verit. art. 6. sic ait: *Quælibet actio sequitur conditionem formæ agentis; quæ est principium actionis, sicut calefactio mensuratur secundum modum caloris; similitudo autem cogniti, (id est, species impressa objecti cogniti vel cognoscibilis) qua informatur potentia cognoscitiva, est principium cognitionis secundùm actum,* (id est actus cognitionis principium) *sicut calor calefactionis.* Quod reperit 1. p. q. 59. art. 1. & q. 85. art. 2. & aliis pluribus in locis.

Prob. etiam eadem sententia ratione fundamentali: nequit potentia cognoscitiva, seu activè effectiva cognitionis, in actu primo compleri & determinari ad cognitionem hujus objecti potiùs, quàm alterius, nisi per virtutem activam vel quàm alterius effectivam cognitionis; etenim potentia activa aut effectiva effectus non potest in actu primo compleri vel determinari ad productionem effectus, nisi per virtutem, quæ sit ejusdem generis cum ipsa, proindèque quæ sit activa vel effectiva effectus: atqui potentia cognoscitiva in actu primo completur & determinatur ad cognitionem hujus objecti potiùs, quàm alterius, per speciem impressam hujus objecti potiùs, quàm alterius: ergo &c. Min. ex eo declaratur, quòd potentia cognoscitiva ex se est in actu primo incompleta & indifferens ad cognitionem hujus objecti potiùs, quàm alterius: ergo ut potentia cognoscitiva exeat in cognitionem hujus objecti potiùs, quàm alterius, debet priùs ipsi imprimi aliquid, quo in actu primo compleatur & determinetur ad cognitionem hujus objecti potiùs, quàm alterius; quod quidem nequit esse alliud, præter speciem impressam hujus objecti potiùs, quàm alterius.

Confirm. 1. quod compler potentiam activam & effectivam, prout est activa & effectiva, debet cum ea activè & effectivè ad ejus operationem concurrere; etenim potentia activa,

prout eſt activa & effectiva, nequit compleri, niſi per virtutem activam, quæ nempè activè & effectivè ſimul cum potentia activa ad operationem concurrat: atqui ſpecies impreſſa complet potentiam activam & effectivam, prout eſt activa & effectiva; nimirum complet potentiam cognoſcitivam, prout cognoſcitiva eſt, in ordine ad cognitionem hujus objecti potiùs, quàm alterius; eò quòd, ut ſuprà dicebamus, potentia cognoſcitiva eſt ex ſe incompleta & indifferens ad cognitionem hujus objecti potiùs, quàm alterius: ergo ſpecies impreſſa debet cum potentia cognoſcitiva activè ſeu effectivè ad ejus operationem ſive cognitionem concurrere.

Confirm. 2. Quod conſtituit potentiam activam & effectivam intrinſecè & proximè potentem ad efficiendam, vel eliciendam operationem, debet cùm ipſa activè aut effectivè ad ejus operationem concurrere; ut patet ſatis: atqui ſpecies impreſſa conſtituit potentiam activam & effectivam intrinſecè & proximè potentem ad efficiendam, vel eliciendam operationem; nempè conſtituit potentiam cognoſcitivam intrinſecè & proximè potentem ad efficiendam, vel eliciendam cognitionem; quandoquidem potentia cognoſcitiva, accepta ſpecie impreſſa, eſt ad cognitionem eliciendam intrinſecè & proximè potens, cùm tamen anteà non eſſet: ergo &c.

Quæres, quomodò concurrant potentia cognoſcitiva, & ſpecies impreſſa, ad cognitionem eliciendam; an ut cauſæ totales, an ut cauſæ partiales?

Reſpondent multi Thomiſtæ, ut Capreolus, Cajetanus, &c. cum Scotiſtis, potentiam cognoſcitivam, & ſpeciem impreſſam, concurrere ut cauſas partiales; concurrunt quippe ad cognitionem, eo ſimilimodo, quo parentes ambo concurrunt ad productionem prolis; hinc commune eſt apud Philoſophos axioma, ſumptum ex D. Auguſtino 9. de Trinit. c. 12. *Ex objecto*, (ſive

ex

ex ſpecie impreſſa objecti) & potentia cognoſciti-
va pariter notitia: ambo autem parentes con-
currunt ut cauſæ partiales ad productionem
prolis.

Alii verò cum Banne volunt, ſpeciem impreſ-
ſam, & potentiam cognoſcitivam, concurrere
ad cognitionem ſicut cauſas totales ſubordina-
tas; adeò ut ſpecies impreſſa ſit totalis cauſa co-
gnitionis in ordine & genere intentionali, & po-
tentia cognoſcitiva ſit ejuſdem cognitionis cauſa
totalis in ordine & genere phyſico; ita tamen, ut
ſpecies impreſſa quodammodò ſubordinetur co-
gnoſcitivæ potentiæ, quatenus ſpecies impreſſa
eſſet id, quo cognoſcitiva potentia cognoſcit; ut
docet D. Thomas 1. p. q. 85.

Objic. 1. non poteſt unum cum alio activè
concurrere ad productionem alicujus effectus,
niſi ab invicem diſtinguantur: atqui ſpecies im-
preſſa non diſtinguitur à potentia cognoſciti-
va, ſed ſpecies impreſſæ uniuntur potentiæ co-
gnoſcitivæ per identitatem; ut ſuprà dicebamus:
ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. diſtinguendo min.
concedo namque, ſpeciem impreſſam uniri po-
tentiæ cognoſcitivæ per identitatem moralem
& ſecundùm quid dictam, modo ſuprà explica-
to; at nego, ſpeciem impreſſam uniri potentiæ
cognoſcitivæ per identitatem phyſicam & ſim-
pliciter dictam; quin potiùs enim ſpecies im-
preſſa, & potentia cognoſcitiva, phyſicè & ſim-
pliciter (ut plurimùm) diſtinguuntur: ut au-
tem unum cum alio concurrat activè ad produ-
ctionem alicujus effectus, eſt ſatis, ut phyſicè &
ſimpliciter ad invicem diſtinguantur, licèt mora-
liter & ſecundùm quid identificentur, per inti-
mam unius cum alio unionem.

Objic. 2. quod activè concurrit ad actionem
vitalem, debet eſſe vitale; ut patet; proinde-
que ſi ſpecies impreſſa activè concurreret ad co-
gnitionem, quæ eſt actio vitalis, deberet ipſa

ſpe-

ſpecies impreſſa eſſe vitalis: atqui ſpecies non eſt vitalis: ergo &c. Prob. min. quod eſt vitale, debet à principio radicali vitæ procedere; ut ſatis patet: atqui ſpecies impreſſa non procedit à principio radicali vitæ: ergo &c. Prob. min. quod procedit à principio radicali vitæ, procedit ab intrinſeco viventis principio; nihil quippe eſt magis intrinſecum viventi, quàm radicale principium vitæ: atqui ſpecies impreſſa non procedit ab intrinſeco viventis principio, ſed potiùs provenit ab extrinſeco, videlicet ab objecto, à quo imprimitur: ergo &c.

Reſpondeo cum diſtinctione; conceſſa namque, ſpeciem impreſſam non eſſe vitalem per modum potentiæ ex radicali principio vitæ procedentis; ſed nego, ſpeciem impreſſam non eſſe vitalem per modum complendi potentiæ ut eſt vitalis; reipſa enim ſpecies impreſſa complet & determinat potentiam cognoſcitivam, ut cognoſcitiva eſt, proindeque ut eſt vitalis. At licèt repugnet, quòd potentia vitalis ab extrinſeco proveniat; minimè tamen repugnat, quòd complementum potentiæ vitalis ab extrinſeco procedat, dummodò intra potentiam vitalem recipiatur; ideòque quamvis ſpecies impreſſa ab extrinſeco, nempè ab objecto imprimente, procedat; quia tamen intra potentiam vitalem, nimirum intra potentiam cognoſcitivam, recipitur, nihil impedit, ne ſit potentiæ vitalis, ſcilicet potentiæ cognoſcitivæ, complementum.

Objic. 3. ſubſtantia Angeli eſt ſpecies impreſſa in cognitione ſui, (communiter docent Theologi) & tamen activè non concurrit ad cognitionem ſui: ergo neceſſe non eſt, ut ſpecies impreſſa activè ad cognitionem concurrat. Prob. ant. cum ſubſtantia Angeli ſit immediatè per ſeipſam ſpecies impreſſa in cognitione ſui, ſi hæc ſpecies ad iſtam cognitionem activè concurreret, deberet ſubſtantia Angeli immediatè per ſeipſam activè

activè ad illam cognitionem concurrere: atquī substantia Angeli immediatè per seipsam activè ad cognitionem sui non concurrit: ergo &c. Ma. patet. Prob. min. quod immediatè per seipsum ad aliquam actionem seu operationem activè concurrit, est immediatè *activum* seu *operativum*; ac proinde si substantia Angeli immediatè per seipsam activè ad cognitionem sui concurreret, esset immediatè operativa; utpotè immediatè concurrens ad operationem, cujusmodi est cognitio: atquī substantia Angeli non est *immediatè operativa*; saltem in schola Thomistarum, *in qua* nulla substantia creata est immediatè operativa: ergo &c.

Respondeo negando ant. quantum ad secundam partem. Ad cujus prob. concessa ma. nego min. Ad prob. ejus, distinguendum censeo: concedo namque, substantiam Angelī (sicut & quamlibet aliam *substantiam creatam*) *non posse esse in ordine naturali immediatè operativam*, benè tamen *in ordine intentionali & repræsentativo*. Disparitas est, *quòd ut substantia* Angeli in ordine naturali foret immediatè operativa, esset necesse, ut immediatè & primariò ad operationem ordinaretur, sicque deberet ab operatione specificari; (cùm unaquæque potentia immediatè operativa specificetur ab operatione, ad quam primariò ordinatur) unde cùm operatio substantiæ creatæ Angeli sit accidens physicum, (idcircò enim operatio substantiæ increatæ *Dei* non est accidens physicum; quia accidens *physicum*, inhærens subjecto, & ab eo dependens, includit in suo conceptu imperfectionem, nimirum à subjecto dependentiam, quæ Deo repugnat; tum etiam, quia substantia increata Dei, utpotè actus purissimus, debet cum actu secundo, seu cum operatione actuali realiter identificari: sicque, quia hæ rationes cessant in *substantia creata*, cui non repugnat accidens physicum subjecto inhærens, ab eoque dependen-

pendens, & quæ non est actus purus, qui exigat cum actu secundo identificari; debet actus secundus, sive operatio actualis substantiæ creatæ, esse accidens physicum) creata Angeli substantia specificaretur ab accidente physico; quod absurdum est: at ut substantia creata Angeli sit in ordine intentionali & repræsentativo immediatè operativa, immediatè concurrendo ad sui cognitionem; est satis, ut immediatè seipsam potentiæ cognoscitivæ, aut intellectivæ, repræsentet, per modum similitudinis intentionalis, (eo enim ipso immediatè complet & determinat potentiam cognoscitivam, vel intellectivam, ad sui cognitionem efficiendam; sicque simul cum potentia cognoscitiva aut intellectiva immediatè concurrit activè ad eandem cognitionem efficiendam) in quo nulla est repugnantia.

Objic. 4. essentia divina unitur intellectui creato hominis beati, tanquam species impressa in ordine ad videndum Deum immediatè ut in se est; & tamen divina essentia sic intellectui creato unita, tanquam species impressa, non concurrit activè cum intellectu creato hominis beati ad visionem aut cognitionem beatificam eliciendam: ergo necesse non est, ut species impressa activè concurrat cum potentia cognoscitiva ad cognitionem eliciendam. Prob. ant. quantùm ad 2. part. species impressa concurrens activè cum potentia cognoscitiva ad cognitionem eliciendam, vel est causa partialis, vel causa totalis subordinata potentiæ cognoscitivæ: si itaque essentia divina unita intellectui hominis beati per modum speciei impressæ, concurreret activè simul cum intellectu hominis beati ad visionem beatificam eliciendam, deberet ipsa divina essentia esse, vel causa partialis, vel causa totalis quidem, sed subordinata intellectui hominis beati: atqui neutrum dici potest: ergo &c. Prob. min. & primò

mò quidem eſsentia divina di
causa partialis; quoniam causa p
quæ ex ſe non ſufficit ad prod
ctus, ſed exigit neceſsariò alter
dem generis & ordinis conſortiu
rò quæ ex ſe non ſufficit ad
effectus, exprimit in ſuo conce
ctionem, quæ divinæ eſsentiæ c
poteſt.

Præterea, divina eſsentia ſubo
intellectui hominis beati; quonia
dinatur alteri, ab ipſo dependet
eſsentia ab intellectu hominis be
non poteſt.

Reſpondeo negando ant. quant
cujus prob. dico, ſpeciem impr
rentem activè cum potentia cogno
gnitionem eliciendam, neque pr
ſam partialem, neque propriè fu
tentiæ cognoſcitivæ. In primis eni
cies impreſsa ſola non producat c
ſed duntaxat ſimul cum potentia c
& ideò poſſit aliquo modo dici pa
cognitionis; attamen propriè &
intra proprium ordinem intentio
quidquid requiritur, ut in eodem
talis cauſa cognitionis. Similiter q
impreſsa aliquo modo ſubordineru
potentiæ, quatenus ipſa ſpecies in
quo potentia cognoſcitiva cogno
ſpecies tamen impreſsa non ſubo
priè potentiæ cognoſcitivæ; ut eni
gnoſcitiva potentia cognoſcit, pro
dinetur, requiritur, ut ſit virtus a
ex parte potentiæ cognoſcitivæ
rens; ſpecies autem impreſsa c
eſse intentionali, (ſub qua ra
ſideratur) non ſe tenet ex parte
gnoſcitivæ, tanquam virtus ipl
ſed ſe tenet ex parte objecti,

illive in ordine intentionali concurrens simul cum cognoscitiva potentia ad cognitionem objecti, nullam in suo conceptu importat imperfectionem repugnantem essentiæ Divinæ unitæ intellectui hominis beati per modum speciei impressæ.

Articulus Secundus.

Quid senserint Recentiores Philosophi circa sensationes, & species sensibiles.

§. I.

Quid senserit Cartesius?

CArtesius, seclusis speciebus intentionalibus, quas Peripatetici communiter admittunt, per solum motum localem quorumdam nervorum omnes sensationes exponendas esse docet; sic enim loquitur 4. p. princip. num. 18. *Sciendum, inquit, humanam animam, etsi totum corpus informet, præcipuam tamen sedem habere in cerebro, in quo solo, non modò intelligit, & imaginatur, sed etiam sentit; hocque opere nervorum, qui filorum instar, à cerebro ad omnia reliqua membra protenduntur, iisque sic annexi sunt, ut vix ulla pars humani corporis tangi possit, quin hoc ipso moveantur aliquot nervorum extremitates per ipsam sponsæ, atque earum motus ad alias eorum nervorum extremitates in cerebro circa sedem animæ collectas transferatur, motus autem, qui sic in cerebro à nervis excitantur, animam sive mentem intimè cerebro conjunctam diversimodè afficiunt, prout ipsi sunt diversi: atque hæ diversæ mentis affectiones, sive cognitiones ex istis motibus immediatè consequentes, sensuum perceptiones, sive, ut vulgò loquimur, sensus (seu sensationes) appellantur*, &c. Hæc Cartesius.

Ad-

Additque Carteſius, animam non permiſcuè
mnibus cerebri partibus ſuas functiones ſenſa-
eſque exercere, ſed præſertim in quadam
dula, quam in medio cerebri vult eſſe conſti-
).

ntra hanc doctrinam plura ſunt. In pri-
im, ſi ſenſationes non fiunt in organis ſen-
g. in organis viſus, auditus, &c. ſed in ce-
vel in ea cerebri parte, in qua anima hu-
ecipuam ſedem ſuam (apud Carteſium)
icitur; falſum erit illud S. Auguſtini
lib. de quant. animæ cap. 29. *Non ſen-*
one; (ſeu rationali anima) *ſed aut*
auditu, aut olfactu, aut guſtu, aut

juxta illam Carteſii doctrinam,
non fit, ubi fit cognitio & judicium
ſenſibili, atqui ſenſatio ibi fit, ubi fit
udicium objecto ſenſibili, cùm in
ne; vel judicio, ipſa ſenſatio con-
c. Probatur. ſecundùm illam Car-
ſenſatio non fit in organo ſenſus,
atqui cognitio & judicium de ob-
in organo ſenſus: ſic, v.g. cogni-
ſono fit in aure, cognitio & ju-
fit: in faucibus, &c. ut patet ex-
t Scriptura ſacra Job 12. *Nonne*
ar, & *fauces comedentis ſ. p.*

eandem Carteſii doctrinam,
io, quando objectum ſenſibi-
alicujus ſenſus externi, mo-
nn inſtar à cerebro ad orga-
n protenduntur: hæc au-
tur in homine dormiente,
s fiunt ſenſationes, tamet-
norum à nullo ſenſibili

Carteſius, objecta ſen-
iuntur in ſenſus tran-
ſeun-

ſeuntem motum duntaxat, & nihil ampliùs; non apparet, quomodo poſſint ſenſus interni percipere objecta ſenſibilia abſentia & præterita; a hoc quippe neceſſe eſt, ut objecta ſenſibilia abſentia & præterita impreſſerint & immiſerint in ſenſus internos aliquid, quod in eis permanſerit; motus autem tranſiens permanere non poteſt, ut patet.

Reſpondet Carteſius in tract. de homine pag. 72. ideas objectorum, quæ vidimus, in animo noſtro perſeverare, quandiu quædam foraminula, quæ in glandula cerebri, ab objectorum, quæ vidimus, corpuſculis facta ſunt, manent aperta; eaſdemque ideas omninò deleri, & à memoria excidere, quando talia foramina occluduntur, ita ut rerum, quæ à talibus ideis repræſentabantur, obliviſcamur.

Sed contrà in primis eſt, quòd foraminula illa in glandula cerebri ab objectorum quæ videmus, corpuſculis facta, videntur chimærica. Deinde, ſi ideæ ab objectis in animam noſtram, vel in noſtros ſenſus immiſſæ, perſeverarent & permanerent nonnunquam in illis; falſum eſſet tunc, quod alibi docet Carteſius, nimirum, objecta ſenſibilia nihil aliud immittere in ſenſus noſtros, præter tranſeuntem motum.

Denique, ideæ illæ objectorum, quas vult Carteſius in memoria perſeverare: vel ſunt imagines, ſimilitudines, & repræſentationes objectorum, vel non? ſi ſunt imagines, ſimilitudines, & repræſentationes objectorum: ergo ſunt ſpecies intentionales objectorum; (nihil quippe aliud per intentionales objectorum ſpecies intelligunt Peripatetici) & ita, velit, nolit Carteſius, ſpecies intentionales objectorum admittat neceſſe eſt. Si verò ideæ objectorum, quæ vidimus, non ſunt imagines, ſimilitudines, & repræſentationes illorum, non apparet, quomodò poſſint inſervire memoriæ ad objecta abſentia & præterita percipienda.

Di-

Dices cum Cartesio, ideas objectorum, quibus perficitur sensatio, non imprimi, immitti, vel causari ab ipsis objectis; (ut docent Peripatetici) sed solùm objecta movendo sensuum organa, excitare animam ad attendendum ideis naturaliter inditis.

Sed contra sic argumentor: quod naturaliter sive à natura inditum est, nunquam deletur, quandiu natura perseverat; ut perspicuum est; & tamen, ex ipso Cartesio, ideæ objectorum omnino delentur, & planè à memoria excidunt, quando foramina vel foraminula in glandula cerebri ab objectorum, quæ vidimus, corpusculis facilè occluduntur; ut patet ex dictis.

Objic. 1. inconveniens est, animam nobiliorem pati ab objectis sensibilibus & ignobilibus: ergo ab illis per impressionem non recipit intentionales species.

Respondeo distinguendo ant. inconveniens est animam nobiliorem physicè pati ab objectis sensibilibus & ignobilibus, recipiendo ab eis physicas perfectiones, concedo: inconveniens est, animam nobiliorem intentionaliter pati ab objectis sensibilibus & ignobilibus, recipiendo ab illis similitudines intentionales ipsorum, nego: etiam enim anima, quantumvis nobilior, sit ad percipienda hæc objecta sensibilia & ignobilia potiùs, quàm illa, ex se indifferens & indeterminata; necesse est, ut anima recipiat ab his objectis sensibilibus & ignobilibus species vel similitudines, aut repræsentationes intentionales ipsorum, quibus anima ad illa objecta percipienda vel cognoscenda determinetur.

Objic. 2. Cartesius exemplum cujusdam puellæ, quæ brachio, ob gangrenæ periculum, amputato, (quod factum illa ignorabat, quoniam ob terroris metum, velati fuerant, dum mutilaretur, oculi) sæpè conquerebatur, se in quibusdam digitis, mox in aliis, dolorem pati: quod profectò, inquit Cartesius, alia ex causa crii

non

non poterat, quàm quia nervi, qui à cerebro a
digitos uſque veniebant, brachio amputato
prope cubitum terminabantur, & eodem mo
do verſus illum locum afficiebantur, ac affici
debuiſſent, ſi brachium amputatum non fuiſ
ſet. Ex quo exemplo concludit Carteſius, dol
loris ſenſationem fieri in cerebro, mediis nervis
ab ipſo ad organa ſenſuum deſcendentibus.

Reſpondeo, 1. Carteſium nihil verè ex illo
exemplo poſſe concludere; quoniam puella illa,
non ex vera, ſed ex erronea apprehenſione &
æſtimatione loquebatur; erroneè ſiquidem exi-
ſtimabat, ſe habere brachium, ſe habere digi-
tos, ſeque dolere in digitis: ſed in hoc errabat
& fallebatur.

Reſponderi poteſt 2. ſenſationem doloris fieri
in cerebro apprehenſivè; (quatenus anima exi-
ſtens in cerebro apprehendit, quòd ſenſatio do-
loris fiat in organo tactus) at non elicitivè,
quaſi anima in cerebro ſubſiſtens eliciat imme-
diatè per ſeipſam doloris ſenſationem; quin po-
tiùs enim doloris ſenſatio elicitur à tactu in pro-
prio organo exiſtente.

Objic. 3. Conſtat experientia, 1. quòd quan-
do mens aliò intenditur, objecta, quæ ſunt in
conſpectu & in præſentia, non videmus. 2. Ei-
dem experientia conſtat, quòd ſomnus omnem
adimit aut impedit ſenſationem. 3. Denique
etiam experientia patet, ſolo cerebro gravitèr
læſo, (ut contingit in Apoplexia) totum cor-
pus carere omni prorſus ſenſatione: Tres autem
iſtæ experientiæ probant, omnes ſenſationes fie-
ri in cerebro: ergo reipſa omnes ſenſationes fiunt
in cerebro. Prob. min. per ſingulas partes. Pri-
ma quidem experientia probat, viſionem (ſeu
ſenſationem, quæ *viſio* appellatur) fieri in ce-
rebro, non verò in oculis; quandoquidem et-
iam ſi tunc oculi ſint apertiſſimi, objecta ta-
men præſentia minimè videmus; quod ſanè
ex alia cauſa non provenit, niſi ex eo, quòd

per

pernimiam mentis intentionem impeditur cere-
brum, ne possit visionem circa objecta præsen-
tia elicere. Secunda experientia probat etiam,
sensationem fieri in cerebro; si etenim sensatio
non fieret in cerebro, sed in organis sensuum,
quare somnus solum cerebrum occupans, om-
nem sensationem adimeret, vel impediret? ex
quo infertur, tertiam experientiam probare,
omnem sensationem fieri in cerebro.

Respondeo negando, præfatas experientias
probare, omnes sensationes fieri in cerebro. Nam
in primis idcò, cùm mens aliò intenditur, objec-
ta præsentia & in conspectu posita non vide-
mus, quia spiritus animales, qui essent necessa-
ri, ut potentia visiva videret hæc objecta, per
miam mentis attentionem, vel intentionem,
ensumuntur, vel saltem detinentur. Idcircò
iam in somno, Apoplexia, cæterisque mor-
s cerebrum occupantibus, vel malè afficien-
ous, omnis adimitur vel impeditur sensatio,
oniam ad omnem sensationem exercendam
ecessarii sunt spiritus animales, qui per som-
um, Apoplexiam, cæterosque cerebri morbos
pediuntur, ne ad sensum organa diffundantur.

Objic. 4. Visio non fit in organo visus, sed in
ebbro: ergo similiter aliæ sensationes non fiunt
organis aliorum sensuum, sed in cerebro;
m non sit major ratio de una sensatione, quàm
altera. Prob. ant. Oculi sunt ipsum organum
suus: atqui visio non fit in oculis: ergo &c.
ob. min. Si in oculis fieret visio, semper objec-
um visum appareret duplex: ergo, cùm hoc
augmet experientiæ, dicendum est, visionem
n fieri in oculis. Prob. ant. Tunc objectum
bet duplex apparere, quando per duplicem
ciem videtur: atqui si in oculis fieret visio,
per objectum per duplicem speciem, sive per
as species in duobus oculis existentes, vide-
ur: ergo &c.

Respondeo negando ant. Ad cujus prob. con-

cessa

ceſſa ma. nego min. Ad prob. ejus nego ant. licè enim tunc objectum debeat duplex apparere quando per duplicem ſpeciem diſparatam videtur, (quo modo, homo, & leo, & ſimilia, videntur) non tamen quando videtur per ſpeciem quæ in *eſſe* entitativo eſt quidem duplex, in *eſſe* tamen intentionali & repræſentativo unica eſt: quando verò fit in oculis viſio unius objecti, ſive quando oculi unum vident objectum; hoc objectum videtur quidem per ſpeciem, quæ in *eſſe* entitativo duplex eſt; ſed quæ in *eſſe* intentionali & repræſentativo unica eſt: ut enim in præcedenti art. oſtenſum eſt, ſpecies eſt ipſum objectum in *eſſe* intentionali & repræſentativo; ideòque quando objectum repræſentatum eſt unicum, ſpecies in *eſſe* intentionali & repræſentativo unica ſit neceſſè eſt, quantumvis in *eſſe* entitativo duplex ſit vel multiplex.

§. II.

Quid ſenſerit Epicurus.

SPecies ſenſibiles, juxta Epicuri ſententiam, (quam plurimi Recentiores Philoſophi tuentur) ſunt ſubſtantiales quidam effluxus tenuiſſimi, qui è corporibus ſenſibilibus in ſenſus noſtros incurrunt. Qui quidem effluxus è certis atomis ita contexuntur, ut ſenſorii (id eſt organi ſenſus) meatus aptatos ſubeant. Læduntur verò ſenſuum organa, cùm atomi è corporibus aut objectis ſenſibilibus prodeuntes, ſenſorii poris non conveniunt. Quæritur ergo, utrùm admittendi ſint illi ſubſtantiales effluxus è corporibus vel objectis ſenſibilibus procedentes, ac in ſenſus noſtros incurrentes; & utrùm ſint ſpecies ſenſibiles objectorum ſenſibilium?

Reſpondent communiter Peripatetici, falſum eſſe in primis, dari effluxus ſubſtantiales à quolibet objecto ſenſibili emanãtes; ea etenim ſubſtan-

tia

ria duntaxat emittere potest substantialem sui effluxum, quæ fumida est; effluxus quippe substantialis se habet ad modum fumi, ut perspicuum est in rebus odoriferis: atqui falsum est, quodlibet objectum sensibile esse fumidū; falsum enim est, (vel saltem chimericum) durissimum marmor (quod v. g. album est, & ita sensibile seu cognoscibile per visum) esse fumidum: ergo &c. Hinc præclarè D. Duhamel li. 1. de corpore animato c. 3. *Non video*, inquit, *quomodò item in marmore insculpti caracteres, tot labentibus seculis perseverent, si ex eis quidam substantiales effluxus continenter decedant*; substantiæ enim, quæ effluxus substantiales emittunt, paulatim imminuuntur, ut experientia patet; si igitur ex marmore substantiales effluxus continenter decederent, paulatim marmor imminui deberet, neque insculpti in eo caracteres diu possent perseverare.

Deinde licèt quædam objecta sensibilia emittant substantiales effluxus, ut contingit in objectis odoriferis; species tamen sensibiles in ejusmodi effluxibus consistere nequaquam possunt. Etenim (ut adversarii ipsi fatentur) species sensibiles debent ad sensus pervenire, ut fiat sensatio: effluxus autem substantiales ab objecto emanantes sæpè ad sensum non perveniunt, & tamen fit sensatio; nam sensatio odoris fit à loco remotissimo; unde siquidem Plinio, vultures à quinquaginta milliariis cadavera sentiunt; & ut referunt B. Albertus Magnus 2. de anima cap. 25. & Avicenna tract. de odoratu, ab spatio quingentorum milliariorum ad ingentem cadaverum stragem factam in Græcia, vel, ut alii volunt, apud Trojam, accurrerunt tigrides, & convolarunt vultures, allecti odore cadaverum: non videtur autem naturaliter possibile, effluxum substantialem cadaverum ad tantum spatium fuisse diffusum, & ad olfactum illorum animalium pervenisse; in quo tamen sensatio cadaverum facta est.

Idē probari posset ex eo, quòd res odorifera sen-

titur intra aquam; cùm piſces diu noctuque moveantur ad quærendos cibos diſtantes, non alio ducti ſenſu, quàm olfactu; unde qui venantur crocodilos, carnes propè aquam ſuſpendunt, ut earum odore tracti accedant; non poteſt verò ſubſtantialis effluxus, vel exhalatio odoris, per aquam diffundi & conſervari, ob nimiam aquæ frigiditatem & humiditatem; exhalatio quippe illa cùm ſit ignea ac levis, ſurſum aſcendit, non verò in aquam mergitur: ergo etiam in iſto caſu ſubſtantialis effluxus, vel exhalatio objecti odoriferi, non pervenit ad olfactum piſcium, in quo intra aquam fit odoris ſenſatio.

Denique, ſubſtantialis effluxus emanans ab objecto ſenſibili, ſi detur, erit aliqua ſubſtantia corporea, ut patet; ac proinde propriam habebit quantitatem aut extenſionem, (quælibet enim ſubſtantia corporea ſuam propriam habet quantitatem) ſubindèque intra oculum, v. g. poni aut recipi non poterit; etenim una ſubſtantia quanta & extenſa intra aliam poni, nonniſi per penetrationem poteſt; ideòque quia penetratio dari naturaliter nequit, (ut alibi oſtenſum eſt) ſubſtantialis effluxus emanans ab objecto ſenſibili, v. g. ab objecto viſibili, non poterit intra oculum poni, aut in eo recipi: proindèque ſpecies ſenſibilis, v. g. viſibilis, non erit; ſpecies namque viſibilis debet in oculo recipi.

Dices cum Epicuri diſcipulis: accidens non poteſt tranſire de ſubjecto in ſubjectum; ſpecies autem ſenſibilis tranſit de ſubjecto in ſubjectum; emittitur enim ab objecto, recipitur in medio, & ſic deportatur uſque ad ſenſum: ſpecies ergo ſenſibilis non eſt accidens, ſed ſubſtantialis effluxus tenuiſſimus, incredibili agitatione ab objecto ad ſenſum convolans.

Reſpondeo negando, ſpeciem ſenſibilem tranſire de ſubjecto in ſubjectum; neque enim ſpecies ſenſibilis recipitur in medio, ut deportetur deinde ad ſenſum; ſed emittitur ab objecto

ad

ad medium, in eoque recepta producit aliam & aliam speciem usque ad sensum, in quo ultimò recipitur.

Articulus Tertius.

De sensibus externis in communi.

§. I.

De objecto sensus externi.

OBjectum sensibile in communi sumptum definiri vel describi potest: *Ens corporeum, extensum, singularis motivum sensus.* In primis objectum sensibile debet esse ens, videlicet positivum; etenim negationes & privationes non cadũt sub sensus; illud quippe duntaxat cadit sub sensũ, quod ipsum movet ad sui cognitionẽ; sola autem entia positiva movere possunt sensũ ad sui cognitionem; movere namque est agere, agere verò non convenit nisi solis entibus positivis. Præterea objectum sensibile debet esse corporeum & materiale, quia facultas corporea & materialis, qualis est sensus, percipere non potest nisi corporea & materialia. Insuper objectum sensibile debet esse extensum; quoniam quò res minor est, eò magis sensum fugit; (ut experientia patet) proindeque si res sit inextensa, & nihil habeat magnitudinis, sensum prorsus fugit, sicque non est objectum per sensum cognoscibile, sive non est objectum sensibile. Rursus objectum sensibile debet esse singulare; etenim naturæ universales sunt à sensibus abstractæ, & à solo intellectu percipi possunt; hinc ex communi axiomate dicitur. *Intellectus est universalium, & sensus singularium.* Denique objectum sensibile debet esse motivum sensus; quoniam objectum sensibile debet immittere in sensum speciem impressam, qua ipsum moveat ac determinet ad sui cognitionem.

Senſibile verò in particulari, & prout eſt proprium ſenſus externi objectum, definiri vel deſcribi poteſt hoc pacto: *Ens corporeum, extenſum, ſingulare, motivum ſenſus, localiter præſens in debita diſtantia.* Priores hujus definitionis vel deſcriptionis particulæ manent ex dictis explicatæ. Additur verò, objectum ſenſus externi debere eſſe localiter præſens; in quo differt objectum ſenſus externi ab objecto ſenſus interni, quod poteſt eſſe abſens, ut infrà conſtabit; per hoc etiam redditur ratio, cur Chriſti corpus in Euchariſtiæ Sacramento poſitum non poſſit ſenſu externo percipi, quia nempè non eſt ibi localiter extenſum & præſens. Demum, objectum ſenſus externi debet eſſe in debita diſtantia per reſpectum ad ſenſum; quia objectum ſenſus externi comparatur ad ipſum ſenſum externum, ſicut agens ad paſſum, cui ſpeciem imprimit: agens autem debet eſſe in debita diſtantia per reſpectum ad paſſum; ut alibi oſtenſum eſt.

Senſibile externum (quod nimirum eſt objectum externi ſenſus) dividitur à Philoſopho lib. 2. de anim. cap. 6. in ſenſibile *per ſe*, & in ſenſibile *per accidens*. Senſibile per ſe eſt illud, quod ratione ſui à ſenſu percipitur: hujuſmodi eſt color, qui ratione ſui percipitur à viſu. Senſibile verò per accidens eſt id, quod non ſentitur niſi per accidens, ſive per aliud, ſeu ratione alterius, videlicet ratione ſenſibilis per ſe, cui conjungitur; ſic v. g. dum oculus videt parietem album, ſubſtantia parietis eſt ſenſibilis ſolùm per accidens, quoniam non ſentitur à viſu, ſeu non videtur, niſi ratione albedinis, cui conjungitur, quæque eſt ſenſibilis vel viſibilis per ſe. Unde ſenſibile per accidēs non imprimit ſenſui propriam ſpeciem ſui repræſentativam; ſed ſpecies objecti per ſe ſenſibilis, quæ ipſum per ſe & primariò repræſentat ſenſui, etiam per accidens & ſecundariò repræſentat ſenſibile per accidens, tanquam aliquid conjunctum objecto per ſe ſenſibili. Senſibile per accidens non eſt propriè ſenſibile, (neque enim

enim substantia parietis est propriè sensibilis, seu per sensum cognoscibilis; quin potiùs enim est propriè per solùm intellectum cognoscibilis) unde eo relicto.

Sensibile per se, dividitur in sensibile *proprium*, & in sensibile *commune*. Sensibile proprium est illud, quod per se primò ab uno duntaxat sensu externo percipitur; estque quintuplex; nempè *visibile*, sive coloratum lucidum, quod per se primò a solo visu percipitur; *audibile*, seu sonorum, quod à solo auditu cognoscitur; *odorabile*, quod à solo olfactu per se primò sentitur; *gustabile*, seu habens saporem, quod per se primò à solo gustu percipi potest; & *tangibile*, (quod calorem frigus, & omnes alias tangibiles qualitates comprehendit) quod à solo tactu potest sentiri. Sensibile verò commune est illud, quod per se secundò à pluribus externis sensibus potest cognosci; estque etiam quintuplex; (ut docet Aristoteles 2. de anima c. 6. text. 64.) nempè motus, quies, numerus, figura, & magnitudo.

Motus visu & tactu sentitur; item auditu, dum aliquem ambulantem audimus; gustu quoque & odoratu, prout fluxum (& ita motum) & continuationem saporum odorumque apprehēdimus. *Quies* verò visu, tactu, & auditu cognoscitur; nam cùm sonum campanæ non audimus, aliquo modo ipsius campanæ quietem auditu percipimus; itemque gustu & odoratu cognoscimus, quando sapores & odores (veluti quiescendo) cessant afficere illos sensus. *Numerus* sentitur à visu, gustu, & tactu, ut patet; itemque ab auditu, & odoratu; percipimus quippe, utrum sint plures colores, sapores, calores, soni, & odores? *Figura* percipitur à visu & tactu; ab auditu quodammodò etiam cognoscitur, quatenus auditu discernimus, utrum à concavo, vel à plano corpore, sonus procedat? sicque figuram corporis concavi vel plani auditu aliquo modo apprehendimus. *Magnitudo* tandem percipitur visu, tactu,

imò & auditu, cùm, v. g. audimus ſonum parvi aut magni tympani; item guſtu, percipiendo magnam vel parvam ſaporis copiam; & denique odoratu, percipiendo copiam odoris; etenim copia rei eſt quædam ejus magnitudo.

Recenſentur quoque inter ſenſibilia communia, tempus, unitas, ſitus, & diſtantia, necnon propinquitas. Sed hæc ad quinque ſenſibilia communia ex Ariſtotele relata reducuntur; tempus quidem ad motum, cujus eſt duratio; unitas ad numerum, cujus eſt principium; ſitus ad figuram: ſitus namque eſt veluti figura quædam, ſecundùm quam corpus dicitur eſſe in loco; & diſtantia, nec non propinquitas, ad magnitudinem; diſtantia enim vel propinquitas, aut magna eſt, aut parva.

§. II.

Virum ſenſibile commune ſentiatur per propriam ſpeciem impreſſam?

AFfirmant B. Albertus Magnus, Jandunus, & alii; in eamque ſententiam inclinat Scotus. Cajetanus item aſſerit, figuram imprimere propriam ſui ſpeciem. Negant verò Bannes, Conplutenſes, Joannes à S. Thoma, & alii plurimi: docentque iſti authores, ſpeciem impreſſam *ſenſibilis* proprii, primariò & directè repræſentare *ſenſibile* proprium, & ſecundariò ac veluti indirectè *ſenſibile* commune, quatenus ſpecies illa repræſentat *ſenſibile* proprium ut affectum vel modificatum per *ſenſibile* commune; ſic v. g. docent, ſpeciem impreſſam coloris vel colorati primariò & directè repræſentare colorem, & ſecundariò ac indirectè magnitudinem ſeu quantitatem vel extenſionem, quatenus impreſſa coloris aut colorati ſpecies repreſentat colorem ut affectum aut modificatum & extenſum per quantitatem; unde aſſeverant iidem authores, ſpeciem

impressiam quantùm ad substantiam, provenire à solo *sensibili* proprio; licèt quantùm ad modum, proveniat à *sensibili* communi.

Hæc sententia & doctrina colligitur in primis ex Aristotele 2. de anim. cap. 6. text. 69. ubi *sensibile* proprium appellat *sensibile per se primò*, & *sensibile* commune vocat *sensibile per se secundò*. Colligitur etiam ex D. Thoma multis in locis; sed præsertim 1. part. quæst. 78. art. 3. ad 2. ubi sic ait: *Sensibilia* communia non movent sensum primò & per se, sed ratione *sensibilis qualitatis*.

Prob. etiam ratione fundamentali: quod propriam imprimit speciem sensui, per se primò ab ipso sensu sentitur; atqui *sensibile* commune per se primò non sentitur à sensu: ergo &c. Mi. videtur manifesta: etenim potentia cognoscitiva non percipit per se primò, nisi proprium objectum; proprium autem objectum alicujus sensus non est sensibile commune, sed *sensibile* proprium, ut patet satis; proindèque sensus non percipit sive non sentit per se primò *sensibile* commune. Prob. autem ma. quod per se primò repræsentatur sensui, per se primò sentitur à sensu; eo enim modo sensus sentit objectum, quo ipsi repræsentatur: atqui quod propriam imprimit speciem sensui, per se primò repræsentatur sensui: ergo &c. Prob. min. cùm species impressa sensibilis sit formalis & germana similitudo objecti sensibilis, (ut suprà ostensum est) illud per se primò repræsentat sensui, cujus est propria species impressa: ergo quod propriam imprimit speciem sensui, per se primò repræsentatur sensui per hujusmodi speciem.

Dicendum igitur est, sensibile commune non imprimere propriam speciem sensui; sed speciem impressam sensibilis proprii primariò, directè, & per se primò repræsentare proprium sensibile; secundariò verò, indirectè, & per se secundò repræsentare sensibile commune, quatenus re-

præſentat ſenſibile proprium ut affectum vel modificatum per ſenſibile commune; ideòque ſpecies illa impreſſa, quantùm ad ſubſtantiam, provenit à ſolo *ſenſibili* proprio; licèt quantùm ad modum, procedat à *ſenſibili* communi.

Objic. 1. Ariſtoteles 2. de anim. c. 6. text. 64. & 65. docet, ſenſum pati aliquid à *ſenſibili* communi: non apparet autem, inquiunt adverſarii, quomodo ſenſus patiatur aliquid à *ſenſibili* communi, niſi ipſe ſenſus aliquid à communi *ſenſibili* recipiat, (pati etenim ab alio, eſt aliquid ab illo recipere) nimirum niſi recipiat propriam ejus ſpeciem.

Reſpondeo facilè, ſenſum revera aliquid pati ſeu recipere à ſenſibili communi, non quia ipſe ſenſus recipiat à *ſenſibili* communi propriam ejus ſpeciem impreſſam, ſed quia recipit ab illo modificationem ſpeciei impreſſæ *ſenſibilis* proprii. Unde dum Philoſophus li. 3. de anim. c. 1. text. 133. dicit, *ſenſibile* commune immutare ſenſum: diſtinguendum eſt; concedendum enim eſt, *ſenſibile* commune immutare ſenſum modificativè, modicando ſpeciem impreſſam *ſenſibilis* proprii; ſed negandum eſt, *ſenſibile* commune immutare ſenſum ſimpliciter & abſolutè, imprimendo ei propriam ſpeciem.

Objic. 2. D. Thomas 1. p. qu. 17. art. 2. dicit, quòd ſimilitudines (ſeu ſpecies) ſenſibilium communium ſint per ſe ſecundò in ſenſibus: ergo ſenſibilia communia imprimunt proprias ſui ſimilitudines ſeu ſpecies ſenſibus.

Reſpondeo negando conſeq. nam D. Thomas per ſimilitudines per ſe ſecundò ſenſibilium communium repræſentativas, intelligit ſpecies impreſſas ſenſibilium propriorum ut modificatas per *ſenſibilia* communia, & per ſe ſecundò ipſorum repræſentativas.

Objic. 3. Nequit ſpecies *ſenſibilis* proprii repræſentare *ſenſibile* commune: ergo neceſſe eſt, ut ſenſibile commune propriam ſpeciem ſui repræſen-

sentativam imprimat sensui; alioquin nullo modo repræsentaretur sensui, sicque nullo modo cognosceretur à sensu. Prob. ant. species coloris nequit repræsentare magnitudinem: ergo cùm color sit aliquod *sensibile* proprium, & magnitudo sit quoddam *sensibile* commune, (ut ex dictis patet) nequit species *sensibilis* proprii repræsentare sensibile commune. Prob. ant. cùm species intentionalis debeat identificari cum re, quam repræsentat, (ut suprà docuimus) si species coloris repræsentaret simul colorem & magnitudinem, deberet species illa identificari cum colore & cum magnitudine; quod videtur absurdum, eo quòd color, & magnitudo seu quantitas, sunt omninò diversæ naturæ.

Respondeo distinguendo ant. nequit species *sensibilis* proprii repræsentare primariò & directè *sensibile* commune, concedo: nequit species *sensibilis* proprii repræsentare secundariò & indirectè *sensibile* commune, tamquam aliquid afficiens & modificans *sensibile* proprium, nego. Et hoc secundo modo species coloris repræsentat magnitudinem; unde species illa in *esse* intentionali & repræsentativo identificatur primariò & directè cum colore, & secundariò ac indirectè cum magnitudine seu quantitate, ut afficiente, modificante, & extendente colorem; & in hoc nulla absurditas est, quantumvis color & quantitas, in *esse* entitativo, sint omninò diversæ naturæ.

Instabis: tunc solùm duo possunt per eamdem speciem repræsentari, quando habent inter se specialem similitudinem & convenientiam: atqui color, & quantitas, non habent inter se specialem similitudinem & convenientiam, imò potiùs sunt primò diversa: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. tunc solùm duo possunt per eamdem speciem repræsentari primariò

rio & directè, quando habent inter ſe ſpecialem ſimilitudinem & convenientiam, concedo: tunc ſolùm duo poſſunt per eamdem ſpeciem ita repræſentari, ut unum primariò & directè, aliud verò ſecundariò & indirectè, repræſentetur; quando habent inter ſe ſpecialem ſimilitudinem & convenientiam, nego; ad hoc ſiquidem ſufficit, ut unum ſic afficiat & modificet aliud, ut unum non poſſit primariò & directè cognoſci; (& ita repræſentari) niſi aliud ſecundariò & indirectè cognoſcatur; (& ita repræſentetur) & hoc modo ſe habent color, & quantitas; ſic enim quantitas afficit, modificat, & extendit colorem, ut nequeat color primariò & directè per viſum cognoſci, niſi quantitas afficiens, modificans, & extendens, ſecundariò & indirectè cognoſcatur; ideòque quantumvis color, & quantitas, non habeant inter ſe ſpecialem ſimilitudinem & convenientiam, poſſunt tamen per eamdem ſpeciem impreſſam ſic repræſentari, ut repræſentetur primariò ac directè color, & quantitas ſecundariò ſolùm ac indirectè.

Objic. 4. ſimulque inſtab. ampliùs: ſi ſpecies *ſenſibilis* proprii poſſet repræſentare *ſenſibile* commune, maximè, prout eſt per *ſenſibile* commune modificata: atqui ſpecies *ſenſibilis* proprii, prout eſt modificata per *ſenſibile* commune, ipſum repræſentare non poteſt; ſive meliùs, *ſenſibile* commune nequit modificare ſpeciem *ſenſibilis* proprii: ergo &c. Mia. patet ex dictis. Prob. min. cùm *ſenſibile* commune poſſit per plures ſenſus percipi, deberet poſſe ſpecies plurium *ſenſibilium* propriorum modificare: ſic, v. g. cùm quantitas poſſit percipi per viſum & tactum, deberet quantitas poſſe modificare, & ſpeciem coloris viſibilis, & ſpeciem tangibilis qualitatis: atqui quantitas non poteſt modificare ſpeciem coloris viſibilis, &

ſpe-

speciem tangibilis qualitatis: ergo &c. *Prob. min.* si quantitas modificaret *species* coloris visibilis, & tangibilis qualitatis; vel produceret iiin eis modos ejusdem rationis, vel diversæ? atqui neutrum dici potest: ergo &c. *Prob. min.* & primò quidem quantitas non producit modos ejusdem rationis in speciebus coloris visibilis, & tangibilis qualitatis; cùm enim istæ species sint diversæ rationis, videntur etiam exigere modos diversæ rationis. Quantitas non producit quoque modos diversæ rationis in speciebus coloris visibilis, & tangibilis qualitatis; cùm etenim quantitas sit ejusdem rationis in colore visibili, & in tangibili qualitate, debet etiam producere in eorum speciebus modos ejusdem rationis, non verò diversæ.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. concessa iterum ma. nego min. ad prob. ejus, dico, *quantitatem producere modos ejusdem rationis in speciebus coloris visibilis*, & qualitatis tangibilis, eo quòd quantitas est ejusdem rationis in colore visibili, & in tangibili qualitate: & dum dicitur, species coloris visibilis, & tangibilis qualitatis, utpotè diversæ rationis, exigere quoque modos diversæ rationis; respondeo, hoc quidem esse verum, si species illæ modificentur secundùm proprias rationes, non tamen si modificentur sub ratione communi: sicut autem affici quantitate, est communis ratio coloris visibilis, & tangibilis qualitatis; ita etiam modificari in *esse* intentionali per quantitatem, est communis ratio specierum intentionalium coloris visibilis, & tangibilis qualitatis.

Instabis: numerus non modificat speciem *sensibilis* proprii: ergo nec etiam alia *sensibilia* communia modificant speciem aliorum *sensibilium* propriorũ; cùm non sit major ratio de uno, quàm de alio. Prob. ant. dentur duo alba, species repræsentativa cujuslibet albi, impressa visui, erit

ſpecies alicujus *ſenſibilis* proprii, (album quippe, & quodlibet aliud coloratum, eſt proprium *ſenſibile* viſus) non apparet autem, qua ratione numerus binarius duorum alborum modificet ſpeciem impreſſam cujuslibet albi repræſentativam.

Reſpondeo negando ant. quando enim, v. g. duo alba ſimul videntur, numerus binarius duorum illorum alborum facit, ut ſpecies impreſſa repræſentans unum album, ipſum repræſenter cum aliquo reſpectu ad aliud album; ideòque ſpeciem illam modificat.

Obji. 5. Invariato ſenſibili proprio, interdum variatur ſenſatio, per variationem ſolius *ſenſibilis* communis: v. g. invariata albedine, (quæ reſpectu viſus eſt proprium *ſenſibile*) variatur nonnunquam viſio, per ſolius figuræ (quæ eſt aliquod ſenſibile commune) variationem; v. g. ſi album rotundum varietur, & mutetur in quadratum: atqui invariato *ſenſibili* proprio, variari non poteſt ſenſatio per variationem ſolius *ſenſibilis* communis, niſi *ſenſibile* commune imprimat ſenſui propriam ſpeciem diſtinctam à ſpecie *ſenſibilis* proprii: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. invariato *ſenſibili* proprio, interdum variatur ſenſatio accidentaliter & quoad modum, (quatenus attingit *ſenſibile* proprium novo accidentali modo) per variationem ſolius *ſenſibilis* communis, (ſicut contingit, quando album priùs videtur, prout ſe habet modo rotundo; & poſteà videtur, prout ſe habet modo quadrato, per ſolam variationem figuræ rotundæ in quadratam) concedo: invariato *ſenſibili* proprio, interdum variatur ſenſatio ſpecificè & quod ſubſtantiam, (ſeu eſſentiam) per variationem ſolius *ſenſibilis* communis, nego: ut autem invariato ſenſibili proprio, varietur ſenſatio accidentaliter & quoad modum, per variationem ſolius *ſenſibilis* com-
[illegible]; ſufficit planè, ut *ſenſibile* commune
mo-

modificet speciem intentionalem *sensibilis* proprii; adeò ut, ad variationem *sensibilis* communis, intentionalis species *sensibilis* proprii novo modo se habeat, novoque modo repræsentet *sensibile* propriùm.

Objic. 6. Si *sensibile* proprium & *sensibile* commune per unam & eandem speciem impressam repræsentarentur, nec proprias ac distinctas imprimerent species intentionales; viso *sensibili* proprio videretur necessariò *sensibile* commune; & è contra, viso *sensibili* communi, necessariò videretur *sensibile* propriùm: atqui viso *sensibili* communi, necessariò non videtur *sensibile* proprium; sed nonnumquam viso sensibili communi, non videtur *sensibile* proprium ergo &c. Prob. min. nam si turris eminùs conspiciatur, videntur *sensibilia* communia, *v. g.* figura, quies, & magnitudo turris; & tamen proprium sensibile visus, nempè color, non videtur.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. dico, quòd dum turris eminùs conspicitur, proprium sensibile visus, nimirum color, videtur, & quidem primariò; non tamen distinctè, sed solùm confusè, propter nimiam distantiam.

Instabis: si aliquis esset prope cœlum, tangeret ejus quantitatem, (quæ est aliquod *sensibile* commune) & tamen minimè tangeret quatuor primas qualitates, (videlicet calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem) quæ in cœlo non sunt, (ut alibi ostensum est) quæque tamen sunt proprium *sensibile* tactus: ergo sentiri potest *sensibile* commune absque eo, quòd *sensibile* proprium sentiatur.

Respondeo concesso ant. distinguendo consequens: ergo sentiri potest *sensibile* commune absque eo, quòd aliquod *sensibile* propriũ sentiatur, concedo: ergo sentiri potest *sensibile* commune absque eo, quòd ullum *sensibile* proprium sentiatur,

tur; nego: quamvis enim, qui eſſet propè cœlum, & tangeret ejus quantitatem, non ſentiret primas qualitates, (quæ utique in cœlo non ſunt) ſentiret tamen ſoliditatem, denſitatem, terſitatem, & ſimiles cœlorum qualitates, quæ pertinent ad proprium *ſenſibile* tactus.

§. III.

Virum ſenſibile conjunctum immediatè ſenſui externo, vel ipſi contiguum, poſſit ab ipſo ſentiri?

CIrca hoc, duplex eſt Philoſophorum ſententia. Prima docet univerſaliter, *ſenſibile* conjunctum immediatè ſenſui externo, vel ipſi contiguum, poſſe ab ipſo ſentiri, etiam à viſu; modò non ſit corpus opacum (quia ſic velaret oculos, & impedito luminis acceſſu, viſionem impediret.) Ita docet Scotus cum ſuis diſcipulis. Scotum abſolutè ſequuntur Toletus, & alii plures recentiores. Conimbricenſes verò & Suarez, cum aliis, illud aſſerunt de tactu & guſtu tantùm. Alii autem etiam de odoratu.

Secunda ſententia aſſerit, objectum ſenſibile immediatè poſitum ſupra ſenſum externum non poſſe ab ipſo ſentiri, ſed requiri neceſſariò medium inter objectum ſenſibile, & ſenſum, ut fiat ipſius objecti ſenſibilis ſenſatio: ſive medium illud ſit externum, hoc eſt corpus aliquod adæquatè à ſentiente diſtinctum, & ipſi ſentienti conjunctum; cujuſmodi eſt aer vel aqua, reſpectu auditus, olfactus, & vitus: ſive medium illud ſit internum; cujuſmodi eſt aliqua pars animalis conjuncta organo; ut contingit in tactu, & in guſtu. Ita docent Cajetanus, Bannes, Complutenſes, Joannes à S. Thoma, & alii Thomiſtæ communiter; quos non pauci recentiores ſequuntur.

Hæc ſecunda ſententia apertè colligitur ex Ari-

Aristotele. Nam in primis ipse Philosophus 2. de anima cap. 7. textu 73. expresè asserit, objectum visibile positum supra visum non videri: Si quidem, inquit, id quod habet colorem (id est, objectum coloratum & visibile) supra visum positum fuerit, non sanè videbit; sed color quidem movet perspicuum, ut aerem; ab hoc autem, cùm sit continuus, sensu instrumentum movetur. Et post pauca: Quare necesse est, aliquid esse medium inter colorem ipsum, & visum.

Deinde text. 75. idem prosequitur his verbis: Eadem est, & de sono, & de odore, etiam ratio; tactus enim ipsorum sensus instrumentum tangens, facit sensum; sed ab odore quidem & sono movetur secundum, ab hoc autem utrumque sensorium instrumentum, quòd si quispiam super ipsum instrumentum sensus, vel id, quod sonat, vel id, quod olet, posuerit, nullus profectò sensus efficietur: similis modo res se se habet in tactu, & etiam gustu. Similia habet verba cap. 11. text. 116. & alibi sæpè. Itemque docet D. Thomas iisdem in locis. Ex hac doctrina deductum est commune illud axioma: *Sensibile supra sensum positum, non facit sensationem.*

Prob. etiam ratione: ut objectum sensibile à sensu externo percipiatur, necesse est, quòd aliquod medium inter sensum & sensibile objectum intercedat: ergo objectum sensibile conjunctum immediatè sensui externo, & ipsi contiguum, ab ipso sentiri non potest. Conseq. patet. Prob. ant. videmus, inter quemlibet sensum externum, & ejus sensibile objectum, esse à natura positum aliquod medium; sic inter vīsum, auditum, & olfactum, ac sensibilia eorum objecta, medium, vel aer, vel aqua, vel aliquid aliud: inter tactum verò ac gustum, & objecta sensibilia, immediatè cutis, aut caro, quatenus tactus & gustus subjectantur in nervo sub cute aut carne posito: ergo cùm natura non agat frustrà, sed quæ agit, necessaria sint; est necesse, quòd aliquod medium

gitis a ligno accenso recedit, eo subtilior fit, minùsque concreta, crassa, & materialis, & ita fit quodammodò perfectior; non tamen in comburendo efficacior, quia flamma acquirit majorem illam perfectionem cum sui extenuatione: sic etiam, quamvis quò species objectorum sensibilium longius decurrunt medium, eò subtiliores, minùsque concretæ, ac crassæ, & materiales fiant, & ita evadant quodammodò perfectiores; non tamen in repræsentando efficaciores, quoniam acquirunt majorem hanc perfectionem cum sui attenuatione.

Objic. 2. Sepè parva est distantia inter objectum sensibile, & sensum; ut patet in tactu & gustu: ergo tunc species objecti sensibilis sufficientem non habebit subtilitatem, ut possit in sensu recipi.

Respondeo concesso ant. negando conseq. cùm enim nimia concretio, & crassitudo, ac materialitas, quam habet species objecti sensibilis, sit ipsi peregrina, facilè eam deponit; unde non est mirum, si quamvis parva sit distantia inter objectum sensibile, & sensum, species tamen emanans ab illo objecto, & per medium decurrens, statim concretionem, crassitudinem, & materialitatem deponat; & sufficientem acquirat subtilitatem, ut possit in sensu, sive in potentia sensitiva, recipi. Idque specialiter verum est in speciebus sensibilibus tactus & gustus; cùm etenim in medio, quod inter tactum & gustum, atque objecta eorum sensibilia, intercedit, (nimirum in cute aut carne) vigeat calor naturalis, facilè & brevì iste calor crassitudinem specierum sensibilium consumit.

Objic. 3. Species sensibilis statim ac prosilit ab objecto sensibili, est intentionalis, sive habet verè naturam speciei intentionalis: ergo statim potest ad sensationem eliciendam concurrere; ne-

que

statim ac prosilit ab objecto
tionalis, sive habet verè naturam speciei
nalis; cum nimia concretione & crassitudine,
que materialitate ex parte suæ entitatis, quæ im-
pedit, ne possit statim in potentia sensitiva
pii, concedo: species sensibilis statim ac prosilit ab
objecto sensibili, est intentionalis, &c. cum suffi-
cienti subtilitate & immaterialitate, ut statim re-
cipi possit in sensitiva potentia, nego.

Objic. 4. ex Aristotele in lib. de sensu & sensibili cap. 2. si in tenebris comprimatur oculus digito, fulgor quidam apparet interiùs, imò quædam ipsius oculi figura videtur; sicut quilibet experiri potest: ergo cùm fulgor ille, & oculi figura, in ipso sint oculo, in quo fit sensatio, seu visio; nequit non potest, quin sensibile conjunctum sensui sentiatur.

Respondeo ex *D. Thoma ibidem lect. 3. quòd fulgor ille, qui cernitur in tenebris, oculo com-*pressio, provenit à spiritibus animalibus, qui foras erumpunt, per illam oculi compressionem; cùm enim spiritus illi sint substantia quædam splendida, aliquem fulgorem emittunt, dum foras erumpunt. Cæterùm fulgor ille non percipitur ab illa oculi parte, quam veluti tangit immediatè, sed à parte sequenti; sicque adhuc verum est, sensum non sentire sensibilia immediatè conjuncta. Quantùm verò ad figuram oculi, *quæ* tunc videtur; respondeo, figuram oculi tunc nihil aliud esse, præter spiritus ipsos animales ex oculo erumpentes, & figuram oculi exhibentes.

Objic. 5. Aristoteles loco citato docet, lumen non posse videri, nisi continuetur usque ad interiores oculi partes, proindèque nisi ipsis immediatè conjungatur: idque ibi etiam asserit D. Thomas lect. 5. ergo visus po-

test

teſt videre lumen ſibi immediatè conjunctum.

Reſpondeo negando conſeq. neque enim viſus videt lumen, prout eſt in partibus interioribus oculi, quas lumen immediatè tangit, ſive quibus lumen immediatè continuatur, atque conjungitur; ſed in aliis oculi partibus ſequentibus, cum quibus lumen non continuatur, niſi in *eſſe* intentionali, mediantibus ſpeciebus intentionalibus in eas immiſſis.

Objic. 6. Aqua ſine alio medio videtur ab his, qui in eam immerguntur; item vitrum coloratum oculis admotum, non tantùm alia videri permittit, ſed etiam ipſummet videtur: ergo objectum viſibile immediatè conjunctum viſui poteſt ab ipſo videri.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. in primis enim aqua & vitrum coloratum non tangunt immediatè partes interiores oculorum, in quibus velut in ſubjecto exiſtit viſus; ſed tangunt duntaxat externas illorum partes. Deinde dici poteſt, viſum non videre, ſeu non ſentire aquam vel vitrum coloratum in illis oculorum partibus, quibus aqua vel vitrum coloratum immediatè conjungitur, ſed in aliis remotioribus; ideòque inter viſum & aquam vel vitrum coloratum, ſemper eſt aliquod medium ſaltem internum.

Objic. 7. dum ſonus ingens prope aures excitatur, & magna fit aeris commotio; ſine dubio, ſonus ſecundùm *eſſe* naturale & entitativum ſubintrat interiores auris partes, in quibus ſubjectatur auditus. Præterea, quando comprimitur digito foramen auris, experientia conſtat, ſonum intra aurem ipſam percipi: ergo tunc auditus percipit ſonum ſibi immediatè conjunctum.

Reſpondeo negando conſeq. licèt enim nonnunquam ſonus ſecundùm ſuum *eſſe* naturale & entitativum ſubintret interiores quaſdam auris partes, in quibus ſubjectatur auditus; attamen ipſe auditus non percipit ſonum, prout eſt in illis interio-

cerioribus auris partibus, quibus sonus secundùm
suum esse naturale & entitativum immediatè con-
jungitur, sed in aliis remotioribus auris partibus:
vel etiam potest dici, auditum non percipere so-
num secundùm eam partem, quæ immediatè tan-
git ipsius auditus subjectum, sed secundùm alias
partes remotiores.

Objic. 8. ex Aristotele in lib. de sensu & sensi-
bili cap. 5. exhalationes odoræ secundùm suum
esse naturale & entitativum sæpè subintrant cere-
brum, quod est subjectum odoratus: *ergo* tunc
odoratus sentit exhalationes odoras sibi conjun-
ctas secundùm suum *esse* naturale & entitativum
immediatè.

Respondeo negando pariter conseq. tametsi
enim exhalationes odoræ secundùm suum *esse* na-
turale & entitativum, interdum subintrent cere-
brum; odoratus tamen non percipit odoras exha-
lationes illas in iis cerebri partibus, quibus ejus-
modi exhalationes secundùm *esse* naturale & en-
titativum immediatè conjunguntur, sed in aliis
cerebri partibus remotioribus. Vel etiam dicen-
dum est, exhalationes illas non percipi ab odo-
ratu secundùm eas partes, quæ immediatè tan-
gunt odoratus subjectum, sed secundùm alias par-
tes remotiores.

Objic. 9. qui habent linguam affectam humore
bilioso, dum alios cibos, etiam dulciores, man-
ducant, amaros sentiunt; quia gustus amarorem
bilis sibi immediatè conjunctum percipit, & ob
illum, sapores ciborum non dignoscit: ergo gu-
stus potest percipere objectum sensibile sibi im-
mediatè conjunctum.

Respondeo negando conseq. in primis enim po-
test dici, inter amarorem, quo lingua afficitur,
& subjectum gustus, mediare aliquam carnis
portionem. Deinde iterùm dici potest, gustum
non percipere humorem bilioſum & amarum in
illis partibus linguæ, quibus ejusmodi humor im-
mediatè conjungitur, sed in aliis partibus remo-

tio-

motiores.

Objic. 10. eadem pars carnis, quæ pungitur, sentit; & dum igne admoto aduritur, dissolutio temperamenti percipitur à sensu tactus, qui in eadem parte residet: ergo sensus tactus potest percipere objectum sensibile sibi immediatè conjunctum.

Respondeo negando conseq. dum enim aliqua pars carnis pungitur, vel igne admoto aduritur, sensus tactus non sentit, vel dolorem, vel temperamenti dissolutionem, in ea illius partis portione, cui, vel objectum pungens, vel ignis dissolvens, immediatè conjungitur; sed in portione sequenti. Nec ullum absurdum est, quòd sensus tactus existens in una portione, sentiat majorem dolorem, qui est in altera partis portione vicina; nec ibi ulla contingit falsitas in sensu tactus, quoniam ipse sensus tactus percipit rem sicuti est, quia nempè percipit majorem dolorem, qui in vicina portione revera major est.

§. IV.

Quomodo vehemens sensibile lædat sensum?

SEnsus externos lædi sæpè & labefactari ob excellentia & vehementia sensibilia, in quæ incuriunt, experientia patet. Tactus namque nimio calore & frigore offenditur, gustus cibis acerbis, odoratus fœtidis odoribus, auditus vehementiori sono, & visus nimio lucis splendore, atque etiam excellenti & valdè intensa albedine. Hinc frequens probat experientia, eos, qui vel bombardis, vel fornacibus præsunt, persæpè obsurdescere, ob vehementiores nimirum sonos. Ob similem rationem obsur-

obſurdeſcunt ii, qui ad cataduþa Nili habitant,
bi fluvius iſte vehementiſſimo fragore præcipi-
t. Qui etiam Solem meridianum fixis intuentur
lis, vel qui illum in ipſius Eclipſi, curioſiùs
oroſiùs aſpiciunt, non ratò cœcantur, nem-
vehementiſſimum Solis lumen. Obcœcan-
pè & illi, qui è tenebris ad nimium ſplen-
, vel nimiam albedinem, fixos ſubitò in-
t oculos. Qua ratione autem vehemens
lædat ſenſum, nonnihil eſt difficultatis:
explanetur.

um eſt, immutari poſſe ſenſum à vehe-
bili, duobus modis; nempè vel phy-
tionaliter ſolùm. Tunc vehemens
mutat ſenſum phyſicè, quando pro-
ſu, vel in ejus organo, phyſicam
itatem; cujuſmodi ſunt calor, fri-
s; ſiccitas, &c. Tunc autem vehe-
mmutat ſēſum intentionaliter ſo-
nſum immittit duntaxat ſpeciem
Quādo vehemens ſenſibile immu-
modo, operatur ut agens phy-
ſum immutat ſecundo modo,
jectum duntaxat. Quæritur
s duobus modis vehemens
: utrum nempè vehemens
um duntaxat producendo
m phyſicam, contrariam
us; (quod eſt, ſenſibile
ut eſt agens phyſicum)
ſi ſpeciem intentiona-
(quod eſt, vehemens
, etiam ut eſt obje-
.)

nuniter Philoſophi;
D. Thomas in ſup-
art. 2. ubi ſic ait:
ſæ (& ita vehe-

nali, immittendo in animam, vel in potentiam viſivam animæ, ſpeciem intentionalem ſui repræſentativam) *Sed ſecundùm hoc magis delectat offendit autem inquantùm agit actione naturæ*, (id eſt inquantùm agit, ut agens phyſicum, quod agens naturale poteſt appellari) *calefaciendo & diſſolvendo organum viſus, & diſgregando ſpiritus*. Hæc D. Thomas. Quibus nihil clarius dici poteſt.

Nihilominùs vehemens ſenſibile lædere ſenſum, etiam prout vehemens ſenſibile eſt agens intentionale, quatenus imprimit ſenſui ſpeciem intentionalem nimiùm excellentem, & ipſi ſenſui improportionatam, docent Carmelitæ Complutenſes, & quidam alii; idque ſentire videntur Ariſtoteles, & D. Thomas, dum lib. 2. de anim. ca. 12. textu 123. lect. ultima, & lib. 3. de anim. cap. 2. textu 143. lect. 2. docent, vehemens & excellens ſenſibile lædere ſenſum propter improportionem. Et S. Thomas 2. contra gent. ca. 55. dicit, ſenſum lædi duobus modis ab excellenti aut vehementi ſenſibili, nempè læſione propria, & læſione organi: quaſi clariùs diceret, ſenſum lædi ab excellenti vel vehementi ſenſibili per receptionem ſpeciei intentionalis improportionatæ, & per immiſſionem qualitatis contrariæ complexioni organi ſenſus. Hæ duæ ſententiæ, licèt videantur oppoſitæ, conciliari tamen poſſunt. Unde

Dicendum eſt 1. ſenſum lædi utplurimùm à vehementi ſenſibili, tamquam ab agente phyſico, adeò ut vehemens ſenſibile immittat in organum ſenſus qualitatem aliquam phyſicam complexioni organi ſenſus contrariam. Hoc patet in exemplis ſuprà allatis. Etenim quando tactus nimio colore vel frigore offenditur, guſtus cibis acerbis, odoratus fœtidis odoribus, auditus vehementiori ſono, & viſus nimio lucis ſplendore; hæc omnia fieri nequaquam poſſunt, niſi organa illorum ſenſum recipiant ab ejuſmodi vehe-

vehementibus sensibilibus aliquas qualitates physicas connaturalibus complexionibus suis contrarias; ut consideranti patebit. Dixi, *ut plurimùm*; quoniam dum visus, verbi gratia læditur ab ingenti albedine nivis, media hyeme, quando omnia frigore rigent; non recipit ab illa albedine nimium calorem complexioni sui organi contrarium, nec ullam aliam qualitatem physicam contrariam; quænam enim esset?

Dicendum est 2. sensum lædi à vehementi sensibili etiam tanquam ab objecto immittente in sensum speciem intentionalem ipsi sensui improportionatam. Hæc conclusio colligitur in primis ex præcedenti; nam interdum sensus læditur à vehementi sensibili, à quo nullam recipit physicam qualitatem complexioni organi sui contrariam; ut suprà dicebamus: ergo tunc sensus non læditur à vehementi sensibili tanquam ab agente physico, sed solùm tanquam ab objecto immittente in sensum speciem intentionalem ipsi sensui improportionatam. Deinde per improportionatam speciem intentionalem ab objecto sensibili vehementi provenientem, adigitur sensus ad vehementem sensationem, magnumque ac nimium conatum, ob quem magna spirituum animalium copia ad organum sensus confluit; qui spiritus, cùm valdè calidi sint, ipsum sensus organum ultra debitam complexionem calefaciunt, atque ita lædunt.

Quamvis autem sensus lædatur à vehementi sensibili, non solùm ut ab agente physico, verùm etiam ut ab objecto, non tamen eodem modo; etenim vehemens sensibile, ut est agens physicum, imprimit sensui qualitatem physicam, quæ cùm sit contraria naturali complexioni organi sensus, eam per se, seu ratione sui, immediatè ac directè lædit: at vehemens sensibile, ut est objectum, immittit in sensum duntaxat speciem intentionalem, quæ per se, seu

quantùm eſt de ſe, & ex ſua natura, immediatè ac directè eſt perfectiva atque completiva ſenſus, itaut ex ſua natura ordinetur ad perficiendum atque complendum ſenſum in ordine ad ſentiendum & cognoſcendum objectum ſenſibile; & quidem excellenter; ſicut & ipſa ſpecies objecti ſenſibilis vehementis ac excellentis excellens eſt: ſpecies tamen illa per accidens, mediatè, & indirectè lædit organum ſenſus; quatenus ejuſmodi ſpecies, ob imbecillitatem ſenſus, eſt ipſi improportionata, adeò ut ſenſus nequeat uti ſpecie illa, niſi adhibeat magnum ac nimium conatum, ob quem magna ſpirituum animalium copia ad organum ſenſus confluit; qui ſpiritus, utpotè calidiſſimi, organum ſenſus, ultra debitam ejus complexionem, caleſaciunt, & ita lædunt; ut ſuprà dicebamus.

Hinc conciliari poſſunt defenſores duplicis ſententiæ allatæ. Dum enim primæ ſententiæ defenſores aſſerunt, vehemens *ſenſibile* lædere ſenſum, prout eſt agens phyſicum duntaxat; hoc intelligendum venit de læſione ſenſus, vel ejus organi, quæ fiat per ſe, immediatè, & directè. Cùm verò ſecundæ ſententiæ propugnatores aſſeverant, vehemens *ſenſibile* lædere ſenſum, etiam ut eſt objectum, & agens intentionale; id intelligendum eſt de læſione ſenſus, aut organi ejus, quæ fiat per accidens, mediatè, & indirectè.

§. V.

§. V.

Verùm & quomodò sensus erret circa objectum suum?

TRiplex potissimùm circa hanc difficultatem fuit Philosophorum sententia. Prima fuit quorundam Academicorum asserentium, sensus semper errare, ita ut nulla fides eis esset adhibenda. Aristoteles 8. Physic. cap. 3. textu 22. hebetes vocat hujus sententiæ defensores. Et verò quis hebetem non dixerit, qui se hebetiorem belluis facit? belluæ namque absque errore, ipsis etiam sensibus externis, utilia sibi discernunt, atque noxia: sic canis leporem olfactu, & herum visu, verè apprehendit: sic matrem balatu verè cognoscit agnus, & verè à matre cognoscitur. Sanè; tactum verè sentire, *ignem esse calidum*; visum verè *percipere*, *Solem esse lucidum*, & alia similia, *sine errore ullo nos sensibus externis experiri*, quis nisi *hebes negabit*?

Secunda sententia præcedenti omninò contraria, fuit Epicureorum docentium, sensus nunquam decipi. Hæc tamen sententia quotidianæ experientiæ repugnat. Etenim, prout quotidiana probat experientia, visus, apparente nocte, colorem rubrum apprehendit ut nigrum, & sæpè apparentem videt ut verum; item quadrata eminùs visa, ut rotunda percipit; aspiciendo quoque per vitrum rubeum, omnia retrò posita eodem imbuta colore judicat: gustus pariter ægroti, cujus lingua bili inficitur, mel sentit amarum: in his autem & similibus sensus errare, quis non videt? Pro tertia sententia, quæ apud Peripateticos communis est.

Dico 1. sensus non errat per se circa proprium *sensibile*, id est, quando adsunt omnia requisita, tum ex parte sensus, tum ex parte proprii *sensibilis*, ut ipse sensus attingat proprium *sensibile*,

parte or-
attingit proprium *sensi-*
gravantur, omnia, etiam propria sensi-
lus, apparent cruenta; (licèt reipsa non
sint cruenta) ob pravam scilicet oculorum, seu
organorum visus, dispositionem & impedimen-
tum. Hinc etiam, ratione medii impediti, aut
malè dispositi, Sol in oriente apparet rubeus,
(quamvis revera rubeus non sit) ob vapores in-
terjectos: item ea, quæ per vitrum rubrum aspi-
ciuntur, quamvis reipsa alba sint, apparent ru-
bra, ob medii, nempè vitri, dispositionem. Hinc
etiam ex impedimento vel defectu debitæ distan-
tiæ, fusca, vel alba, sæpè apparent nigra.

Dico 3. persæpè errat seu fallitur sensus circa
sensibile commune. Hæc conclusio probari po-
test variis exemplis. Nam in primis, turris qua-
dratam habens figuram, si eminùs aspiciatur,
sæpè à visu rotunda judicatur; sicque visus tunc
errat vel fallitur circa figuram, quæ est quoddam
sensibile commune. Item Sol bipalmaris videtur,
licèt tota terra sit major; proindèque visus etiam
tunc errat circa magnitudinem Solis, quæ pari-
ter est aliquod *sensibile* commune. Nonnunquam
etiam visus hominis existentis in navi, judicat ea
in littore moveri, quæ tamen quiescunt; sicque
tunc errat visus circa motum, qui est quoddam
sensibile commune.

Dico

No
posse d
judicii,
aliquod p
tionem ab
hoc modo su
test. Alio m
nempè impro
apprehensione a
qua apprehensio
labendi in errorem
falsitas aut error, s
nunquam in sensu, n
Dices: si sensus
ret in scientiis certitu
minibus à ministerio se
pondeo negando sequela
tingat aliquando, sensus
tamen ut plurimùm, im
bilia vix unquam decipiun
dum fallantur, facilè pos
corrigi.

...ium sensibilia per accidens, se-
...um non videantur, nisi per aliud, v-
...colorem, cui conjunguntur.
...dum autem est, fallitatem vel errore
...citer sumi. Primò propriè, pro act-
...falsò per affirmationem componitur
...dicatum cum subjecto, aut per nega-
...removetur; & si fallitas, vel error,
...tur, in solo intellectu reperiri po-
...o accipi potest fallitas aut error,
...è, pro simplici cognitione vel
...ujus rei alicujus: ac est in se, ex
...intellectus sumit occasionem
...anfamque æstimationem; &
...ta' sumatur, reperitur non-
...odo explicato.
...ment errare, nulla so-
...; cùm scientia in ho-
...sinum pendeant.
...; licèt enim con-
...rmare; non errant
...circa propria sensi-
...; quòd G inter-
...t ab intellectu

Articulus Quartus.

De ſenſibus externis in particulari.

QUinque eſſe ſenſus externos, & non plures, nec pauciores, nempè viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum, docent communiter Philoſophi, cum Ariſtotele lib. 3. de anim. cap. 1. & alibi. De illis ſingulatim eſt diſſerendum; & primò quidem de viſu, qui omnibus præſtat, eo quòd ejus objectum eſt nobiliſſimum; eſt enim coloratum lucidum, lux autem eſt perfectiſſima inter omnes ſenſibiles qualitates.

§. I.

De organo viſus.

VIſus eſt animæ ſenſitivæ potentia, nata percipere colorem & lucem, ſive coloratum lucidum. Ut autem ejus naturam perſpectam habeamus, plura ſunt explananda. Et primò quidem occurrit explanandum illius ſubjectum, ſeu *ſenſorium*, aut organum, quod *oculus* appellatur. In oculo autem tria ſunt ſpectanda; videlicet ſedes, ſive locus, quem in corpore præſertim humano poſſidet; ipſius figura; & interna ſtructura ſeu conſtructio.

Oculorum ſedem eleganter deſcribit D. Ambroſius lib. 6. Hexam. cap. 9. hoc ferè modo. Cùm humani corporis fabrica ſit inſtar mundi, ejuſque membra ad ſimilitudinem partium univerſi collocata ſint, & univerſi partes eò perfectiores exiſtant, quò altiori in loco conſiſtunt; fit, ut ſicut cœlum elementis, ita caput cæteris partibus corporis antecellat; quippè quod arcis inſtar in ſummo civitatis, id eſt, in ipſo humani corporis faſtigio, ſitum ſit, In quo opulentiſſimus hominis theſaurus, nempè cerebrum, quaſi in mu-

municissimo castro custoditur ; quodque cætera & inferiora membra servili gestatione , tanquam numen , in sublimi locatum vehunt ; hinc censoria potestate dirigit cæterorum membrorum obsequia, & præcepta singulis obeunda decernit.

In illa igitur arce, id est, in summa propemodùm capitis parte, oculos natura constituit, ut tanquam de scena quadam superiore , universa prospectent; decet enim speculam in alto esse, ut advenientium catervarum hostilium explorari possit adventus, ne improvisò occupent otiantem, vel urbis populum, aut imperatoris exercitum. Carcer est totum corpus, tenebroso inhorrens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo Sol & Luna in cœlo, hoc sunt oculi in homine: Sol & Luna duo mundi lumina, duo oculi velut duo in vultu sidera fulgent, & inferiora membra claro illustrant lumine, nec patiuntur, hominem aliquibus veluti noctis tenebris implicari . Propter hæc mirificè natura providit, ut hi duo speculatores, velut quibusdam montium superciliis adhærerent, ut & protegente montium cacumine, tutiores, & de summo injurias ac adversa eminùs salutantes, Imperatoris, (hoc est, capitis) saluti, totiusque microcosmi, seu parvi mundi , hominis nempè, familiæ & reipublicæ consulerent.

Ne tamen oculi, dum aliis provident, noxiis incursibus pateant, inclusit illos natura concavis osseisque foraminibus, & palpebris quasi vallo munivit, quæ duobus musculis claudi possunt, & tertio aperiri , magna celeritate; ut ea , quæ foris ingruunt, incommoda propulsent, & rerum species aut imagines intùs admittant ; hinc ciliis & pilis quibusdam in externo adnascentibus adornantur , ne pulvis incidat, neve animacula quædam volitantia intromittantur ; sed veluti aranearum telis muscæ irretita animacula illa, pœnæ timore, ampliùs non redeant,

ſeque ex eis quàm primùm extricare conentur. Sunt & ſupercilia, majeſtatis indices, ſuperbiæ ſedes, & faſtus; brevibus pilis conſpicua, & in modum fornicis arcuata, quæ oculis munimenta prætendunt, & prætexunt gratiam; ut & diligentia protectionis aſſiſtat, & venuſtas decoris arrideat. Si quid autem de capite ſordidum decidat, aut arenæ pulvis, aut ros nebulæ, vel humeſcentis verticis ſudor; excipitur ſuperciliis, ne teneros ac molles perturbet oculos.

Deinde ad eorundem oculorum figuram deſcendamus. Hæc igitur globoſa eſt & rotunda; nobiliſſimæ ſiquidem potentiæ perfectiſſima figura debebatur; congruebat etiam, ut duo parvi mundi lumina, duobus magni mundi luminibus, Soli nempè & Lunæ, forent ſimilia; ut promptiſſima agilitate huc illucque circumferri poſſent, atque cœleſtes imitari converſiones.

Interna autem ſtructura & conſtructio ſeu compoſitio oculorum hunc in modum ſe habet. Conſtant oculi ſinguli quinque tunicis, tribus humoribus, muſculis ſeptem, & quilibet nervo uno. Muſculi ſunt oculi motores; ideoque unus ſurſum, & alter deorſum movet; tertius dextrorſum, quartus ſiniſtrorſum trahit; duo ſequentes oculum ſuſtinent; nervi verò duo è cerebro proficiſcentes, alter à dextra parte, alter à ſiniſtra, ad ſuum quiſque oculum terminatur; ita tamen ut paululùm à cerebro progreſſi, inter ſe coeant aut conjungantur; rurſuſque ab invicem diſſociati oculos ſubintrent, dexter quidem dextrum oculum, & ſiniſter ſiniſtrum: per ejuſmodi verò nervos, oculis communicantur à cerebro ſpiritus animales, ſine quibus viſio fieri nequaquam poſſet; unde dicti ſunt *nervi optici*, ſeu *nervi viſorii*; tranſeunt autem iſti duo nervi à cerebro ad oculum per foramen illud, quod directè eſt oppoſitum centro oculi.

Ex tunicis prima & intima dicitur *ſpecularis*; vel quia idonea eſt ad ſpeculandum aut videndum,

dum, vel quia, ut ſpeculum, nitet; & ob tenuitatem, dicitur etiam *aranea*. Quæ verò illam proximè ſequitur, vocatur *reticularis*, eo quòd retis ſimilitudinem referat, utpotè quæ variis venulis & arteriis mirificè intexta ſit. Tertia tunica dicitur *uvea*, quoniam ſimilis eſt uvæ folliculo, à quo ſublatus eſt pedunculus. Quarta nuncupatur *cornea*, quia tenuem cornu pelliculam, & veluti laminam, refert; eſtque dura, tranſparens, ac ſplendida. Ultima denique, & exterior, appellatur *adnata*, quaſi ad extra, ſive exteriùs nata: dicitur quoque *adhæreſcens*, quoniam ejus beneficio, oculus proximis oſſibus adhæret; à colore etiam appellatur *alba*. Aliqui Recentiores ſextam admittunt tunicam valdè tenuem, reticulari proximam, eamque *vitream* vocant, quia vitri ſimilitudinem refert.

Occurrunt deinde tres oculorum humores, quorum intimus dici ſolet *glacialis*, ſeu *Chryſtallinus*, quia pellucet velut chryſtallus, licèt ſit aliquantulùm mollis; in oculi centro reſidet, atque à tunica ſpeculari undique ambitur; non eſt ſphæricus, ſed compreſſior & planior ex parte poſteriori, vocarique ſolet *pupilla*. Secundus humor dicitur *vitreus*, quia vitro fuſo perſimilis eſt, in colore & conſiſtentia; & quia etiam ovi album refert, appellatur quoque *albugineus*: ab iſto humore ambitur chryſtallinus, poſteriori parte, & ſecundùm unam ferè medietatem ei immergitur; ſecundùm verò aliam medietatem illi ſupernatat & eminet; vitreum autem humorem à poſteriori parte ambit tunica reticularis. Tertius humor vocatur *aqueus*, ob aquæ ſimilitudinem; ab eo ambitur, à parte anteriori, humor cryſtallinus, eique immergitur media ferè ſui parte.

Illos itaque tres humores, nec non tunicam reticularem, ambit tunica uvea, cujus fit proceſſus quidam ad latera humoris chryſtallini, quo velut interſtitio dirimitur, & ſecernitur humor a-

queus à vitreo; in hujus tunicæ anteriori parte eſt foramen quoddam rotundum, per quod cernitur humor cryſtallinus, ſive pupilla. Quia verò iſta tunica varios in variis oculis habet colores, ipſi oculi ab ea denominantur nigri, cœſii, glauci, caprini, flavidi, rufi, &c. Hanc tunicam ſequitur cornea, quæ diaphana cùm ſit & translucida, totum ambit oculum. Poſtrema verò, videlicet adnata, craſſa ſatis & pinguis ſubſtantiæ eſt, totumque etiam oculum ambit, relicto tamen foramine rotundo circa pupillam, quam in modum iridis circumvolavit, & per illud foramen cernitur pupilla, & uveæ tunicæ pars diverſi coloris. *Uvea* porrò, & *cornea*, ortum habent à duabus membranis circa cerebrum exiſtentibus (quibus nervi viſorii veſtiuntur; (ab interna quidem ac tenui *uvea* ortum ducit, ab externa autem & dura *cornea* oritur.

§. II.

In qua oculi parte potentia viſiva ſubjectetur?

CIrca hanc difficultatem duæ ſunt præcipuæ Philoſophorum ſententiæ. Prima docet, potentiam viſivam proximè ſubjectari in ſolo humore cryſtallino, ſive in pupilla ſola: hanc ſententiam tuentur Galenus, & alii plures Medici; & ex Philoſophis illam docent Conimbricenſes, Suarez, & alii plures Recentiores.

Secunda ſententia aſſerit, potentiam viſivam ſubjectari, tum in humore chryſtallino, ſeu pupilla tum etiam in nervis opticis ſeu viſoriis, & præſertim in illa parte, in qua iſti nervi conjunguuntur: hanc ſententiam defendunt Thomiſtæ, ut Bannes, Complutenſes, Mailhat, & alii; licèt Joannes à S. Thoma, cum quibuſdam aliis, aſſeveret, potentiam viſivam ſubjectari in ſola nervorum opticorum conjunctione.

Et quidem potentiam viſivam ſubjectari in ner-

vis

vis opticis aut visoriis, & præsertim in illa parte, in qua nervi illi conjunguntur; colligitur ex Aristotele, & ex D. Thoma. Etenim Aristoteles in libro de sensu & sensibili cap. 2. sic ait: *Non enim anima ipsa, aut animæ sensitivum, est in oculi extremo; sed ut patet, interiùs.* Quæ verba exponens D. Thomas lect. 5. ibidem sic loquitur: *Anima, sive sensitivum animæ, non est in exteriori superficie oculi, sed intrà.* Et paulò post, iterum ait: *Sed sensitivum animæ dicitur potentia sensitiva, quæ quia est principium sensibilis operationis animæ, quæ per corpus exercetur, oportet esse in aliqua determinata parte corporis: & sic principium visionis* (seu potentia visiva) *est interiùs, juxta cerebrum, ubi conjunguntur duo nervi ex oculis procedentes:* & opusc. 43. cap. 3. hæc habet: *Patet, quòd organum proximum & extrinsecum visus, sunt oculi,* (sive oculorum pupillæ.) *Primum autem & intrinsecum, sunt nervi visuales* (videlicet, ubi conjunguntur.) Ex qua doctrina infertur, pupillas oculorum seorsim sumptas non esse organum, seu subjectum visus, vel potentiæ visivæ; sed organum vel subjectum illud esse, vel nervos opticos aut visuales juxta cerebrum conjunctos, aut oculorum pupillas, prout illæ pupillæ per nervos illos conjunguntur.

Quod disertè docet D. Thomas lib. de sensu & sensibili cap. ultimo; nam exponens hæc verba, quæ ibi habet Aristoteles: *At si quis dicat, nihil prohibere, quin ut oculi duo sunt, ita & in anima res habeat; dicendum, quòd fortè ex illis quidem unum quid fit, & actus eorum unus est:* explicans, inquam, illa verba lect. ultima, sic loquitur: *Quòd si aliquis dicat, quòd sicut sunt duo organa visus, scilicet duo oculi; sic nihil prohibet, in anima sensitiva, etiam esse duos visus: dicendum est, hoc esse falsum; quia ex duobus oculis fit aliquid unum, & una est operatio amborum oculorum, inquantum scilicet visio utriusque*

oculi cõcurrit per quoſdam nervos ad aliquod intrinſecum, in ſuum organum, quod eſt circa cerebrum, &c. quibus verbis docet apertè D. Thomas, ex mente Ariſtotelis, oculos, vel oculorum pupillas, fieri unum organum aut ſubjectum totale & adæquatum viſus vel potentiæ viſivæ, quatenùs per nervos opticos aut viſuales circa cerebrum concurrunt ſive conjunguntur.

Prob. etiam ratione, ſimul & explicatur. Et in primis, potentiam viſivam ſubjectari in pupilla, ſive in humore chryſtallino, ſic declaratur. Etenim potentiam viſivam eſſe in oculis collocandam, videtur certum; eò namque mirabilis illorum ſtructura tendit, ut in ſe recipiant & conſervent illam; eo ſimili modo, quo tota annuli ſtructura ad recipiendam in ſe gemmam aliquam ſolet ordinari: ideòque ſicut in omnium pretioſiori parte, quæ & veluti annuli centrum, cuique aliæ partes veluti deſerviunt, lapis ille pretioſus proximè, juxta regulas artis, recipiendus eſt; ſic inter cæteras oculi partes, illa proximè in ſe pretioſam potentiæ viſivæ gemmam debet recipere, quæ alias partes nobilitate vincit, quæ eſt totius ſtructuræ oculi veluti centrum, cuique reliquæ partes oculi deſerviunt: atqui ejuſmodi eſt pupilla, ut conſideranti patebit: ergo &c.

Hinc pupilla reſidet in ipſo oculi centro, & in medio omnium aliarum partium, ut omnibus illis ſepta & munita ſit; & idcircò omnes aliæ partes ad eam tuendam, ornandam, atque conſervandam à natura ordinantur. Et præterea pupilla eſt diaphana, omnique colore deſtituta, ſicque apta ad recipiendas omnium colorum ſpecies, (ſi enim aliquem in ſe colorem actu haberet, non poſſet aliorum colorum ſpecies in ſe recipere; quoniam ex communi axiomate, *intùs exiſtens prohibet extraneum*) quibus vitio fiat; proindèque eſt aptiſſimum potentiæ viſivæ ſubjectum.

Quòd autem potentia viſiva non ſubjectetur

in

in duabus oculorum pupillis disjunctis; sed potiùs in ipsis, ut conjunctis per opticos nervos, sic prob. in uno animali est una numero duntaxat potentia visiva: atqui si potentia visiva subjectaretur in duabus oculorum pupillis disjunctis, non esset in uno animali una numero duntaxat potentia visiva, sed duplex: ergo &c. Min. in primis patet; duæ enim oculorum pupillæ, ut disjunctæ, aut separatæ, essent duo subjecta ut disjuncta, vel separata; unde quia accidentia, in duobus subjectis ut disjunctis aut separatis, existentia, sunt numero distincta, (ut evidens est) potentiæ visivæ existentes in duabus oculorum pupillis, ut disjunctis vel separatis, deberent in uno animali numero distingui. Prob. autem maj. etenim ad attingenda plura per modum unius, non requiruntur plures potentiæ numero distinctæ, sed una numero sufficit potentia; ut ex ipsis terminis patet: licèt autem unum animal plura videat, v. gr. parietem, arborem, paleam, &c. hæc tamen omnia videt sub una ratione formali *colorati*, sive *visibilis*; & sic videt illa plura per modum unius.

Objic. 1. Aristoteles variis in locis loquens de subjecto potentiæ visivæ, solam assignat pupillam, sive solum humorem chrystallinum. Respondeo distinguendo; concedo namque, solum humorem chrystallinum esse subjectum potentiæ visivæ, per exclusionem aliorum humorum oculi, quia revera alii humores oculi nequaquam pertinent ad subjectum visivæ potentiæ: at nego, solum humorem chrystallinum esse subjectum potentiæ visivæ, per nervorum opticorum exclusionem; neque hoc vult Arist. loc. cit.

Objic. 2. Aristoteles in libro de sensu & sensibili cap. 2. docet, subjectum potentiæ visivæ debere esse naturæ aqueæ: atqui nervi optici non sunt naturæ aqueæ; quandoquidem ex communi medicorum opinione, nervi sunt naturæ terrestris, & in eis, non aqua, sed terra, prædominatur: ergo &c.

&c. Reſpondeo conceſſa maj. negando min. licèt enim nervi communiter ſint naturæ terreſtris; non tamen nervi optici, præſertim ubi inter ſe conjunguuntur; quia ſunt prope cerebrum, quod eis propriam complexionem aqueam communicat.

Inſtabis: nervi ſunt materiæ compactæ, denſæ, & opacæ; non verò diaphanæ & tranſparentis: ac proinde non ſunt apti ad recipiendum lumen, vel ad recipiendas objectorum ſpecies intentionales, nec conſequenter ad éliciendam viſionem: ergo nequeunt dici potentiæ viſivæ ſubjectum, quod debet eſſe materiæ diaphanæ & tranſparentis, & aptum ad recipiendum lumen, atque ad recipiendas objectorum ſpecies intentionales, nec non ad eliciendam illis ſpeciebus mediantibus, viſionem.

Reſpondeo diſtinguendo ant. nervi, communiter loquendo, ſunt materiæ compactæ, &c. concedo: nervi optici ſunt materiæ compactæ, &c. nego; cùm enim nervi iſti, præcipuè ubi propè cerebrum conjunguntur, ſint complexionis aqueæ, (ut modò dicebamus) ſunt ſufficienter materiæ diaphanæ & tranſparentis, ut poſſint recipere lumen, & intentionales, vel viſibiles objectorum ſpecies, ipſamque viſionem elicere.

Inſtabis iterum: in ſpeculo artificiali reflectitur lumen, & refranguntur ſpecies viſibiles; (ut experientia conſtat) unde in ſpeculo artificiali lumen & ſpecies viſibiles ultrà non tranſeunt: ergo ſimiliter in ſpeculo naturali, id eſt, in pupilla vel humore chryſtallino, lumen reflectitur, atque viſibiles ſpecies refranguntur, & ultrà ad nervos opticos non tranſeunt; & ita nervi iſti non ſunt ſubjectum potentiæ viſivæ, in quo fiat viſio; quandoquidem viſio fieri nequit ſine lumine, & abſque ſpeciebus viſibilibus.

Reſpondeo ex D. Thoma, in libro de ſenſu & ſenſibili lect. 4. negando paritatem; licèt enim pu-

pupilla, vel humor [illegible] do aliquam ſpiſſitu[illegible] ibi aliquo modo reſ[illegible] cies refrangi; non eſt [illegible] ut impediat tranſitum [illegible] bilium ad opticos ner[illegible] li, propter plumbum, quod [illegible] ſpeculi artificialis ponitur, quodque eſt valdè ſpiſſum, compactum, denſum, & opacum, impeditur omninò luminis & ſpecierum viſibilium ulterior tranſitus.

Inſtabis rurſùs: ſi lumen & ſpecies viſibiles per pupillam tranſirent, ut ad nervos opticos pervenirent, pupilla non haberet rationem organi viſus, ſed duntaxat rationem medii lumen & ſpecies viſibiles ad opticos nervos deferentis.

Reſpondeo, quòd ſicut non repugnat, eandem corporis partem eſſe, & organum tactus, (in quo nempè tactus ſubjectatur) & medium aliquod, per quod ſpecies tangibiles ad ulteriores corporis partes deducuntur, (quæ pertinent ad adæquatum tactus organum:) ſic etiam minimè repugnat, pupillam ſimul eſſe, & organum viſus, (in quo nimirum viſus ſubjectetur) & medium, per quod lumen & ſpecies viſibiles ad opticos nervos deferantur.

Objic. 3. ſi potentia viſiva ſubjectaretur, non modò in pupilla, ſed etiam in nervis opticis, tali ordine, ut ſpecies viſibiles deferrentur à pupilla ad illos nervos; deberent hæ ſpecies tranſire per tunicam uveam, quoniam iſta tunica cingit pupillam, adeò ut ſolùm relinquat foramen quoddam in parte anteriori, quam nos conſpicimus: atqui ſpecies viſibiles tranſire nequeunt per tunicam uveam; alioquin cùm iſta tunica ſit colorata, (ut patet ex dictis in §. præcedenti) omnia viderentur ſub colore hujuſmodi tunicæ: ſicut cùm aliquis recipit ſpecies viſibiles tranſeuntes per vitrum rubrum, videt omnia quaſi rubro colore imbuta: ergo &c.

Re-

Reſpondeo, negando, ſpecies viſibiles, quæ à pupilla ad nervos opticos deferuntur, debere tranſire per tunicam uveam; nervi etenim optici ſunt quaſi fiſtulæ quædam concavæ, quæ ſecundùm concavitatem ſuam immediatè ad pupillas oculorum pertingunt; ideoque ſpecies viſibiles ad ipſas oculorum pupillas immiſſæ tranſeunt ad nervos opticos per ejuſmodi nervorum concavitatem, non autem per tunicam uveam.

Dices: pupilla oculi nobis apparet nigra, dum illam conſpicimus: ergo non eſt potentiæ viſivæ ſubjectum, quod debet omni colore carere, ut poſſit omnium colorum ſpecies viſibiles in ſe recipere.

Reſp. negando conſeq. quamvis etenim pupilla, ipſam conſpicientibus, appareat nigra; re tamen vera, non eſt nigra, ſed potiùs omni caret nigredine.

Ratio autem, ob quam pupilla apparet nigra, eſt copia humoris intra ipſam exiſtentis; propter quam humoris copiam, nequit viſione conſpicientis penetrari pupilla; ſicque apparet nigra.

Objic. 4. potentia viſiva eſt unica & ſimplex: ergo debet eſſe in ſubjecto ſimplici, (cujuſmodi eſt nervorum opticorum conjunctio) non autem in duabus pupillis, & in duobus nervis opticis.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguendo conſequens: ergo debet eſſe in ſubjecto ſimplici ſimplicitate conjunctionis, concedo: ergo debet eſſe in ſubjecto ſimplici ſimplicitate inadæquatæ diſtinctionis, nego: ſicut enim quamvis una anima, vel rationalis, vel ſenſitiva perfecta, ſit ſimplex, non requirit tamen ſubjectum ſimplex ſimplicitate inadæquatæ diſtinctionis, ſed ipſi ſufficit ſubjectum ſimplex ſimplicitate conjunctionis; quatenus corpus, quod eſt adæquatum illius ſubjectum, habet quidem varia membra inadæquatè diſtincta, ſed tamen

om-

omnia ista membra beneficio conjunctionis fiunt unum & veluti simplex corpus: sic etiam tametsi potentia visiva unius animalis sit unica & simplex, non requirit propterea subjectum simplex simplicitate inadæquatæ distinctionis, sed sufficit ei subjectum simplex simplicitate conjunctionis; quod consistit in duabus pupillis, & duobus nervis opticis, ut inter se conjunctis, licèt inadæquatè distinctis.

Objic. 5. conjunctio nervorum opticorum in omnibus animalibus non reperitur: ergo potentia visiva omnium animalium non subjectatur in duorum oculorum pupillis, ut per nervos opticos conjunctis. Prob. ant. testatur Vesalius lib. 4. de fabrica corporis humani cap. 4. se alicujus hominis corpus Patavii dissecuisse, in quo nervi optici toto interstitio à cerebro ad oculos usque dissociati erant.

Respondeo, conjunctionem nervorum opticorum in omnibus animalibus per se reperiri; quòd si in aliquibus animalibus conjunctio illa non reperiatur, animalia ejusmodi erunt monstrosa: sicut etenim illud animal est monstrosum, in quo sunt duo capita, vel duo corda, sic etiam monstrosum est animal, in quo sunt duæ visivæ potentiæ: si autem daretur aliquod animal, in quo non esset nervorum opticorum conjunctio, in eo essent duæ potentiæ visivæ, quoniam potentia tunc subjectaretur in duabus pupillis disjunctis & separatis; accidentia verò subjectata in duobus subjectis disjunctis & separatis, sunt duo numero distincta.

Objic. 6. Si potentia visiva subjectaretur in duorum oculorum pupillis, non disjunctis, sed ut per nervos opticos junctis; maximè, quia alioquin in uno & eodem animali darentur duæ potentiæ visivæ numero distinctæ: atqui hæc ratio nulla est; ergo &c. Ma. patet ex dictis. Prob. min. revera dantur in uno animali duæ potentiæ visivæ numero distinctæ; sic namque ait Aristoteles

lib. 2.

lib. 2. de partibus animalium cap. 10. *In cæteris ſenſoriis ſenſum bipartitum eſſe patet : aures enim geminæ, & oculi gemini ſunt, &c.*

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. licèt enim in uno animali detur duplex ſeu bipartita ſubjectivè inadæquatè potentia auditiva, vel viſiva; quatenus dantur in uno animali, duo ſubjecta inadæquata & partialia potentiæ auditivæ, videlicet aures geminæ; & duo ſubjecta inadæquata ac partialia potentiæ viſivæ, nimirum gemini oculi: attamen in uno animali eſt entitativè unica numero potentia auditiva, ſicut & unica numero potentia viſiva; & juxta hanc diſtinctionem explicanda ſunt allata Ariſtotelis verba.

Inſtabis: ſi digito comprimamus unum oculum, ita ut hac compreſſione in diverſo ſitu ab altero oculo conſtituatur; objectum ſimplex, apparebit per viſionem geminatum; (ut experientia conſtat) quæ viſio non continget in altero oculo non compreſſo: ergo in duobus oculis, aut in duabus oculorum pupillis, debebunt eſſe duæ potentiæ viſivæ numero diſtinctæ, quæ duas viſiones illas diverſas eliciant.

Reſpondeo negando conſeq. ſicut enim una & eadem numero anima, in diverſis partibus corporis, diverſos cauſat effectus, juxta diverſas earum diſpoſitiones: ſic etiam una & eadem numero potentia viſiva exiſtens in duobus oculis, (aut in duabus oculorum pupillis) poteſt diverſas elicere viſiones, diverſo modo ſe habentes juxta diverſos eorum ſitus, diverſaſque ipſorum diſpoſitione circa idem objectum.

Dices: pupilla, ſive humor chryſtallinus, non vivit vita ſenſitiva: ergo nequit dici organum ſive ſubjectum potentiæ viſivæ; etenim organa ſive ſubjecta potentiarum ſenſitivarum vivere debent vita ſenſitiva. Prob. ant. ſanguis, bilis, & alii humores animalis non vivunt vita ſenſitiva: ergo etiã humor chryſtallinus non vivit vita ſenſitiva.

Reſ-

Respondeo negando ant. ad cujus prob. nego paritatem: etenim sanguis, bilis, & alii similes humores nimiam habent fluiditatem, ob quam vivere nequeunt vita sensitiva: at humor chrystallinus, sive pupilla, est aliquid concretum, coagulatum, imò & solidum, ut experientia constat; ideòque nihil impedit, ne vivat vita sensitiva. Supra tamen docuimus, sanguinem animari anima totius animalis, quæ sensitiva est, quæque proinde ipsi vitam sensitivam tribuit.

§. III.

De objecto potentiæ visivæ.

CErtum est apud omnes Philosophos, *coloratum lucidum* esse objectum formale adæquatum potentiæ visivæ: etenim juxta Philosophos, objectum formale adæquatum alicujus potentiæ est id, quod ratione sui attingitur à potentia illa, quodque comprehendit quidquid ab ejusmodi potentia attingi potest: atqui *coloratum lucidum* ratione sui attingitur à potentia visiva, sive ratione sui videtur, ut patet; & præterea comprehendit quidquid à potentia visiva attingi aut videri potest; quoniam revera nihil videri potest, nisi sit coloratum & lucidum: ergo &c. In hoc, ut dixi, omnes Philosophi consentiunt. At quid sit lux, sive lumen, & quid color, celebris est controversia. Quia tamen de lumine fusè disseruimus in 3. p. Physicæ qu. 5. ar. 3. §. 8. 9. 10. & 11. ideò hic de solo colore disputabimus.

Circa naturam autem coloris tres præcipuæ fuerunt Philosophorum opiniones. Prima docet, colorem esse flammam ignis elementaris in mixto formaliter remanentis. Sed hanc sententiam, quæ est Vallesii & aliorum antiquorum, rejecimus satis in lib. de Generi ubi ostendimus, elementa non esse formaliter in mixto.

Secunda sententia asserit, colorem nihil aliud esse,

BIBLIOTECA D. F. MS. MONTEFUSCO (Av)

eſſe, quàm lumen certo modo reflexum. Hanc ſententiam docuere Plato in Timæo, Avicenna lib. 6. nat. p. 3. c. 1. & alii ex antiquis; quos ſecuti ſunt Carteſius, Gaſſendus, & innumeri alii recentioees Philoſophi. Hæc tamen opinio refellitur ab Ariſtotele in lib. de coloribus cap. 1. 2. 3. & 4. variiſque rationibus confutari poteſt.

In primis namque, ſi color nihil eſt aliud, quàm lumen certo modo reflexum; abſente lumine, nulli eſſent colores; & ita clauſo volumine, & interdicto luminis auditu, omnis ſcriptura in eo deleretur, nullo coloris albi, vel nigri perſeverante diſcrimine: ſimiliter extincto lumine, Gallus, & Æthiops; cygnus, & corvus, colore non differrent: quæ videntur abſurda.

Deinde, ſi colores nihil aliud ſunt, quàm lumen variis reflexum modis: albedo, v. g. & nigredo, & alii colores oppoſiti, forent ejuſdem ſpeciei; varius ſiquidem reflexionis modus nequit cauſare in lumine, niſi differentiam accidentalem, non verò differentiam ſpecificam & eſſentialem: atqui, non poteſt dici, albedinem, & nigredinem, & alios colores oppoſitos, eſſe ejuſdem ſpeciei: ergo &c. Probatur min. quæ ſunt oppoſita, nequeunt dici ejuſdem ſpeciei, etenim inter ea, quæ ſunt ejuſdem ſpecici, non datur oppoſitio, ſed potiùs eſſentialis convenientia: ergo dici non poteſt, albedinem, & nigredinem, atque alios colores oppoſitos, eſſe ejuſdem ſpeciei.

Præterea; ſi omnis color ſit duntaxat luminis reflexio, omnis color erit ſolùm apparens; atqui non omnis color eſt ſolùm apparens: ergo &c. Ma. in primis oſtenditur: idcircò enim, v. gr. in guttis roris colores ſunt ſolùm apparentes, quia colores in guttis illis non proveniunt à principio intrinſeco, ſed tantùm à diverſa & extrinſeca luminis reflexione; ſi ergo omnis color eſt duntaxat luminis reflexio, vel ex ſola luminis reflexione provenit, omnis color eſt ſolùm apparens. Prob.

etiam

etiam min. nam albedo cygni, v. gr. non est apparens, sed vera; nigredo quoque corvi non est apparens, sed vera; ut evidens est: ergo non omnis color est solùm apparens.

Insuper: si omnis color consisteret in sola lucis reflexione; cùm lucis reflexio, quæ in corporibus coloratis est, ab extrinseco procedat, v. gr. à Sole vel ab igne; omnis color cujuscumque corporis colorati ab extrinseco proveniret, non verò à principio illius intrinseco; sicque albedo cygni, vel nigredo corvi, (v. g.) ab extrinseco, v. gr. à Sole, aut ab igne, procederet, non autem à principio intrinseco cygni, vel corvi: hoc autem dici non potest; cùm albedo cygni oriatur ab intrinseco ejus temperamento, sicut & nigredo in corvo.

Rursus, si color consisteret in sola lucis reflexione, corvus secundùm diversam circa ipsum lucis reflexionem, diversum haberet colorem: hoc autem esse falsum, patet experientia; quæcumque etenim fiat circa corvum lucis reflexio, niger semper est corvus.

Denique, si nigredo, v. g. esset lux reflexa, major nigredo esset major lux reflexa: atqui major nigredo non est major lux reflexa, imò potiùs, quò magis nigredo luce reflexa affunditur, eò magis albicare videtur, (ut experientia constat) sicque minor evadit: ergo &c.

Obji. 1. ex Aristotele 2. de Anim. cap. 7. text. 88. lumen est idem ac color: ergo juxta Aristotelis mentem, color non est qualitas realiter & essentialiter à lumine distincta; sed potiùs est ipsum lumen, hoc vel illo modo reflexum.

Respondeo distinguendo ant. ex Aristotele lumen est idem ac color apparens, concedo: ex Aristotele lumen est idem ac color verus, nego. Sunt ergo duo colorum genera; alius namque est color apparens & transiens, alius verus, & fixus. Color apparens reipsa nihil est aliud, quàm lumẽ permanens, hoc vel illo modo reflexum, quod receptum

ceptum in corpore diaphano, vel reflexum, in corpore ſolido atque polito, apparet color, ſeu habet apparentiam vel ſimilitudinem coloris; ut cernere licèt in guttis roris, & in collo columbæ. Color autem verus, permanens, & fixus, eſt qualitas quædam realiter & eſſentialiter à lumine diſtincta, quæ oritur à principio intrinſeco corporis colorati, nempè ex intrinſeco ejus temperamento.

Objic. 2. ipſe Ariſtoteles lib. 3. de Anima cap. 5. ait, colores fieri actu per lumen, cùm eſſent antè ſolùm in potentia: ergo color in actu non diſtinguitur realiter & eſſentialiter à lumine.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ipſe Ariſtoteles ait, colores fieri actu viſibiles proximè per lumen, cùm eſſent ante ſolùm in potentias viſibiles concedo: ipſe Ariſtoteles ait, colores fieri actu entitativè per lumen, (ita ut entitativè ſint ipſummet lumen) cum eſſent entitativè antè ſolùm in potentia, nego ant. & conſeq. Ut autem color & lumen realiter & eſſentialiter diſtinguantur, ſufficit, ut entitativè (ſive in ſua entitate eſſentiali) non ſint idem, licèt color fiat actu proximè viſibilis per lumen.

Objic. 3. abſente lumine, nullus remanet color; juxta illud Virgilii Æn. 6. *Rebus nox abſtulit atra colores*: & redeunte lumine, redeunt colores; juxta illud, quod canit Eccleſia: *Rebuſque jam color redit vultu nitentis ſideris* (videlicet Solis:) ergo color non diſtinguitur realiter & eſſentialiter à lumine.

Reſpondeo cum diſtinctione data; concedo namque, abſente lumine, nullum remanere colorem actu proximè viſibilem; redeunte verò lumine, redire colores ut actu proximè viſibiles: ſed nego, abſente lumine, nullum remanere colorem entitativè ſumptum; & redeunte lumine, redire colores entitativè ſumptos.

Obj. 4. D. Thomas 2. de Anim. ca. 7. text. 68. lect. 14. ſic ait: *Color nihil eſt aliud, quàm lux quodam-*

dammodò obscurata, ex admixtione corporis opaci. Respondeo, explicando D. Thomam, & distinguendo; concedo quippè, colorem apparentem nihil esse aliud, quàm lucem quodammodò obscuratam, ex admixtione corporis opaci: sed id nego de vero colore, fixo, & permanente.

Instabis 1. ex illis aliis verbis S. Thomæ, quæ habentur lect. 7. de sensu & sensato; *Contingit ergo*, inquit, *in externo perspicui terminatorum corporum inesse illud, quod in aere facit lumen; & hoc facit ibi colorem album, & per ejus absentiam efficitur cõlor niger*. Ubi S. Doctor non distinguit colorem album à lumine. Respondeo cum eadem distinctione; concedo namque, colorem album apparentem non distingui à lumine; at id nego de colore albo vero, fixo, & permanente.

Instabis 2. ex his aliis verbis S. Thomæ, quę leguntur ibidem lect. 6. *Est autem duplex coloris principium*, inquit, *unum formale*, (seu constitutivum) *scilicet lumen; aliud materiale*, (quod est ejus subjectum) *scilicet perspicuum*. Si autem lumen est principium formale seu constitutivum coloris: ergo realiter ab ipso non distinguitur, Respondeo cum eadem distinctione; concedo etenim, lumen esse principium formale sive constitutivum coloris apparentis; at nego, lumen esse principium formale vel constitutivum coloris veri, fixi, & permanentis.

Obji. 5. si daretur color verus, permanens, & fixus; maximè in vitro viridi: atqui in vitro viridi non datur color verus, permanens, & fixus: ergo &c. Prob. mi. si in vitro viridi daretur color verus, permanens, & fixus, nempè color viridis verus, permanens, & fixus; deberet iste color permanere in vitro attrito; atqui in vitro attrito non permanet viridis color, imò potiùs in eo est albicans color; ut experientia constat: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. ad cujus prob. concessa maj. nego min. quòd enim vi-

trum

trum viride, dum attritum eſt, albicans appareat; hoc non provenit ex eo, quòd color viridis in illo amplius non permaneat; ſed ex eo, quòd color viridis partium externarum vitri miſceatur cum colore albo partium internarum ejuſdem vitri.

Nec mirum eſt, ſi partes internæ vitri viridis ſint albæ, & tamen vitrum illud, dum eſt integrum, totum viride videatur; quia dum unum per aliud videtur, ejus colorem induit aliquo modo; unde quæ per vitrum rubrum videntur, apparent rubra, quamvis revera non ſint rubra; ſed vel alba, vel nigra: quia ergo, cùm vitrum viride eſt integrum, partes internæ illius vitri videntur per externas, quæ virides ſunt, ſetiam partes internæ virides apparent; quamvis reipſa virides non ſint, ſed albæ.

Objic. 6. per vitreum triangulum oblongum exhibentur diverſi colores eodem in ſubjecto, ſecundùm quòd diverſimodè radii luminis moventur, exeundo ex illo triangulo vitreo; ut patet experientia; ſicque in hujuſmodi triangulo diverſa luminis reflexio diverſos facit colores, ſicut & in objecto oppoſito: ergo ſimiliter in omnibus aliis objectis, colores omnes fiunt per diverſam luminis reflexionem.

Reſpondeo conceſſo ant. diſtinguendo conſequens: ergo ſimiliter in omnibus aliis objectis, colores omnes apparentes (quales ſunt illi, qui apparent in triangulo vitreo, vel exhibentur in objecto oppoſito, ex diverſa luminis reflexione) fiunt per diverſam luminis reflexionem, concedo: ergo ſimiliter in omnibus aliis objectis colores omnes veri, permanentes, & fixi, fiunt per diverſam luminis reflexionem, nego.

§. IV.

§. IV.

Sententia Peripateticorum circa naturam coloris explanatur.

TErtia & ultima circa coloris naturam sententia est Peripateticorum omnium asserentium, colorem esse qualitatem sensibilem, realiter & essentialiter à lumine distinctam, si de colore vero, permanenti, & fixo, fiat sermo. Definiunt autem colorem hoc modo (cum Aristotele lib. 2. de Anim. c. 7. text. 87. & 73.) *Color est motivum diaphani, seu perspicui, actu.* Sensus est, colorem esse sensibilem qualitatem, quæ non potest movere visum, immittendo in ipsum species intentionales, nisi per medium diaphanum, quod sit actu perspicuum, sive actu illuminatum. Et in hoc differt color qui est proprium *sensibile* visus, à propriis *sensibilibus* aliorum sensuum; quòd æquè sentiri possunt *sensibilia* propria aliorum sensuum per medium tenebrosum, ac per medium actu illuminatum; ut patet in odoribus, saporibus, sonis, & qualitatibus tactilibus.

Imò lumen ipsum videri potest absque eo, quòd medium sit illuminatum; ut patet ex eo, quòd hyeme per obscurissima loca eminùs videantur seu conspiciantur faces in promontoriis accensæ; & noctu in cubiculo benè clauso videantur putrida ligna, cornua quædam, quorundam piscium capita, & squammæ, cæteraque id genus noctiluca; ut docet Aristoteles loco citato, & constat experientia ipsa.

Patet etiam eadem experientia, ignem, stellas, cæteraque fulgida, eò clariùs videri, quò magis obscurum & tenebrosum est medium; & oculi felium videntur nocte à loco ita distanti, ut non possint totum medium interjectum illuminare.

At de colore, alio modo loquendum est: etenim

nim tenebroſa nocte videmus quidem facem, aut ignem valdè diſtantem, nec tamen videmus corpora colorata propè facem vel ignem conſtituta: cujus experientiæ alia non poteſt afferri ratio, niſi quia neceſſarium omninò eſt, ut medium actu illuminetur, ad viſionem coloris, non autem lucis. Lumen ergo eſt planè neceſſarium, ex parte medii, ad viſionem colorum; ut nempè diſponat medium, aptumque reddat, ut in eo recipi poſſint intentionales colorum ſpecies, quæ pervenire poſſint ad viſum.

Dices 1. nulla apparet ratio, cur lux poſſit diffundere ſpecies ſui intentionales per medium non illuminatum uſque ad viſum, id verò præſtare non poſſit color. Reſpondeo, rationem hujus eſſe, quia lux eſt longè excitatior & actior colore, ideòque faciliùs atque potentiùs ſuperat difficultatem medii.

Dices 2. interdum videmus colorata remota, ex loco obſcuriſſimo, nec tamen videmus colorata proxima: ergo tunc non producitur lumen in toto medio, (alioquin colorata proxima lumine illo per medium producto perfunderentur, ſicque viderentur à nobis) ac proinde ad viſionem colorati neceſſarium non eſt lumen ex parte medii.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. ſi enim, ut coloratum remotum videamus, neceſſarium non eſſet, ut lumen produceretur per medium, nulla eſſet ratio, cur cùm tenebroſa nocte videmus facem, vel ignem, valdè diſtantem, non videremus corpora colorata propè facem, aut ignem, poſita. Cæterùm licèt, dum videmus aliqua colorata remota ex loco obſcuro, producatur & diffundatur lumen per medium, non ſequitur propterea, ut colorata proxima à nobis tunc videantur; quia lumen tunc per totum medium diffuſum uſque ad viſum eſt modiciſſimum ideòque nequaquam ſufficit ad videnda colorata proxima; attamen quia lumen tunc in coloratis remo-

remotis majus eſt, ideò colorata remota potiùs, quàm proxima, tunc videmus.

Quòd autem aliqui dicunt, nempè lumen requiri etiam ex parte coloris ad viſionem, ita ut lumen ſit ratio formalis *ſub qua* color videatur; eſt in primis contra D. Thomam lib. 2. de Anim. cap. 7. text. 67. lect. 14. ubi ſic ait: *Dicendum, quòd lumen eſt neceſſarium ad videndum, non ex parte coloris, ſed ex parte diaphani, inquantùm facit ipſum eſſe in actu.* Quòd repetit S. Doctor pluribus in locis. Eſt etiam contra rationem: nam ſicut quia ſonus eſt proprium *ſenſibile* auditus, ideò eſt per ſe & ratione ſui audibilis, & non indiget ratione formali *ſub qua* (à ſe diſtincta,) ut audiatur: ſic etiam, quia color eſt proprium *ſenſibile* viſus, eſt per ſe & ratione ſui viſibilis, & non indiget ratione formali à ſe diſtincta, ſub qua videatur.

Quòd ſi alicubi D. Thomas dicat, lumen requiri ex parte coloris, ut fiat viſibilis, & quòd lumen faciat colorem actu viſibilem; hoc debet intelligi in ſenſu diſpoſitivo, (quatenùs à colore uſque ad viſum requiritur in medio lumen per modum diſpoſitionis, ut color, tamquam actu proximè viſibilis, diffundat viſibiles ſpecies ad viſum per medium) non verò in ſenſu formali (quaſi lumen ſit ratio formalis *ſub qua* color fiat actu proximè viſibilis.)

Præter allatam coloris definitionem, aliam iterum tradit ipſe Philoſophus c. 3. de ſenſu & ſenſibili, his verbis: *Color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato*: id eſt, color eſt qualitas ſenſibilis per viſum, exiſtens in termino, ſive in extremitate corporis perſpicui aut illuminati. Definitur quippe hic color ab Ariſtotele, prout eſt proximè viſibilis; color autem ut eſt in intimis partibus corporis illuminati non eſt proximè viſibilis, ſed ſolùm prout eſt in extremitate, ſive prout eſt in extrema corporis illuminati ſuperficie.

Ex dictis inferes primò, quodnam ſit medium

nim tenebroſa nocte videmus quidem facem, aut ignem valdè diſtantem, nec tamen videmus corpora colorata propè facem vel ignem conſtituta: cujus experientiæ alia non poteſt afferri ratio, niſi quia neceſſarium omninò eſt, ut medium actu illuminetur, ad viſionem coloris, non autem lucis. Lumen ergo eſt planè neceſſarium, ex parte medii, ad viſionem colorum; ut nempè diſponat medium, aptumque reddat, ut in eo recipi poſſint intentionales colorum ſpecies, quæ pervenire poſſint ad viſum.

Dices 1. nulla apparet ratio, cur lux poſſit diffundere ſpecies ſui intentionales per medium non illuminatum uſque ad viſum, id verò præſtare non poſſit color. Reſpondeo, rationem hujus eſſe, quia lux eſt longè excitatior & actior colore, ideòque faciliùs atque potentiùs ſuperat difficultatem medii.

Dices 2. interdum videmus colorata remota, ex loco obſcuriſſimo, nec tamen videmus colorata proxima: ergo tunc non producitur lumen in toto medio, (alioquin colorata proxima lumine illo per medium producto perfunderentur, ſicque viderentur à nobis) ac proinde ad viſionem colorati neceſſarium non eſt lumen ex parte medii.

Reſpondeo conceſſo ant. negando conſeq. ſi enim, ut coloratum remotum videamus, neceſſarium non eſſet, ut lumen produceretur per medium, nulla eſſet ratio, cur cùm tenebroſa nocte videmus facem, vel ignem, valdè diſtantem, non videremus corpora colorata propè facem, aut ignem, poſita. Cæterùm licèt, dum videmus aliqua colorata remota ex loco obſcuro, producatur & diffundatur lumen per medium, non ſequitur propterea, ut colorata proxima à nobis tunc videantur; quia lumen tunc per totum medium diffuſum uſque ad viſum eſt modiciſſimum ideòque nequaquam ſufficit ad videnda colorata proxima; attamen quia lumen tunc in coloratis remo-

remotis majus eſt, ideò colorata remota potiùs, quàm proxima, tunc videmus.

Quòd autem aliqui dicunt, nempè lumen requiri etiam ex parte coloris ad viſionem, ita ut lumen ſit ratio formalis *ſub qua* color videatur; eſt in primis contra D. Thomam lib. 2. de Anim. cap. 7. text. 67. lect. 14. ubi ſic ait: *Dicendum, quòd lumen eſt neceſſarium ad videndum, non ex parte coloris, ſed ex parte diaphani, inquantùm facit ipſum eſſe in actu.* Quòd repetit S. Doctor pluribus in locis. Eſt etiam contra rationem: nam ſicut quia ſonus eſt proprium *ſenſibile* auditus, ideò eſt per ſe & ratione ſui audibilis, & non indiget ratione formali *ſub qua* (à ſe diſtincta,) ut audiatur: ſic etiam, quia color eſt proprium *ſenſibile* viſus, eſt per ſe & ratione ſui viſibilis, & non indiget ratione formali à ſe diſtincta, ſub qua videatur.

Quòd ſi alicubi D. Thomas dicat, lumen requiri ex parte coloris, ut fiat viſibilis, & quòd lumen faciat colorem actu viſibilem; hoc debet intelligi in ſenſu diſpoſitivo, (quatenùs à colore uſque ad viſum requiritur in medio lumen per modum diſpoſitionis, ut color, tamquam actu proximè viſibilis, diffundat viſibiles ſpecies ad viſum per medium) non verò in ſenſu formali (quaſi lumen ſit ratio formalis *ſub qua* color fiat actu proximè viſibilis.)

Præter allatam coloris definitionem, aliam iterum tradit ipſe Philoſophus c. 3. de ſenſu & ſenſibili, his verbis: *Color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato*: id eſt, color eſt qualitas ſenſibilis per viſum, exiſtens in termino, ſive in extremitate corporis perſpicui aut illuminati. Definitur quippe hic color ab Ariſtotele, prout eſt proximè viſibilis; color autem ut eſt in intimis partibus corporis illuminati non eſt proximè viſibilis, ſed ſolùm prout eſt in extremitate, ſive prout eſt in extrema corporis illuminati ſuperficie.

Ex dictis inferes primò, quodnam ſit medium

viſus, id eſt, quodnam ſit medium, per quod ſpecies objectorum viſibilium ad viſum deferuntur: eſt quippe corpus perſpicuum; ut aer, aqua, vitrum, &c. Inferes 2. quomodo ſit dividendus color. Dividitur quippe in verum, & in apparentem. Color verus, ſive permanens, & fixus, eſt ille, qui habet *eſſe* fixum in corpore colorato, & ab intrinſeca primarum qualitatum mixtione naſcitur; hujuſmodi eſt albedo nivis. Color apparens, ſeu tranſiens, eſt ille, qui non habet *eſſe* fixum, ubi apparet & videtur; ſed pendet à continuo influxu cauſæ extrinſecæ, qua remota, ſtatim evaneſcit; ejuſmodi ſunt colores, qui apparent in collo columbæ, in cauda pavonis, in ſericis undulatis, in cumulo arenarum diverſi coloris; & cæteri colores, qui ſecundùm diverſum luminis influxum illapſumque variantur.

Color verus dividitur in extremum, ſeu primum; & in medium, ſeu ſecundum. Colores extremi, ſeu primi, ſunt ii, qui nec ex ſe invicem, nec ex aliis coloribus, ſed ex quibus cæteri fiunt; & ſunt duo, nempè candor, & atror, ſeu albedo, & nigredo. Colores medii, ſeu ſecundi, ſunt illi, qui ex varia permixtione colorum extremorum naſcuntur; ſuntque ſex præcipui: ſcilicet flavus, ruber, viridis, purpureus, ceruleus & fuſcus. Flavus ad candorem, ſive ad albedinem; fuſcus verò ad atrorem, ſeu ad nigredinem, propiùs accedit. Reliqui autem candorem & atrorem media quadam ratione participant. Inter colorem verum & apparentẽ, mediat quodammodò color vini in mappa exiſtens; quando nempè vinum in mappam decidit, & poſteà exſiccatur; hic enim color aliquo modo convenit, & cum colore vero, & cum colore apparenti; convenit quidem cum colore vero, quatenus habet *eſſe* fixum & permanens in mappa; convenit autem cum colore apparenti in eo, quòd ille color in mappa nõ provenit à principio ejus intrinſeco, ſed à cauſa ipſi extrinſeca, nempè à vino, quod in mappã decidit, & exſiccatum eſt.

Ar-

Articulus Quintus.

De auditu.

HAbet auditus inter alios sensus externos secundum dignitatis locum: in primis namque præbet magnum usum ad vitam civilem: nihil enim prodesset oratio vel sermo, quo sensa mentis communicamus, nisi sermonem ipsum audiremus; imò nec sermo ullus sine auditu esset: hinc qui ab ortu existunt surdi, sicut sermonem nunquam audierunt, sic nec sermonem efformare queunt, atque adeò muti etiam sunt. Deinde plurimùm conducit auditus ad scientias artesque de magistro comparandas; hinc auditus, *disciplina sensus* vocatur, in lib. de sensu & sensibili cap. 2. Denique auditus dignitas ex eo maximè commendatur, quòd ad cœlestis fidei disciplinam capessendam observit; siquidem *fides ex auditu est*; ut dicitur in Epist. ad Rom. cap. 10.

§. I.

De organo auditus.

ORganum auditus, sunt aures. Collocantur autem aures in altis corporum humanorum partibus; quia soni audiendi ex se feruntur in sublime. Cæterùm facultatis auditoriæ organum internas & externas habet partes. Partes internæ vocantur propriè *aures*; externæ verò dicuntur *auriculæ*, quæ ornatus decorem præferunt, & officium auditui præstant, ei consimile, quod supercilia præbent visui: quidquid enim sordium humorisve è vertice defluxerit, id excipiunt auriculæ, prohibentque, ne organum internum importunè subeat. Auricula est substantiæ cartilagineæ; si etenim esset osseæ substantiæ, facilè frangeretur; si verò tota esset substantiç carneæ, sonũ non refle-

&eret. Semicircularem habet figuram, & excavatam interiùs in modum antri, ad meliorem ſonorum exceptionem; unde illi, quibus præciſæ ſunt auriculæ, ſonos & voces inſtar aquarum fluctuantium, & reſonantium undarum, exaudiunt. Auriculæ pars ſuperior vocatur *ala*, vel *pinna*; pars inferior appellatur *lobus*, vel *fibra*; totum concavum interius auricularum vocatur *conchula*; & tota illarum pars exterior *circumductio* nuncupatur, vel etiam *alvearium*, quoniam in illa, ſicut in alveo, ſordes colliguntur.

Partes verò internæ organi auditus, ſive aures, conſtant eſſe petroſo, & quatuor meatibus. Illorum meatuum primus, qui & *auditorius* vocatur, ſequitur immediatè poſt auriculam, & ſemper patet; quoniam etiam dormientes egemus auditu, ut dum ſonus percellit aures, nobis cavere poſſimus; eſt autem iſte meatus tortuoſus & obliquus, ut dum aer ſe in internum organum auditus paulatim inſinuat, in his labirinthis, & obliquis flexibus, frigiditatem nimiam deponat. Variis deinde amphractibus, & tortuoſis flexibus, aures interiùs adornantur, ne commotus aer, confertim & recta organum ſubintrans, lædat auditus ſenſorium. Habent etiam cavitatem ad meatum auditorium prævíam, cui provida natura ſubminiſtrat humorem quemdam viſcoſum, ex recrementis organi coalitum aut generatum, ut ſi qua beſtiola, vel quid aliud quodcumque noxium, temerè ſe in illud intruſerit, non ſecùs ac viſco capiatur.

Meatum auditorium ſequitur membrana quædam auris foramini tranſverſim objecta, quam *meryngam*, ſive auris *tympanum* vocant; ſicque nominatur, quoniam tenuis, ſicca, & tenſa eſt, ſicut membrana tympani: ejus officium eſt, ut inſtar objecti parietis, tutetur auditus ſenſorium. Huic membranæ tria oſſicula implicantur, quo-

rum

rum unum formam habet incudis, duobus innixæ pedunculis. Alterum ossiculum simile est malleolo. Tertium denique in triangulum & stapedam figuratur.

Post membranam illam, versus cerebrum, est secundus meatus, in quo existit substantia quædam admodùm subtilis; ob idque vocari solet *aer*, eo simili modo, quo subtilis sanguinis portio *spiritus* vocitatur. Quoniam verò subtilem illam substantiam ab initio, seu à nativitate, natura tribuit auditui; appellatur *aer innatus*, ab aliis *aer vernaculus*, à Simplicio autem & Themistio, *aer vitalis*; quia vivit, non secus ac humor oculi chrystallinus. Cavitas autem, in qua præfatus aer continetur, *pelpis*, vel *cochlea*, solet appellari.

Subinde est & alia caverna, quæ à similitudine labyrinthi, vocatur *labyrinthus*. Sequitur tandem meatus alius, qui *foramen cæcum* nuncupatur, ultra quem apparet *nervus auditorius* à cerebro derivans, per quem spiritus animales in sensorium auditus influunt. Circa primum meatum notant aliqui, ad finem illius oppositum esse os petrosum, quod secundùm exteriorem sui partem tenuissimo foramine patet; prout verò fertur in interiora, dilatatur; & tandem extremo ejus termino membrana tympani obtenditur, quæ tenuis est, ut soni speciem faciliùs excipiat; est etiam sicca, ut meliùs resonet; est insuper obliqua, ut aeris irruentis motum frangat. In secundo meatu apparet corda quædam tenuissima tympano obtensa, ut solet nervus obtendi tympano militari.

§. II.

entiæ auditivæ proximum
ubjectum.

arva est Philosophorum con-
imis enim Vesalius lib. 1. de
brica cap. 8. ait, proximum
subjectum, sive ejus senso-
ula intra tympanum conclu-
uit, malleus, incude per-
; ita ossiculum unum agita-
mmotum, membranam seu
& sic in aliud incurrit ossi-
is vicem gerit, & ita sonum
t, potentiam auditivam ibi
dere.

in primis ex eo refellitur,
t, post visionem, omnibus
præstantior, exigit senso-
suæ subjectum admodùm
tem præfata sunt valdè cras-
restria.

et, quomodo unum ex præ-
in aliud incurrere, ut so-
quidem, ut docet experi-
la non sunt sibi immediatè
nique, quia si sonus edere-
ossiculi, impediretur soni

le Anima textu 83. cap. 8.
proximum subjectum po-
spiritum animalem à cere-
em per aerem innatum,
evehuntur species audibi-
natus elicit auditionem.
mmuniter etiam reijcitur.
ùm communem Philoso-
itus animales ordinantur
ad

ad fœcundanda & roboranda sensuum organa seu sensoria & subjecta ipsorum, ut possint sensationes elicere: ergo spiritus animales non debent esse ipsa sensuum organa, sensoria, & subjecta. Deinde, sicut potentia auditiva est aliquid permanens, ita proximum ejus subjectum debet esse aliquid permanens; spiritus animales autem non sunt aliquid permanens, sed potiùs sunt quædam subtiles sanguinis portiones à cerebro ad organa sensuum transeuntes; ut communiter exponunt Philosophi. Relictis ergo his sententiis.

Dicendum est cum Philosophis communiter, proximum & totale atque adæquatum potentiæ auditivæ subjectum, esse duplicem aerem innatũ intra tympanum in duabus auribus inclusum, prout ambo illi aeres per nervos auditorios conjunguntur. Hi enim nervi circa cerebrum junguntur, & per illos, sic junctos, prædicti aeres innati, ad quos perveniunt nervi illi, etiam conjunguntur, & fiunt unicum totale & adæquatum potentiæ auditivæ subjectum proximum. Unde hoc subjectum plura includit; videlicet duplicem aerem innatum in duabus auribus existentem, duplex tympanum includens duplicem illum aerem, & duos nervos auditorios, duos aeres innatos, duoque tympana conjungentes.

Quòd in primis aer innatus pertineat ad subjectum potentiæ auditivæ, docet Aristoteles variis in locis: nam lib. 2. de partibus Animalium, c. 10. sic loquitur: *Auditum etiam nonnulla animalia suum in capite habent, debita ratione; quod enim inane vocatur, plenum aeris est: sensorium autem* (seu organum, vel subjectum) *audiendi, aeris esse fatemur.* Quo nihil clariùs dici potest. Et 2. de Anim. cap. 8. textu 82. sic iterum fatur: *Auditui autem est nativus, & quia in aere est, &c.* Quibus verbis manifestè asserit, auditum, seu potentiã auditivam esse, seu subjectari in aere nativo, seu innato. Quod approbat D. Thomas ibidem lect. 17. Idque repetunt ambo pluribus aliis in lo-

cis. Quod etiam docet Galenus lib. 8. de uſu partium ca. 6. ubi ſenſorium, vel organum, aut ſubjectum auditivæ potentiæ, appellat *aereum*, quia nimirum eſt ipſe innatus aer.

Id quoque ratione probatur: cùm enim auditiva potentia ordinetur ex ſua natura ad percipiendos ſonos medijs ſpeciebus audibilibus, in illo debet ſubjectari auditiva potentia, quod aptiſſimum eſt ad recipiendas audibiles ſonorum ſpecies: atqui aer innatus, intra tympanum in duabus auribus incluſus, eſt aptiſſimus ad recipiendas audibiles ſonorum ſpecies; hoc enim expoſcit ſimilitudo illius aeris interni & innati cum aere externo, qui, præ cæteris elementis, aptiſſimus eſt ad ſonorum receptionem, & ad recipiendas, necnon ad auditum deferendas audibiles illorum ſpecies.

Præterea, ex eo, quòd pupilla in medio oculi, velut in tutiſſimo loco, ſtabilita ſit, ad eamque cætera omnia, quibus oculus conſtat, referantur, tanquam ad nobiliſſimam oculi partem; rectè infertur, pupillam eſſe proprium potentiæ viſivæ ſubjectum: ergo ſimiliter, ex eo, quòd aer innatus in cavitate tympani tamquam in medio organi, & loco nobiliſſimo tutiſſimoque ſubſiſtit, & quæcunque alia autem componunt, ut nervi, venæ, membranæ, &c. ad illum nutriendum, conſervandum, & fovendum ordinantur; rectè inde infertur, aerem innatum eſſe proprium potentiæ auditivæ ſubjectum.

Quòd autem potentia auditiva non ſubjecteturin dupliciaere innato intra tympanum in duabus auribus incluſo, ut disjuncto, diviſo, & veluti ſeparato, ſed potiùs in ipſo ut conjuncto per auditorios nervos, ſic declaratur: in uno animali eſt una numero dumtaxat auditiva potentia: atqui ſi potentia auditiva ſubjectaretur in duplici aere innato intra tympanum in duabus auribus incluſo, ut disjuncto, diviſo, & veluti ſeparato, non eſſet in uno animali una numero

dun-

duntaxat auditiva potentia, ſed duplex: ergo &c. *Min.* in primis conſtat: duplex etenim aer innatus intra tympanum in duabus auribus incluſus, ut disjunctus, diviſus, ac veluti ſeparatus, eſt duplex ſubjectum disjunctum, diviſum, ac veluti ſeparatum; accidens autem exiſtens in duplici ſubjecto ſeparato, non eſt unum, ſed duplex numero; ideòque ſi potentia auditiva unius animalis exiſteret & ſubjectaretur in duplici aere innato, disjuncto, diviſo, & ſeparato, non eſſet una, ſed duplex numero. Prob. verò ma. etenim ad attingenda plura per modum unius, non requiruntur plures potentiæ numero diſtinctæ, ſed una numero potentia ſufficit; ut ex ipſis terminis patet: quamvis verò unum animal plura audiat, ut campanam, vocem humanam, canem latrantem, &c. hæc tamen omnia audit animal ſub una & eadem ratione formali *ſonori*, vel *audibilis*, & ſic audit illa per modum unius.

Dices: aſſerit Veſalius loco ſuprà citato, aerem innatum ſe non deprehẽdiſſe per diſſectiones anatomicas: ergo non datur *ille* aer, ac proinde non eſt potentiæ auditivæ ſubjectum.

Reſpondeo negando conſeq. eſto enim ille author aerem innatum non deprehenderit, alii tamen plures fide digni deprehenderunt aerem illum. Quia tamen ejuſmodi aer eſt ſubſtantia admodùm ſubtilis, facilè diſſipatur, & vix ſub aſpectum cadit; unde difficilè deprehenditur. Nihilominùs dari reipſa aerem innatum in animali, ex eo ſatis apertè colligitur, quòd inanis illa cavitas, quæ intra tympanum reperitur, alio fine à natura non videtur data, quàm ut aerem innatum contineat; neque enim vacua manere poteſt, cùm vacuum naturaliter nec detur, nec dari poſſit; ut alibi oſtenſum eſt.

Dices rurſus: ſi auditus ſubjectaretur in nervis auditoriis, auditus dici non deberet ſenſus externus; quandoquidem in internis partibus animalis ſubjectaretur: ergo cùm auditus dicatur & verè

ſit ſenſus externus, non debet ipſe auditus ſubjectari in nervis auditoriis.

Reſpondeo negando ant. ad hoc quippe, ut aliquis ſenſus dicatur externus, neceſſe non eſt, ut in externa corporis parte immediatè & adæquatè ſubjectetur; ſed eſt ſatis, ut habeat pro objecto formali, primario, & proprio, aliquam qualitatem ſenſibilem externam, cujus ſpecies intentionalis ad illum ſenſum per meatum aliquem, vel per ſenſorium ipſum, vel per aliquam corporis partem deferatur.

§. III.

De ſono contra Carteſianos.

SOnum, vel *ſonorum*, eſſe objectum formale ac primarium adæquatum potentiæ auditivæ, concedunt omnes Philoſophi: etenim juxta Philoſophos, objectum formale ac primarium adæquatum alicujus potentiæ eſt id, quod ratione ſui attingitur à potentia illa, quodque comprehendit quidquid ratione ſui ab hujuſmodi potentia attingi poteſt: atqui *ſonus*, vel *ſonorum*, eſt id, quod ratione ſui attingitur ſive auditur à potentia auditiva, ut conſtat; & præterea comprehendit quidquid ratione ſui attingi ſive audiri poteſt à potentia auditiva; quoniam reipſa nihil ratione ſui audiri poteſt, niſi *ſonus*, vel *ſonorum*: ergo &c. In hoc omnes Philoſophi conveniunt; at quid ſit ſonus? non parva eſt controverſia.

Circa naturam ſoni occurrit in primis ſententia Themiſtii & aliorum Græcorum interpretum, qui aſſerere videntur, ſonum nihil aliud eſſe, quàm motum ipſum, quo aer inter duo corpora colliſus frangitur ac reſilit. Ab hac ſententia parùm recedunt Carteſiani docentes, ſonum eſſe motum aeris tremulum ac reciprocũ, qui ad aures uſque pervenit. Unde ſoni generationem ſic exponunt apud D. Duhamel lib. 1. de corporũ affectionibus

cap. 10.

cap. 10. *Sonus gignitur*, inquiunt, *non modò ex duorum corporum ſolidorum & aeris interjecti colliſione, ſed ex ſolius aeris reciproco motu ab alio corpore procreato: eliſus autem aer, & ſubita diviſione fractus, ſtatim denſatur; tum priſtinum ſtatum recuperat: ſed interim pulſus alium pellit, qui motu elaſtico ſeſe reſtituit, & ita undulatim atque in orbem aer diffunditur; non aliter atque aqua injecto lapillo varios delineat circulos, &c.*

Contra hanc utramque ſententiam; dicendum eſt, ſonum formaliter aut eſſentialiter non eſſe motum aeris, vel aliorum corporum ſeſe collidentium.

Idque prob. 1. ut frequens probat experientia, nonnunquam ſonus tintinnabuli à leuca, vel etiam à majori diſtantia, auditur: atqui hic ſonus non eſt formaliter motus aeris, vel aliorum corporum ſe ſe collidentium: ergo &c. Prob. mi. ſi dum ſonus tintinnabuli à leuca, vel etiam à majori diſtantia, auditur, ſonus ille eſſet formaliter motus aeris, vel aliorum corporum ſe ſe collidentium; deberet ad ſonum unius tintinnabuli totus aer interjectus, per unam leucam, vel etiam per majorem diſtantiam, inter me, & tintinnabulum, agitari & moveri uſque ad aures meas, ut patet; cùm non poſſim audire ſonum, niſi ſonus iſte ad aures meas perveniat: atqui dum ſonus tintinnabuli à leuca, vel etiam à majori diſtantia, auditur, ad ſonum illum unius tintinnabuli, totus aer interjectus, per unam leucam, vel etiam majorem diſtantiam, inter me, & tintinnabulum, non agitatur vel movetur uſque ad aures meas; hoc quippe eſt incredibile: ergo &c.

Reſpondent adverſarii, Carteſiani nempè, quòd dum ſonus tintinnabuli à leuca, vel à majori diſtantia, auditur, revera totus aer intermedius agitetur & moveatur: ſicut dum lapis in flumen injicitur, tota fluminis aqua agitatur & mo-

movetur. Nec mirum, inquiunt; etenim aer eſt corpus liquidum, quod magna facilitate agitatur & movetur.

Sed contrà: in primis namque paradoxum eſt incredibile, ut ad ſonum unius tintinnabuli, (ſeu campanulæ) totus aer per leucam, vel etiam per majorem diſtantiam, agitetur & moveatur. Neque Carteſianos juvat exemplum lapidis in flumen injecti: ſi etenim vaſtiſſimum ſit flumen, atque ad leucam in lacum extendatur, & in ipſum lapis, etiam magnitudinis inſignis, injiciatur, etſi aqua fluminis ad aliquam diſtantiam agitetur & moveatur, attamen per totam leucam minimè movebitur, ut conſtabit experientia; ſi etenim unus homo in uno littore fluminis ad leucam in latum extenſi exiſtens, injiciat in ejuſmodi flumen, prædictum lapidem; exiſtat verò alius homo in littore oppoſito, iſte homo non magis in aqua fluminis agitationem motumve deprehendet, quàm ſi nihil in flumen fluiſſet injectum.

Denique, dum dicunt adverſarii, aerem magna facilitate agitari & moveri; parùm conſentiunt cum doctrina, quæ apud illos communis eſt; docent quippè communiter, aerem eſſe gravem; corpus autem grave magna facilitate non agitatur vel movetur, præſertim in latum, & citra deſcenſum.

Prob. 2. ſi ſonus conſiſteret formaliter in motu aeris tremulo & reciproco, ubi non eſſet motus, ibi non eſſet ſonus; ſicque piſces in ſtagno exiſtentes nullum audirent ſonum, dum aqua ipſius ſtagni eſt immota: quod utique quotidianæ repugnat experientiæ.

Reſpondent Carteſiani, aquam in ſtagnis moveri & agitari ab aere; idque probant ex eo, quòd tormentorum & campanarum ſoni longè diſtinctiores percipiuntur prope fluminum & ſtagnorum ripas, quàm ubi à fluminum ſtagnorumque ripis recedimus: atqui hoc ita non fieret, niſi

aer

aer à tormentis atque campanis motus, moveret & agitaret aquam fluminum ſtagnorumque, eo ordine, ut partes aquæ denſiores & rigidiores ſemel motæ, ſuum motum aliis communicent: ergo &c.

Sed contra: nego enim, aquam in ſtagnis moveri & agitari ab aere. Ad prob. in contrarium, conceſſa ma. nego min. quòd enim tormentorum & campanarum ſoni longè diſtinctiores percipiantur propè fluminum & ſtagnorum ripas, quàm ubi à fluminum ſtagnorumque ripis recedimus: hoc non fit ex eo, quòd aer à tormentis atque campanis motus, moveat & agitet aquam fluminum ſtagnorumve, ut putant Carteſiani; ſed hoc provenit ex eo, quòd ubi ſunt flumina ſtagnave inſignia, plerumque ibi ſunt cavitates ab aſſiduo irrumpentium aquarum impetu efformatæ, in quibus ſæpè ſæpiùs ſonus reflectitur, adeò ut ex illis reflexionibus repetitis, ſonus gravior evadat, & longiùs diſtinctiùſque audiatur.

Prob. 3. motus tremulus & reciprocus corporis ſonori (in quo Carteſiani conſtituunt ſonum formaliter) eſt (ſecundùm eoſdem Carteſianos) ille, ratione cujus partes ipſius corporis ſonori à ſuo centro recedunt, & mox ad ſuum centrum iterum accedunt: atqui in tali motu non conſiſtit ſonus formaliter, imò talis motus non datur: ergo &c. Prob. min. ſi dum pulſatur campana, v. g. & ſonum efficit, ejus partes à ſuo centro recederent, & mox ad ſuum centrum iterum accederent: quotieſcumque campana pulſaretur, toties campana dilataretur, dum nempè ejus partes à ſuo centro recederent; & mox contraheretur, per hoc nimirum, quòd ipſius partes iterum ad ſuum centrum accederent: hoc autem quotidianæ experientiæ repugnat.

Objic. 1. Ariſtoteles lib. 2. de Ani. cap. 8. textu 85. ſonum definit his verbis: *Sonus eſt motus ejus, quod poteſt moveri, eo modo quo moventur*

ea, quæ resiliunt à lævibus corporibus, cùm aliquis impulerit. Et cap.6.de sensu & sensibili: *Videtur autem*, inquit, *sonus esse motio cuiusdam, &c.* Et citato cap.de anim.text.87. hæc habet: *Siquidem sonus motio quædam aeris est*: & textu 89.definiendo vocem, quæ est quædam species soni, sic ait: *Vox est ictus* (sive motus) *aeris respiratione attracti ad eam partem, quæ arteria vocatur*: ergo ex mente Aristotelis, sonus non distinguitur à motu (videlicet aeris.)

Respondet D. Thomas hìc lect. 17. & 18. prædictas soni & vocis definitiones non esse formales, seu traditas per prædicata formalia ac intrinseca soni & vocis; sed esse duntaxat causales, id est, traditas per causam extrinsecam ac efficientem soni & vocis; quando etenim efficiens causa effectus, est longè notior prædicatis ejus formalibus, intrinsecis, & essentialibus; effectus ille convenienter definitur, vel potiùs describitur, per efficientem causam: causa verò efficiens soni, videlicet aeris & aliorum corporum sese collidentium motus, est aliquid nobis notius prædicatis formalibus, intrinsecis, & essentialibus ipsius soni.

Objic.2. cum Recentioribus plurima exempla, in quibus ex motu tremulo efficitur sonus. Inter illa exempla est notissimum campanæ exemplum; si etenim dum pulsatur campana, ipsi sic pulsatæ manum admoveas, motum in ea tremulum facilè senties, ex quo motu efficitur sonus.

Respondeo, ex hujusmodi exemplis solùm inferri posse, motum tremulum, v.g. campanæ, esse sonum efficienter, seu causaliter, quatenus efficit sive causat sonum; sed nequaquam inferri potest, motum illum tremulum esse formaliter sonum.

Ubi notandum est, motum campanæ non esse tremulum, eo modo, quo putant adversarii; putant quippe Cartheſiani, motum illum esse tremulum ex eo, quòd partes campanæ pulsatæ rece-

recedant à suo centro, & mox iterum ad illud accedant; quod utique non posse dici, suprà ostensum est. Ex eo itaque motus internus campanæ pulsatæ fit tremulus & reciprocus, quòd ab una parte campanæ pulsatæ ad aliam reciprocè reflectatur.

Instabis cum Cartheſianis: posito motu *illo tremulo*, ponitur sonus; & eodem motu sublato, sonus tollitur: ergo sonus formaliter in eo motu & veluti fremitu consistit. Respondeo distinguendo ant. posito illo motu tremulo, ponitur causaliter sonus (quatenus ponitur ejus causa, ex qua resultat;) & eodem motu sublato, sonus causaliter tollitur, (quatenus tollitur ipsius causa, à qua dependet) concedo: posito illo motu tremulo, ponitur formaliter sonus; & eodem motu sublato, sonus formaliter tollitur; adeò ut sonus formaliter & essentialiter in illo motu consistat, nego.

Instabis rursus: posito motu solo in corpore sonoro, & sublato omni alio ab illo motu *distincto*, ponitur & auditur sonus: ergo sonus in solo motu illo formaliter consistit. Conseq. patet. Prob. ant. dum digito internæ auris partes fricantur & moventur, magnus percipitur sonus; & tamen tunc solus partium internarum auris motus ponitur, sublato omni alio à motu illo distincto. Respondeo negando ant. ad cujus prob. concedo quidem, quòd dum digito internæ auris partes fricantur & moventur, tunc magnus percipiatur sonus; sed nego, quòd tunc solus partium internarum auris motus ponatur, sublato omni alio à motu illo distincto; reverà namque ex tali motu resultat qualitas sonora, (seu sonus) quæ à tali motu realiter distinguitur, quæque ab auditu percipitur.

Urgebis: dum fricantur & moventur aliæ corporis partes, non producitur qualitas sonora realiter à motu distincta: ergo similiter dum fricantur & moventur internæ auris partes, non pro-

producitur qualitas ſonora realiter à motu diſtincta. Reſpondeo negando pariratem; etenim aliæ corporis partes, propter nimiam carnis mollitiem, non ſunt ſonoræ; & ideò non eſt mirum, ſi dum fricantur & moventur, non producatur ſonora qualitas realiter à motu diſtincta: at internæ auris partes, cùm ſint cartilagineæ, ſunt ſonoræ; & quia ſunt aliunde prope tympanum poſitæ, dum fricantur & moventur, debent ſonoram qualitatem realiter à motu diſtinctam producere.

Objic. 3. ſi quis obturatas habeat aures, & ſuſpenſam teneat manu focariam forcipem, & deinde illa forcipe percutiat ligni focarii fulcrum, maximum & graviſſimum audiet ſonum; ut patebit experientia: ergo quia ſonus ille provenire non poterit, niſi ex motu, ſequitur ſonum provenire ex motu.

Reſpondeo, argumentum illud non militare contra ſententiam noſtram; non enim dicimus, ſonum non provenire ſeu non produci à motu, imò verò id concedimus; ſed dicimus ſolùm, ſonum non conſiſtere formaliter & eſſentialiter in motu.

Quòd ſi quæras, unde oriatur, quòd ille, qui obturatas habet aures, forcipe focaria percutiendo ligni focarii fulcrum, maximum & graviſſimum audit ſonum? Reſpondeo, id provenire ex eo, quòd dum ille forcipe, quam tenet manu, percutit fulcrum, motus à forcipe per manum & brachium, aliaſque corporis intermedias partes inter organum auditus, tranſit uſque ad ipſum auditus organum, graviterque percutit auris tympanum; ibique incluſus ille motus, ſæpè ſæpiùs reflectitur, & ex repetitis reflexionibus junctis cum gravi percuſſione tympani, oritur maximus & graviſſimus ſonus.

Objic. 4. ens ſucceſſivum, ſecundùm Philoſophos, adæquatè dividitur in tempus, & motum,

adeò

odeò ut omne ens successivum sit, vel tempus, vel motus : sonus verò non est ens permanens, sed successivum, ut experientia constat; & aliunde non est tempus : ergo debet esse motus. Respondeo cum distinctione; concedo namque, sonum esse motum concomitanter, quatenus habet concomitantiam, seu connexionem cum motu; sed nego, sonum esse motum formaliter : unde sonus est quidem ens successivum ratione motus, cum quo connectitur, non tamen ratione sui.

Objic. 5. si sonus non esset formaliter motus, maximè, quia est qualitas sensibilis, modo infrà explicando : atqui sonus non est formaliter qualitas sensibilis : ergo &c. Prob. min. omnis qualitas sensibilis, vel est prima, vel secunda : atqui sonus, nec est qualitas prima, nec qualitas secunda : ergo &c. Prob. min. & in primis sonus non est qualitas prima; quoniam secundùm Philosophos, qualitates primæ sunt tantùm quatuor, nimirum calor, frigus, humiditas, & siccitas. Sonus item non est qualitas secunda; etenim ex Philosophis, qualitas secunda debet fieri ex mixtione primarum qualitatum; non apparet autem, quonam modo sonus fiat ex mixtione primarum qualitatum, videlicet ex mixtione caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis.

Respondeo 1. quòd dum Philosophi cum Aristotele 2. de generat. dividunt qualitatem sensibilem in primam & secundam, non loquuntur de qualitate sensibili generaliter sumpta, sed de qualitate sensibili habente contrarium, sive habente aliam qualitatem sibi contrariam. Et in hoc sensu, verum est, omnem qualitatem sensibilem esse, vel primam, vel secundam. Cæterùm, præter sensibiles qualitates contrarias, dantur aliæ, quæ propriè, nec sunt primæ, nec secundæ, (seu ex mixtione primarum ortæ) & hujusmodi sunt lux, figura, sonus, &c.

Res-

Reſpondeo 2. conceſſa ma. negando minor. Ad cujus prob. data ma. nego min. quantùm ad ſecundam partem : quamvis etenim ſonus non fiat immediatè ex mixtione primarum qualitatum , nempè ex mixtione caloris , frigoris , humiditatis , & ſiccitatis ; fit tamen ex mixtione harum qualitatum mediatè , quatenus ſonus fit aut reſultat ex percuſſione corporum ſonororum , quæ ſunt mixta , & in quibus invenitur illarum qualitatum mixtio .

Objic. 6. Div. Thomas in hoc libro cap. 8. textu 79. lect. 16. dicit , ſonum in quadam mutatione , ſive motione , conſiſtere : ergo ſentit S. Doctor , ſonum in mutatione , ſive in motu , conſiſtere .

Reſpondeo , D. Thomam diſertè ibi docere , ſonum non conſiſtere formaliter in motu , ſed potiùs cauſari ex motu ; ſic enim loquitur : *Sonus autem cauſatur ex motu , & non habet eſſe fixum & quieſcens in ſubjecto , ſed in quadam immutatione conſiſtit* . Vult ergo duntaxat S. Thomas , quòd quia ſonus , propter conjunctionem cum motu tranſeunti , non habet *eſſe* fixum , ſed tranſiens ; idcircò ſonus , quantùm ad ſtatum , in quo exiſtit , eſt veluti mutatio , vel motus quidam tranſiens ; licèt ſecundùm naturam ſuam ſit qualitas permanens , cujus nimirum *eſſe* poteſt totum ſimul conſervari , per ſe loquendo , & ex genere ſuo .

§. IV.

§. IV.

De sono juxta Peripateticos, contrà Gassendum.

DOcent Gassendus & ejus discipuli, sonum nihil aliud esse, quàm corpuscula quædam certæ & determinatæ figuræ, quæ maxima velocitate translata à corpore resonante ad aurem, percutiunt organum auditus, & faciunt sensationem, quæ *Auditio* nuncupatur.

Sed hæc sententia atque doctrina facillimè refellitur. Nam in primis, corpuscula illa à corpore resonante translata ad aurem videntur chimærica. Deinde, esto dentur illa corpuscula à corpore resonante ad aurem convolantia, & percutientia organum auditus; sequitur quidem, quòd corpuscula illa causent vel efficiant sonum; non tamen, quòd sint formaliter *sonus ipse*: sicuti enim quod percutit tympanum militare, efficit quidem sonum, non est tamen formaliter ipse sonus; sic etiam quod percutit tympanum & organum auditus, causat quidem sonum, sed non est formaliter ipsemet sonus.

Denique, dum dicunt Gassendi discipuli, corpuscula illa facere sensationem; omninò falsum est: cùm enim sensatio sit actio vitalis vitalitate sensitiva, nequit fieri vel procedere nisi à principio vitali vitalitate sensitiva. Corpuscula verò illa (si dentur) non sunt vitalia vitalitate sensitiva; cùm procedant à corpore resonante, (v. g. à campana) quod non vivit vita sensitiva. Confutatis ergo Cartheſii & Gassendi sententiis. Cum Aristotele lib. 2. de anim. c. 8. text. 78. & 79. & Peripateticis communiter.

Dicendum est, sonum sic esse definiendum: *Sonus est qualitas sensibilis, à solo auditu percebtibilis, resultans ex forti percussione corporum sonororum, & resilientia medii.* Dicitur in primis

quæ-

qualitas ſenſibilis; quæ particulæ tenent locum generis, in quo ſonus convenit cum omnibus qualitatibus ſenſibilibus. Dicitur ſecundò, *à ſolo auditu percepsibilis*; in quo ſonus differt à cæteris qualitatibus ſenſibilibus. Dicitur tertiò reſultans *ex forti percuſſione*; quia non reſultat ſonus niſi ex colliſione corporum, quæ quidem colliſio debet eſſe fortis, ut medium reſiliat. Dicitur quartò, *ex percuſſione corporum ſonororum*; non enim quælibet corpora ſunt ad ſonum efficiendum apta; ut patet in lana, & ſpongia. Dicitur denique ſonus reſultare *ex reſilientia medii*; hinc enim oritur ſonus, quòd medium inter corpora collidentia ſeſe compreſſum, vi exire & reſilire cogatur.

Ex quo inferes, tria ad ſonum requiri corpora; videlicet duo ſeſe collidentia, & medium, quod debet reſilire. Hinc Philoſophus loco citato dicit, ſonum eſſe alicujus, (nempè corporis collidentis) ad aliquid, (id eſt, ad aliud corpus collidens) in aliquo (nimirum in corpore medio.) Neceſſe tamen non eſt, ut tria illa corpora realiter adæquatè diſtinguantur; nonnunquam enim idem corpus ſub diverſa ratione eſt ſimul corpus collidens, & medium reſiliens: ut patet, dum virgula aer percutitur; tunc etenim aer ſecundùm diverſas partes habet rationem corporis per virgulam colliſi, ipſamque mutuò collidentis, & medii reſilientis.

Ad corpora ſonora Philoſophus loco citato quatuor requirit conditiones. Prima eſt, ut ſint dura & ſolida; hinc lana, & ſpongia, non ſunt corpora ſonora. Secunda conditio eſt, ut corpora ſonora ſint polita; nam ſi ſint aſpera, aer intermedius non collidetur, ſed per partes illorum preſſiores fugiet, ſicque non fiet ſonus. Tertia conditio eſt, ut corpora ſonora ſint lata; alioquin non collidetur, ſed ſolùm dividetur aer, ſicque non producetur ſonus; eam ob cauſam, ſi acus apice aerem ferias, non edetur ſonus. Quarta con-

conditio est, ut corpora sonora sint cava, si de corporibus perfectiùs sonoris fiat sermo; ut enim corpora fiant perfectiùs sonora, debent multum aerem intercipere, diutiùs retinere, & sæpiùs repercutere; quod ut præstent sonora corpora, debent esse cava.

Duæ addi possunt aliæ conditiones ad meliùs sonandum. Prima est, ut corpus sonorum sit pensile, sicnamque meliùs agitat aerem; hinc campana suspensa meliùs sonat, quàm humi jacens. Secunda conditio est, ut corpora sint quodammodò aerea; hinc meliùs sonat argentum, quàm plumbum.

Causa soni quadruplex est, scilicet finalis, efficiens, formalis, & materialis. Causa finalis, seu finis soni, est auditio; sonus quippe ex sua natura tendit ad hoc, ut audiatur. Dici etiam potest, societatem hominum esse finem saltem remotum soni. Causa efficiens soni, sunt corpora sese collidentia; ut patet ex eo, quòd varietur sonus pro varietate illorum corporum, adeò ut ex sono colligere possimus, qualia sint corpora, quæ sese collidunt. Hinc sono dignoscuntur metalla; & meritò, nam ex effectibus dignoscuntur efficientes causæ. Formalis causa soni est ejus essentia; quod enim rem formaliter constituit, est ejus causa formalis; sonus autem constituitur formaliter per essentiam suam.

Circa causam materialem, seu circa subjectum soni, est aliqua inter Philosophos controversia. Quidam enim volunt, sonum subjectari in solo corpore intermedio. Alii volunt, illum subjectari etiam in corporibus sese collidentibus, dummodò sint sonora. Facilè tamen conciliari possunt duæ illæ sententiæ, dicendo, sonum ut proximè audibilem (id est, prout est in eo statu, in quo proximè potest species audibiles in auditum immittere) subjectari in solo corpore intermedio: attamen nihil impedit, ne dicamus, sonum secundùm naturam suam posse subjecta-

jectari etiam in corporibus ſeſe collidentibus, dummodò corpora illæ ſint ſonora: etenim, dum campana pulſatur, & per clavam ferream colliditur, campana colliſa verè & formaliter reſonat, proindèque formaliter habet ſonum in ſe ſubjectatum.

Unde ſimul triplex numero ſæpè efficitur ſonus; nimirum unus in corpore intermedio, & duo in duobus corporibus ſeſe collidentibus ſonoris; ita tamen, (ſicut jam dixi) ut ſolus ſonus, qui eſt in corpore intermedio, ſit proximè audibilis; ſoni verò, qui ſunt in duobus corporibus ſeſe collidentibus, ſint audibiles ſolùm remotè & mediatè. Sonus autem in corpore intermedio, & præſertim in aere, diffunditur ad aliquam diſtantiam, ad eam ſcilicet, ad quam pervenire poſſunt undæ aeris percuſſi; ſive meliùs diffunditur paulatim & multiplicatur, donec ad aures perveniat; eo penè modo, quo lapis, dum projicitur in mediam piſcinam, cauſat circulum, qui ſeſe paulatim diffundit ac multiplicat, donec marginem attigerit. Si ſono ſeſe diffundenti & multiplicanti corpus concavum occurrat, ſonus ipſe reflectitur & reciprocatur, non ſecus ac ſpecies viſibilis occurſu ſpeculi. Hinc oritur *Echo*, quæ nihil aliud eſt quàm ſoni reflexio & reciprocatio.

Sonus dividitur 1. à Philoſopho loco ſuprà citato, in ſonum actu, & ſonum potentia. Sonus actu eſt ipſe ſonus. Sonus autem potentia eſt virtus productiva ſoni, quæ in corpore ſonoro exiſtit. Sonus actu ſubdividitur ibidem in ſonum, qui eſt vox, & in ſonum, qui non eſt vox. Deſcribitur autem vox ab Ariſtotele ibidem: *Percuſſio aeris aſpiratione attracti ab anima, in his partibus, quæ ſunt circa aſperam arteriam, cum imaginatione aliquid ſignificandi.*

Præterea, ſonus dividitur ab eodem Philoſopho eodem loco, in acutum, & gravem. Sonus acutus eſt ille, qui brevi altè penetrat. Sonus ve-

rò

nrò gravis est, qui potiùs concutit, quàm penetrat.

Dividitur tandem in sonum directum, qui simpliciter dicitur *Sonus*, & in sonum reflexum, qui dicitur *Echo*, quæ contingit, quando sonus incurrit in aliquod corpus solidum, leve, & concavum, ab eoque, tanquam pila, repulsus, ad aures resilit, ita ut vocis responsum audiatur. Potestque ampliùs explicari comparatione, quam habet S. Thomas 2.de ani.c.8. text. 80. lect. 16. sicut enim quando lapillus in aquam, v.g. in puteum projicitur, expanduntur varii aquæ circuli usque ad lateras, unde revertuntur ad medium, ordine retrogradoo: ita dum vox aut sonus efficitur percussu aeris, aer ipse in gyrum movetur, & sonus undique in circulum diffunditur; quòd si in corpora solida, lævia, & concava incurrat, reflectitur ad aures, adeò ut sæpè vox eadem reddatur vicibus multis, si multa sint corpora concava juxta se posita, & ad reflectendum sonum idonea.

Medium verò auditus, per quod nempè soni, aut eorum species intentionales, ad auditum deferuntur, est aer, aut aliud corpus rarum & subtile ac facilè commovibile; tantò enim faciliùs medium defert sonum, quantò faciliùs à corporibus collidentibus sese, commovetur. Hinc pisces auditum habent obtusum; quia *medium* auditus piscium est longè crassius & minùs rarum, minùsque commovibile, quàm sit *medium* auditus animaliũ terrestrium; etenim *medium* auditus piscium, per quod nimirum soni & species eorum intẽtionales ad auditum piscium deferuntur, est aqua; *medium* verò auditus animalium terrestrium est aer; aqua autem est crassior, & minùs rara, minùsque commovibilis, quàm aer. Cæterùm sonus penetrat parietes, aliaque solidiora corpora, quatenus per eorum rimas tenui aere oppletas sese insinuat.

Articulus Sextus.

De Odoratu.

Eſſentia odoratus in eo poſita eſt, ut ſit potentia animæ ſenſitivæ, apta immutari ab odore, ejuſque perceptiva. Et de hoc nulla eſt controverſia; unde de illius organo, ſubjecto, objecto, & medio, agendum ſupereſt.

§. I.

De organo odoratus.

Organum odoratus partes externas habet, nec non internas. Inter externas illius partes occurrit primò naſus. Eſt verò membrum cartilagineum, partimque oſſeum; conſtatque tribus oſſibus, linguliſque, hinc inde; & tertio inter utrumque, quæ oſſa ad medium uſque tantùm ipſius feruntur.

Conſtat quoque naſus quinque cartilaginibus, quatuor muſculis, ſuiſque venis & nervulis. In facie ſitus eſt, protuberans ab internis oculorum angulis, acuto mucrone incipiens, & ad labiorum ferè principium deſinit. Eſt autem naſus duabus patulus viis, quæ *nares* dicuntur, aut *cavernæ* vel *feneſtræ*, & mucoris vehicula. Per illas etiam attractus aer, cerebro, pulmoni cordique communicatur; ſordes quoque à cerebro defluentes emunguntur.

Cartilago narem utramque diſcriminans, vocatur *diaphragma*, hoc eſt, interceptum, & interfecium, atque diſcrimen narium. Ea verò parte, qua exteriùs prominet, & labris vicina eſt, atque carnoſa, *columna* vocari ſolet. Summitas naſi, ob rotunditatem appellatur, *orbiculus*, ſive *globulus*. Tria naſi oſſa, ut ſuprà dictum eſt, ad medium ipſius terminantur, ejuſque cavi-

vitatem efformant. Reliqua quasi pars, cartilaginea est, ne si foret ossea, facilè frangeretur; sic etiam commodiùs emungitur, & ad respirationem facilè dilatatur. Membrana interior nasi crassa est, ut nares semper apertas teneat. Soli verò homini nasus altior eminet ad decorem, & in media facie conspicuus aliquid regium ostentat, nec non quandam imperandi solertiam præmittit.

Internæ autem nasi partes, duæ præcipuæ sunt; animirum *os*, quod *ethmoides* nuncupatur, & processus *mamillares*. *Os ethmoides*, id est, cribriforme, in media frontis basi situm est, & ad superiorem nasi radicem extensum, magnam cavitatis narium partem efformat. In duas præsertim partes dividitur: altera pars, quæ superior est, quæque instar cribri est perforata, *cribrosa* vocari soleet: illius autem foramina parva sunt & obliqua; parva quidem, ne corpus aliquod crassum in cerebrum irruat; obliqua verò, ne aer ipse confertim & recta cerebri ventriculos subiens sua illi frigiditate aut impuritate noceat. *Pars autem ejusdem* ossis inferior solet nuncupari *spongiosa*; quuoniam rara est, & pumicis instar aut spongiæ, laxa: in ea fumidæ odorum exhalationes alterantur, dum per varios amfractus oberrant, & proportionem aliquam acquirunt cum sensorio odoratus, id est, cum proximo ipsius subjecto, ne illius temperamentum corrumpant. Hinc patet, quis sit prædictorum foraminum usus; ut nempè aer, odor, & ipsius odoris species intentionales, sursum commeent, & fordes à cerebro deorsum transmittantur; sed inter illa omnia foramina, sunt duo meatus insignes, duabus naribus respondentes, & prædictis usibus deæstinati.

Processus mamillares, sunt nervi quidam mollissimi, exima parte superiorum cerebri ventriculorum seu sinuum orti, & usque ad *os ethmoides*, sive os cribrosum, propagati. In ejusmodi nervorum extremo, juxta os prædictum,

formantur duo tubercula, ſeu duæ caruncuiæ, id eſt, duæ ſubſtantiæ carnoſæ, nervorum naturam redolentes, & mammarum papillis ſimiles; quam ob cauſam, *caruncuiæ mamillares*, vel papillares, appellantur; ſunt autem ſpongioſæ, vaporoſæ, & ſpiritu plenæ. Illis caruncuiis addunt aliqui Philoſophi duas pelliculas cooperientes hujuſmodi caruncuias; eo ſimili modo, quo palpebræ cooperiunt oculos; quæ pelliculæ per inſpirationem elevantur, & aeri atque odoribus liberum hoc modo præbent tranſitum. In quam doctrinam inclinat Ariſtoteles lib. 2. de anim. c. 9. text. 100. & c. 5. de ſenſu & ſenſibili. Ex anatomia tamen non conſtat, dari illas pelliculas.

His præmiſſis & explicatis. Quærunt hic Philoſophi, in qua ex allatis & explanatis partibus ſubjectetur proximè odoratus, ſeu potentia olfactiva.

§. II.

De ſubjecto odoratus.

CIrca hanc difficultatem multiplex eſt authorum ſententia. In primis enim Galenus lib. 8. de uſu partium cap. 6. docet, proprium olfactus ſenſorium, ſeu ſubjectum proximum illius, eſſe cerebri ventriculos; ait enim ibi, ſolum ſenſorium olfactus intra cranium conſiſtere, nempè in ipſis anterioribus cerebri ventriculis. Et in lib. de inſtrumento odoratus idem docet. Averroes ponit olfactum in duabus pelliculis, de quibus ſuprà diximus. Valleſius verò, & alii, aſſerunt, naſum externum, aut nares, eſſe proprium odoratus ſenſorium.

Communis tamen apud Philoſophos ſententia docet, potentiam olfactivam ſubjectari in caruncuiis mamillaribus, id eſt, in duobus globuiis carneis, (qui ſunt in naribus (mamillarum extremitatibus ſimiiibus.

Ra-

Ratio est; quia ibi debet subjectari potentia olfactiva, seu odoratus, ubi fit odoratio; ex-primus autem, odorationem fieri in illis globulis carneis. Nec mirum, cùm enim globuli illi sint prope cerebrum, in quo prædominantur frigiditas & humiditas; sunt admodùm *humidi*, sicque aptissimi ad percipiendos odores, in quibus siccitas prædominatur; si etenim subjectum odoratus esset siccum, foret aliquo odore affectum, & ita non posset alios odores percipere: quoniam ex communi axiomate; *Intùs existens prohibet extraneum*.

Non subjectatur tamen odoratus in duobus illis globulis, ut disjunctis & separatis, sed prout per nervos, quorum sunt extremitates, circa cerebori ventriculos conjunguntur: sicut enim in uno animali est unicus numero visus, ita etiam debet esse unica numero potentia olfactiva, sive unicus numero odoratus; ac proinde non debet subjectari in *illis duobus globulis*, prout globuli illi *sunt duo subjecta disjuncta* & separata; sed potiùs prout modo dicto conjunguntur, & sunt unicum subjectum adæquatum.

Objicies hæc verba, quæ habet Aristoteles lib. 5. de generat. anim. cap. 2. *Quorum nares porrectæ sunt longiùs, ut catellorum laconicorum, hæc valent olfactu; ita enim motus non interpellantur, sed à longè directi sensorium subeunt integri*. Quibus verbis docere videtur Philosophus, nares esse sensorium olfactus seu odoratus.

Respondeo, sensum legitimum verborum Aristotelis esse, quòd animalia, quorum nares sunt longiùs porrectæ, (ut sunt catelli laconici) hæc valeant olfactu; non quia nares sint proprium olfactus sensorium sive subjectum, sed quia motus, quo odor ad olfactus sensorium defertur, minùs interpellatur, v. g. per ventum, vel per aliquid aliud hujusmodi: sanè, Aristotelem ibi non censuisse, nares esse proprium

olfactus ſenſorium, patebit, ſi verba illa, quæ allata ſunt, cum immediatè præcedentibus referamus: ſic igitur ait Ariſtoteles: *Quæ ante ſua ſenſoria partes habent productiores, hæc procul ſentire poſſunt; unde quorum nares porrectæ ſunt longius, &c.* His enim verbis clarè aſſerit, nares eſſe ante ſenſorium olfactus: proindèque cenſet, nares non eſſe proprium olfactus ſenſorium.

Inſtabis: ipſe Ariſtoteles lib. 1. de hiſtor. anim. cap. 11. loquens de naſo, ſic loquitur: *Olfactus quoque, id eſt, ſenſus odoris, hac eadem parte ſubminiſtratur.* Quibus verbis aſſerere etiam videtur, naſum eſſe ſenſorium olfactus. Reſpondeo negando, Ariſtotelem velle verbis allatis, naſum eſſe proprium olfactus ſenſorium; vult enim duntaxat, naſum ſubminiſtrare odores, vel eorum ſpecies intentionales olfactui, quatenus odores, vel ipſorum ſpecies intentionales, per naſum ad olfactum deferuntur.

Inſtabis iterum: Ariſtoteles lib. de ſenſu & ſenſato, lect. 5. apud D. Thomam, aſſerit, ſenſorium odoratus eſſe igneum; idemque docet D. Thomas ibidem: atqui caruncullæ mamillares non ſunt aliquid igneum: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. diſtinguendo min. licèt etenim caruncullæ mamillares non poſſint dici igneæ per naturam, quoniam revera non habent naturam ignis; attamen prout ſunt calefactæ & quodammodò exſiccatæ per calorem & ſiccitatem exhalationum deferentium odores, dici poſſunt igneæ per ſimilitudinem, eo quòd ignis calidus eſt, & ſiccus. Volunt ergo duntaxat Ariſtoteles & D. Thomas, quòd quia caruncullæ mamillares ex conjunctione cum cerebro, ex diſtillationibus ejus, fiunt nimiùm frigidæ, & humidæ, & veluti aqueæ; idcircò ut fiant ſenſorium odoratus proximè diſpoſitum ad percipiendos odores, debent per calorem & ſiccitatem exhalationum deferentium odores ad olfactum, fieri

rii quodammodò igneæ, id est, sufficienter calidæ & siccæ, ut percipere possint proximè odores, qui sunt calidi & sicci.

§. III.

De objecto odoratus, contra Cartesium & Gassendum.

ODorem esse objectum formale adæquatum odoratus, certum est apud omnes Philosophos: etenim objectum formale adæquatum alicujus potentiæ est id, quod ratione sui attingitur à potentia illa, quodque comprehendit quidquid ratione sui ab hujusmodi potentia attingi potest; ut docent communiter Philosophi: atqui odor ratione sui attingitur seu sentitur ab odoratu, ut constat; & insuper comprehendit quidquid ratione sui ab odoratu attingi vel sentiri potest, quia revera nihil ratione sui ab odoratu sentiri potest, nisi sit odor, vel odore affectum: ergo &c. In hoc omnes Philosophi conveniunt; at quid sit odor, non ita certum est.

Heraclitus quippe apud Aristotelem, cap. 5. de sensu & sensibili, docuit, odorem esse fumidam substantiam seu exhalationem, non verò accidens realiter à substantia distinctum. Eandem sententiam amplexus est Plato in Timæo, cum Galeno in lib. de olfactus instrumento, multisque aliis. Attamen, odorem esse accidens realiter à substantia distinctum, ex eo suadetur, quòd odoratus, sive potentia olfactiva, est accidens realiter distinctum à substantia, (ut patet ex dictis in q. 1. hujus partis) proindèque proprium & immediatum ac formale illius objectum debet quoque esse accidens realiter à substantia distinctum; ut sit debita proportio inter potentiam olfactivam, & ipsius objectum proprium, immediatum, ac formale: cùm ergo odor sit proprium; immediatum, ac formale potentiæ olfactivæ objectum;

aliqua corpuſcula ex ea exeuntia, ad invicem collidantur, mutentque figuram; ſed ex eo, quòd vi ſummi caloris Solis, materia illa putrida alteretur, adeò ut fiat in ea, nova primarum qualitatum mixtio, ex qua mixtione nova novus reſultat odor.

Objic. 4. Experientia conſtat, corpora odorifera majorem emittere odorem, quando maximus calor æſtuat, quàm quando maximum rigeſcit frigus; hoc autem aliunde oriri non poteſt, quàm ex eo, quòd maximus calor ſuo motu avellit à corporibus odoriferis plura variarum figurarum corpuſcula, quæ odoratus organum movent; frigus verò maximum præſtat contrarium: ergo debet odor in hujuſmodi corpuſculis formaliter conſiſtere.

Reſpondeo negando conſeq. quòd etenim corpora odorifera majorem emittant odorem, quando maximus æſtuat calor, quàm quando maximum frigus rigeſcit; id ex eo tantùm oritur, quòd maximus calor facit, ut dilatentur corporum odoriferorum pori, quibus dilatatis, faciliùs exeunt incluſæ exhalationes odoriferæ, quæ frigore maximo rigeſcente, exire nequaquam poſſunt, eò quòd frigore illo conſtringantur corporum odoriferorum pori.

§. IV.

De odore juxta Peripateticos.

ODor à Peripateticis (cum Ariſtotele lib. 2. de Anima cap. 9. & in lib. de ſenſu & ſenſibili cap. 5.) ſic definitur: *Odor eſt qualitas ſecunda reſultans ex certo primarum qualitatum temperamento, ſicco prædominante humido*. Odor dicitur; *qualitas*, videlicet tertiæ ſpeciei prædicamenti qualitatis, in qua collocantur omnes ſenſibiles qualitates. Dicitur præterea *qualitas ſecunda reſultans ex certo primarum qualitatum*

istum temperamento; id est, ex certa primarum qualitatum mixtione; reverà namque ideò *in diversis mixtis* sunt diversi odores, quia sunt in eis *diversæ* primarum qualitatum *mixtiones*. Hinc notat Aristoteles *In lib. de sensu & sensibili*, nullum *in elementis puris* reperiri odorem, *quia videlicet in elementis puris non invenitur quatuor primarum* qualitatum mixtio.

Additur tandem *in allata* odoris definitione, odorem resultare ex certo primarum qualitatum temperamento, *in quo* siccitas prædominetur humiditati; quoniam siccitas & calor sunt ipsa odoris radix: hinc æstivo tempore magis redolentes odoriferæ, quia tunc maximè vigent calor ac siccitas: hinc etiam maximè calidæ siccæque regiones, ut Arabia & Syria, optimos ferunt odores; rosæ quoquæ siccis collectæ temporibus suaviores efflant odores. *Dulcia autem* rarò *sunt odora, quia in eis prædominatur humiditas; quæque* odora *sunt, si humidiora evadant, inodora efficiuntur; ut frequentissima patet experientia.*

Cæterùm, *quamvis excellens siccitas* ad odorem requiratur, debet tamen jungi cum aliqua humiditate; ea etenim, quę penitùs arescunt & torrentur, omnem penitùs odorem amittunt; ut patet in cineribus ligni odoriferi: è contrà, quæ maximè arida sunt, si aliquo perfundantur humore, odorem emittunt; ut patet in terra, quando post diuturnam siccitatem, aqua pluviali modicè irrigatur.

Objic. 1. Moschus, & Zibettum, sunt corpora præstantissimi odoris; & tamen *in eis* non prædominatur siccitas, sed potiùs humiditas: siquidem Moschus conficitur ex sanguine cujusdam animalis vulpi similis; Zibettum verò generatur ex sudore quorundam fellum: in sanguine autem & in sudore, non siccitas, sed humiditas, prædominatur. Ambarum quoque, *(De l'Ambre Gris)* quod etiam excellentissimi est odoris, humiditate abundat, cùm in mari gignatur: ergo

non rectè dicitur in allata odoris definitione, eum reſultare ex primarum qualitatum temperamento, in quo ſiccitas prædominetur.

Reſpondeo, concedendo quidem, humorem prædominari in materia ex qua moſchus, zibetum, & ambarum, conficiuntur: at nego, prædominari humorem in moſcho, zibetto, & ambaro, ſi illa tria in ſe ipſis conſiderentur; etenim, ut patet ad ſenſum, moſchus, zibettum, & ambarum, ſunt corpora quædam valdè concreta, proindèque & valdè ſicca.

Objic. 2. experientia conſtat, balſamum, aquam roſaceam, & alios ſuccos ſtillatitios eſſe corpora maximè odorifera, & tamen in illis humiditas prædominatur: ergo ut corpus ſit odoriferum, neceſſe non eſt, ut ſit temperamenti, in quo ſiccitas prædominetur.

Reſpondeo, diſtinguendas eſſe partes diverſæ rationis in balſamo, aqua roſacea, & aliis ſuccis ſtillatitiis; quædam enim ſunt ſubtiliores & ſicciores, quæque in odoras exhalationes facilè rediguntur; & in ejuſmodi partibus proximè ſubjectatur odor: aliæ verò ſunt partes craſſiores & humidiores; & in iſtis partibus nequaquam proximè & immediatè ſubjectatur odor: ideòque ſemper verum eſt, corpus odoriferum, prout eſt proximum & immediatum odoris ſubjectum, debere eſſe temperamenti, in quo prædominetur ſiccitas.

Objic. 3. ſi odor oriri deberet ex majori & prædominante ſiccitate, ſapor, & odor, nunquam poſſent eſſe ſimul in eodem cibo: ergo, cum hoc repugnet experientiæ, odor nequaquam oriri debet ex majori & prædominante ſiccitate. Prob. ant. ex Ariſtotele lib. 2. de anim. cap. 9. text. 100. ſapor reſultat ex humiditate prædominante: ergo ſi odor oriri deberet ex majori & prædominante ſiccitate, ſapor, & odor, nunquam poſſent eſſe ſimul in eodem cibo; nunquam enim poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto, ſiccitas prædominans, & humiditas prædominans.

Reſ-

Respondeo distinguendo ma. si odor oriri de-
ceret ex majori & prædominante siccitate, sapor,
odor, nunquam possent esse simul, in eodem ci-
bo, secundùm easdem partes, concedo: sapor, &
dor, nunquam possent esse simul in eodem cibo,
secundùm diversas partes, nego; non repugnat
enim, in eodem cibo, esse quasdam partes subti-
liores, in quibus siccitas major sit humiditate; &
lias partes crassiores, in quibus prædominetur
umiditas: sicque minimè repugnat, saporem, &
dorem, simul esse in eodem cibo secundùm di-
versas partes; ita ut odor sit in cibo secundùm par-
es subtiliores & siciores, & sapor secundùm par-
es crassiores & humidiores.

Medium odoratus, per quod nempè odores, vel
orum species intentionales, ad odoratum defe-
untur, est aer, vel aqua. De aere, experientia
constat; etenim quotidiè experimur, nos per ae-
rem intermedium sentire odores, adeò ut odores,
vel eorum species intentionales, ad odoratum no-
strum deferantur. De aqua etiam clarum est; nam
pisces in aqua existentes percipiunt odorem ca-
daverum in aquam projectorum; quod utique non
fieret, nisi ad pisces, vel odoratum piscium, de-
ferrentur cadaverum odores, vel hujusmodi odo-
rum intentionales species.

Quantùm ad divisionem odorum. Alii odores
sunt suaves, alii acerbi, alii austeri, alii amari, &c.
Præterea, Philosophus in lib. de sensu & sensibi-
li, cap. 5. dividit odores in eos, qui propter se
expetuntur; quales sunt florum, & aromatum
odores: & in eos, qui expetuntur propter gustum;
cujusmodi sunt odores esculentorum & poculen-
torum. Inter illa duo odorum genera duplex
statuit discrimen ipse Philosophus. Primum est,
quòd odores, qui propter se expetuntur, sem-
per olfactui placeant; odores verò, qui expetun-
tur propter ventrem, non semper placeant; satu-
ratis quippe & ebriis, esculentorum & poculen-
torum odores nauseam pariunt. Secundum discri-
men

men eſt, quòd ſolus homo præ cæteris generis odores percipiat, quibus maximè recreatur; omnia verò ferè animalia percipiant ſecundi generis odores. Odor autem cibi, vel eſt purus & ſincerus, vel fœtidus. Si odor cibi purus eſt & ſincerus, ſalutaris ſapidique cibi ſignum eſt: ſi verò ſit fœtidus, eſt ſignum cibi nocivi; hinc odore examinantur cibi; hinc etiam ſupra os natura nares conſtituit, tanquam ciborum exploratrices, ut ſapidis & ſalutaribus ingreſſum permittant, nocivis verò nequaquam.

Odores etiam dividi poſſunt in ſimplices ſeu naturales, & in compoſitos ſeu artificiales. Odores ſimplices ſive naturales ſunt illi, qui à natura rebus quibuſdam inſiti ſunt: ejuſmodi ſunt odores violarum, roſarum, hyacinthorum, & ſimilium fragrantium. Odores verò compoſiti ſunt illi, qui ex mixtione ſimplicium odorum coaleſcunt; cujuſmodi ſunt odores, qui pigmentariorum arte procurantur.

Articulus Septimus.

De guſtu.

Eſſentia guſtus in eo ſita eſt, ut ſit potentia animæ ſenſitivæ ſaporum perceptiva. Præcipuum ejus ſenſorium eſt lingua: ut communiter cenſent Philoſophi, cum Ariſtotele lib. 1. de hiſt. Anim. cap. 11. & 15. nec non lib. 2. de partibus Anim. cap. 17. & lib. 4. cap. 11. & alibi; ſicut & medici cum Galeno lib. 11. de uſu partium cap. 10. & pluribus aliis in locis. Quia tamen lingua plurimis partibus conſtat; ut appareat, quæ in parte præcipuè ſubjectetur guſtus, de compoſitione linguæ aliqua ſunt dicenda.

§. I.

§. I.

De compositione linguæ.

LInguam à *lingendo* dictam existimat vulgus. Varro autem linguam dictam censet à *ligando*, eò quòd cibum liget; vel ex eo, quòd dentium vallo, quasi muro, ligata sit. Licet autem quædam habeat usus communes homini cum aliis animalibus, videlicet *saporum differentias percipere*, motu suo cibos in ore detinere, dentibus comminuendos subigere, & ad gulam deglutiendos transmittere: unus tamen linguæ usus præstantissimus, solique homini proprius, est formare sermonem, & litteras exprimere. Hinc *organum sermonis & locutionis* communiter nuncupatur.

Linguæ autem situs est omnibus conspicuus, *nimirum in ore*. *Est verò os cavitas quædam, seu quoddam foramen sub naribus constitutum, labiorum divisione formatum, recipiendo primum* alimento destinatum, in quo dentium opera masticatur, ut postmodum in ventriculum per gulam ingeratur. Inservit quoque os ad respirationem, naribus præsertim obturatis; nec non ad vocem locutionemque formandam. [illegible] à Græcis, vocatur *cœlum*; & à Latinis, *palatum*: quoniam dentibus, non secus ac palis, vallatum est: pars illa superior ex osse duro ac denso concameratur, tunica etiam vestitur crassa & [illegible] habet in extremo foramina quibus cum naribus societatem init, & cerebrum repurgatur. Illa verò pars inferior atque posterior, [illegible] capacitas, quæ, hiante ore, conspicitur, & [illegible] in summo gulæ sive fistulæ cibariæ, per quam nempè cibus & potus devorantur, & in stomachum trahuntur à Latinis *fauces* dicuntur. In faucibus autem sunt duæ glandulæ, quæ & *amygdalæ* nuncupantur, quæque saliva fauces & linguam perpetuò imbuunt.

Lin-

Lingua in ore velut in loco tutiſſimo collocata eſt, dentium vallo circumſepta, palato tanquam fortiſſima teſtudine atque fornice contecta, labiiſque licèt mollioribus veluti clypeo munita, ne vel leviſſimis hoſtium pateret incurſibus. Lingua figuram & magnitudinem habet, qua ori undique ſe applicare poteſt, & ciborum ingeſtionem juvare. Ut autem ad motum eſſet promptior, ex latiore baſi in acutum mucronem ſenſim deſinit. Carne conſtat molli, rara, ſpongioſa, & peculiari, qualem in reliquo corpore nullam reperias. Ipſam membrana tegit tenuiſſima, ori & palato communis. In linguam à cerebro deſcendunt duo nervi, qui in varios quaſi ramos diviſi, totam linguam permeant, & per palatum quoque ſparguntur. Unus eſt mollior, ut ſapores faciliùs percipiat: alter durior eſt, ut motui linguæ deſerviat. Sub lingua duæ majuſculæ venæ apparent, à jugulari exortæ, cum totidem arteriis. Accedunt muſculi decem, in dextram lævamque media linea diviſi, quibus ſurſum deorſum, antrorſum, retrorſum, & in latera, lingua movetur; & hæc omnia membrana tenuiſſima ambit toto ore diffuſa, linguæ, palato, & toti ori communis. In medio denique linguæ ſubjicitur ligamentum fortiſſimum, cujus extremitati adnaſcitur funiculus, quo tanquam fræno cohibetur à nimia volubilitate unde *linguæ frænulum* ſolet appellari.

Quantùm ad linguarum differentias. Homo habet linguam molliſſimam & admodùm latam. Piſces linguam habent duram & penè ſpineam, & ita adhærentem, ut interdum piſces carere lingua videantur. Vituli marini linguam biſulcam & veluti duplicem obtinent. Crocodilus fluviatili linguam habet nullam. Lacertæ linguam habent bifidam, & in extrema parte admodum piloſam. Serpentes bifidam etiam habent linguam, nec non tenuiſſimam, & ita longam, ut longè protrahere eam poſſint. Leonibus &

par-

Q[illegible] paris lingua est, [illegible] milis. Sed de [illegible]

§. [illegible]

De subjecto [illegible]

Dicendum [illegible] esse proximum [illegible] ctam. Siquidem [illegible] tè supra sensum [illegible] Philosophorum [illegible] ssus, sive [illegible] ssabilis [illegible] cutem linguæ & [illegible] medium [illegible] cibus & [illegible] [illegible] immediat. & [illegible] proximè ponitur supra cutem linguæ [illegible] & proximè [illegible] in cute [illegible] non sentirent [illegible] quod experientia repugnat.

Dicendum est [illegible] communiter [illegible] & proximè in carne linguæ [illegible] bus per linguam [illegible]

Ratio est [illegible] ximè subjectari in ea parte linguæ [illegible] ad sapores percipiendos [illegible] atqui hæc pars non est [illegible] sunt nervi molliores per [illegible] &c. Maj. est manifesta [illegible] resultet ex permixtione [illegible] quam humiditas præcominant [illegible] tebit) pars linguæ quæ ad percipiendum [illegible] aptior est, non debet esse [illegible] pere non posset humiditatem [illegible]

intus exiſtens prohibet extraneum: ut habet commune axioma) ſed debet eſſe maximè ſicca; caro autem, cùm ſit naturæ aereæ, eſt humida; aer namque humidus eſt, ut alibi explicatum: nervi verò, cùm ſint terreſtris naturæ, ſunt valdè ſicci, ſicut & terra valdè ſicca eſt.

Notat tamen Ariſtoteles 1. de hiſt. Animal. cap. 11. & lib. 2. de partibus Anim. cap. 17. acriorem eſſe vim guſtandi in acumine linguæ; quia nimirum ea linguæ pars eſt mollior, & nervi ſunt etiam molliores ibi; in radice verò linguæ duriores ſunt ipſi nervi, & ita ad guſtandum ſunt ineptiores; prætereàque nimio humore, nimiaque ſaliva, qua ibi lingua perfunditur, vis guſtativa hebetatur. Extenditur quoque guſtus ad palatum; ut docet Philoſophus, lib. 2. de partibus Animal. cap. 17. idque experimur; nec mirum, quia molliores nervi, qui ſunt immediatum & proximum guſtus ſubjectum, per palatum quoque diffunduntur.

Dices 1. ex Ariſtotele variis in locis, omnes ſenſus ſunt in corde: ergo ſenſus guſtus non ſubjectatur in nervis mollioribus per linguam ſparſis. Reſpondeo diſtinguendo ant. ex Ariſtotele variis in locis, omnes ſenſus ſunt in corde radicaliter, concedo; etenim omnes ſpiritus animales, quibus omnes ſenſus roborantur, & ad ſentiendum applicantur, à corde velut à radice procedunt: ex Ariſtotele variis in locis, omnes ſenſus ſunt in corde ſubjectivè, id eſt, tanquam in ſubjecto immediato, & proximo, nego.

Dices 2. ſi nervi molliores per linguam ſparſi, forent proximum guſtativæ potentiæ ſubjectum; maximè, quia nervi illi ſunt valdè ſicci; ſubjectum verò proximum potentiæ guſtativæ debet eſſe maximè ſiccum: atqui hæc ratio nulla eſt, vel etiam falſa: ergo &c. Prob. min. ſi proximum potentiæ guſtativæ ſubjectum deberet eſſe valdè ſiccum, non indigeret humore ad percipiendos ci-

bos:

bos: atqui ſubjectum proximum potentiæ gustativæ indiget humore, nempè [illegible] dos cibos; ut docet Ariſtoteles in [illegible] & patet experientia: ergo &c. R. [illegible] maj. negando min. quòd enim [illegible] væ potentiæ indigeat humore, [illegible] non ſit per ſe, ita ut ſubjectum potentiæ gustativæ per ſe & ratione ſui indigeat illo humore, [illegible] per accidens, nimirum ratione ciborum, qui cum ſint interdum nimiùm ſicci, indigent ſaliva, ut ea diluantur. Dici etiam potèſt, ſalivam non ſe tenere ex parte ipſiuſmet ſubjecti proximi gustus; ſed ex parte membranæ, vel etiam ex parte carnis, quæ involvitur proximum ſubjectum guſtus; videlicet quæ involvuntur molliores nervi, qui ſunt proximum guſtus ſubjectum.

Medium guſtus duo includit, nempè cutem & carnem linguæ. Etenim medium guſtus, eſt id, per quod ſapores, vel eorum ſpecies intentionales, ad guſtum deferuntur: atqui per cutem & carnem linguæ, ſapores, vel eorum ſpecies intentionales, ad guſtum deferuntur; ut experientia conſtat; ergo &c.

§. III.

De objecto guſtus.

CErtiſſimum eſt apud omnes, ſaporem eſſe objectum formale adæquatum guſtus. Siquidem objectum formale adæquatum alicujus potentiæ eſt id, quod ratione ſui attingitur ab illa potentia, quodque comprehendit quidquid ratione ſui attingi poteſt ab illa potentia: atqui ſapor ratione ſui attingitur ſive guſtatur à gustu, ut patet; & inſuper ſapor comprehendit quidquid ratione ſui à guſtu attingi poteſt vel gustari, cum guſtus nequeat attingere vel gustare, niſi ſaporem, vel id, quod afficitur ſapore: ergo &c.

Qui

Quid autem ſit ſapor, non ita certum eſt; ut ſtatim patebit. Carteſius namque docet, ſaporem non eſſe aliquod accidens ſimplex, realiter à ſubſtantia cibi & potus diſtinctum; ſed aſſerit, ſaporem formaliter conſiſtere in variis partibus ſubſtantialibus, cibum vel potum componentibus. Hinc aſſeverat, in diverſis cibis diverſos eſſe ſapores; quatenus cibi illi componuntur ex diverſis partibus ſive corpuſculis diverſas figuras habentibus, quæ ſi acutæ & rudes ſint, linguam acriter tangunt, & ſaporem atque aſperum conſtituunt: ſi verò illorum corpuſculorum figuræ leves ſint & ſuaves, leviter linguam attingentes, ſuavem & gratum conſtituunt ſaporem. Cum opinione Carteſii convenit opinio Gaſſendi docentis ſimiliter, ſaporem formaliter conſiſtere in quibuſdam corpuſculis diverſas figuras habentibus.

Hæc tamen Carteſii & Gaſſendi opinio multipliciter confutari poteſt. Nam in primis potentia guſtativa eſt accidens aliquod realiter à ſubſtantia diſtinctum; ut oſtenſum eſt in quæſtione prima hujus partis; ac proinde proprium, & immediatum, ac formale ejus objectum debet quoque eſſe accidens realiter à ſubſtantia diſtinctum, ut ſit debita propoſitio inter potentiam guſtativam, & ejus objectum proprium, immediatum, ac formale: cùm igitur ſapor ſit proprium, & immediatum, ac formale objectum guſtativæ potentiæ; ut probatum eſt; ſequitur, ut ſapor ſit aliquod accidens realiter à ſubſtantia diſtinctum, nempè aliqua qualitas ſimplex realiter à ſubſtantia diſtincta in cibo & potu.

Præterea, potentiæ ſimplici debet objectum ſimplex correſpondere; cùm ergo guſtus ſit potentia ſimplex, debet objectum ſimplex ipſi correſpondere; proindeque ſapor, qui eſt proprium guſtus objectum, non debet eſſe aliquid ex variis partibus ſubſtantialibus, ſive ex diverſis corpuſculis, aggregatum; ſed potiùs debet

eſſe

esse qualitas simplex, modo infrà exponendo.

Denique acriter, vel leviter tangere, nequit convenire, nisi objecto tactus; ac proinde corpuscula acriter, vel leviter tangentia, nequeunt constituere proprium objectum gustus, nempè saporem: confutata igitur Cartesii & Gassendi opinione.

Sic potest definiri sapor, cum Aristotele ca. 4. de sensu & sensibili, ac Peripateticis communiter: *Sapor est qualitas secunda, ex primarum qualitatum commixtione orta, in qua sicco terrestri humidum aqueum prædominatur; hæc decoquente & permiscente calore; gustus immutativa.* Explicatur hæc saporis definitio. Et primò quidem sapor dicitur *qualitas*, videlicet sensibilis, (pertinens nempè ad tertiam speciem prædicamenti qualitatis, quæ omnes qualitates per se sensibiles comprehendit (ut in Logica dictũ est) reipsa enim per se sentitur à gustu. Sapor præterea dicitur qualitas *secunda ex primarum qualitatũ commixtione orta*; reverà etenim idcircò in diversis mixtis sunt diversi sapores, quia sunt in eis diversæ primarum qualitatum commixtiones. Hinc in Elementis puris nullus sapor reperitur, eò quòd nulla in Elementis puris invenitur primarum qualitatum commixtio. Sapor dicitur insuper oriri ex primarum qualitatum commixtione, in qua sit aliqua siccitas; quoniam siccitas est una ex primis qualitatibus, proindèque reperiri debet ubi est omnium primarum qualitatum commixtio. Siccitas tamen, ex qua resultat sapor, non debet esse ignea, sed terrestris; quia siccitas ex qua resultat sapor, debet esse ad nutriendum apta, sapor quippe est in cibis, qui ad nutritionem pertinent. Siccitas verò ignea, utpotè in tenuissima materia collocata, non est ad nutriendum apta: benè tamen terrestris siccitas, quæ longe crassior est & ita ad nutriendum aptior.

Additur, saporem resultare ex primarum qualitatum commixtione, in qua sicco prædominetur

humidum: quoniam hæc eſt propria ſaporis ab odore differentia, quòd odor reſultet ex primarum qualitatum commixtione, in qua ſiccum prædominetur humido; è contrà verò, ſapor reſultet ex ea primarum qualitatum commixtione, in qua ſicco prædominetur humidum. Hoc tamen humidum non debet eſſe aereum, ſed aqueum; quoniam humiditas aerea, utpotè in materia admodùm tenui & rara poſita, non eſt ad nutriendum apta; benè tamen humiditas aquea: utpote, quæ in materia longè craſſiori atq; denſiori eſt collocata.

Requiritur etiam ad ſaporem generandum calor, qui ſiccum humidumque decoquat, aptèque permiſceat; unde frigus inimicum eſt ſaporis, ut patet in omnibus locorum frigidorum fructibus, qui amariores ſunt; calidorum verò locorum fructus ſunt dulciores, quia eis in locis humidum calore concoquitur, eoque cum ſicco debitè permixto, ſapor reſultat. Denique dicitur in præfata definitione, ſaporem eſſe qualitatem guſtus immutivam, quoniam ſapor immittit ſui ſpeciem intentionalem in guſtum, qua ſpecie guſtus intentionaliter immutatur.

Dices 1. Cineres, piper zingiber, (*Dugimgembre*) & ſimilia corpora, ita ſe habent, ut in ipſis ſiccum prædominetur humido; & tamen corpora illa ſunt ſapida: etenim cineres ſunt amari, piper verò & zingiber, ſunt ſaporis acuti: ergo falſum eſt, ſaporem oriri ex ea primarum qualitatum commixtione, in qua humidum prædominetur ſicco. Reſpondeo diſtinguendo ant. concedo enim, illa corpora eſſe ſapida; at non prout in ipſis ſiccum prædominatur humido, ſed prout per ſalivam humectantur, & prout in illis ſic humectatis humidum prædominatur ſicco.

Dices 2. fames definitur ab Ariſtotele 2. de Anim. c. 3. Text. 28. *Appetitus calidi & ſicci*: ergo cùm fames ſit appetitus ſapidi, debent in ſapido calidum & ſiccum prædominari.

Reſpondeo diſtinguendo conſequens: ſa-

pidum

pidum quippe duobus modis considerari potest; nempè vel prout est nutritivum, vel prout est sapidum. Si consideretur formaliter ut est nutritivum, id est, formaliter prout est reparativum substantiæ viventis, (quæ à calore naturali continuò depascitur) dici potest calidum & siccum, saltem si sapidum, seu cibus sapidus, comparetur cum potu, cujus sitis est appetitus; etenim si cibus comparetur cum potu, semper cibus est aliquo modo calidior & siccior; potus verò semper est frigidior & humidior: hinc definitur sitis ab Aristotele loco citato: *Appetitus frigidi & humidi*. Si autem consideretur sapidum formaliter ut sapidum est, sic sumptum est magis humidum, quàm siccum, sive in eo humidum prædominatur sicco. Fames itaque est appetitus calidi & sicci; quia non est appetitus sapidi formaliter, ut sapidum est, sed formaliter prout nutritivum est.

Circa numerum specierum saporis non convemiunt authores. Galenus enim lib. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus, Ac. 10. ponit novem saporum species: nempè saporem acutum, amarum, salsum, acetosum, stypticum; (id est, astringentem, sive austerum) ponticum, (id est, acerbum) pinguem, dulcem, & insipidum.

Aristoteles verò cap. 4. de sensu & sensibili; nec non lib. 2. de Anim. cap. 10. Textu 105. octo dumtaxat numerat saporum species: nimirum saporem dulcem, amarum, pinguem, salsum, acrem, austerum, acerbum, & acidum. Quibus addi potest acutus. Sapor dulcis reperitur in melle, saccharo, &c. sapor amarus invenitur in felle, absynthio, &c. sapor pinguis est in butyro, casseo, &c. sapor salsus est in sale, aqua marina, &c. sapor acerbus occurrit in pomis immaturis, &c. acutus sapor reperitur in oleis, sapor acidus invenitur in aceto: &c. & sapor acer est in pipere, &c. austerus sapor occurrit in pomis non planè maturis.

Di-

Dividi etiam poteſt ſapor in ſimplicem, ſeu naturalem; in compoſitum, ſeu artificialem. Sapor ſimplex eſt ſapor naturalis unicę rei, v.g. naturalis ſapor pomi. Sapor verò compoſitus, ſeu artificalis, eſt ille, qui ex multis aliis ſimplicibus ſaporibus coaleſcit, qualis eſt obſoniorum ſapor.

Articulus Octavus.

De tactu.

Eſſentia tactus in eo eſt poſita, ut ſit potentia animæ ſenſitivæ, qualitatum tactilium, & præſertim quatuor primarum, (videlicet caloris, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis) perceptiva: & de hoc nulla eſt controverſia. Unde de ejus ſubjecto, objecto, medio, nec non ipſius à guſtu diſtinctione, duntaxat ſupereſt diſputandum.

Dico: proximum & immediatum ſubjectum tactus, ſunt nervi per totum corpus diſperſi, & veluti rete, in varia filamenta & ramos diſtincti.

Hanc concluſionem docent non modò Thomiſtę, ſed etiam Philoſophi communiter: imò & medici, cum Galeno lib. 1. de uſu partium cap. 16. & 18. nec non lib. 2. de temperamentis ca. 10. aliiſque in locis, contra Alexandrum, Philoponum, Avicennam, Averroem, & alios plures antiquos aſſerentes, proximum & immediatum tactus ſubjectum non eſſe nervos totum per corpus diſperſos, ſed carnem totum per corpus diffuſam, Eſt etiam eadem concluſio contra Suarem, Toletum Pontium, Averſam, & alios recentiores non paucos, aſſerentes, potentiam tactivam, ſeu tactum proximè & immediatè ſubjectari, non in nervo, vel in carne ſolùm, ſed & in quavis parte vivente; exceptis quibuſdam, quæ ob terreſtrem nimis concreationem, aliaſque diſpoſitiones, quas ineptitudo ad ſentiendum ſequitur, non ſunt aptæ ad ſentiendum, ut ſunt oſſa, ſpina dorſi, medulla, cerebrum, &c.

Prob. 1.

Prob.1. ex Aristotele 2. de anim. c.11. textu 109. & 116. ubi sic loquitur: *Patet, instrumentum sensus ipsius, quo res percipiuntur tangibiles,* (qui sensus est ipse tactus) *intùs esse collocatum; nam si sensus sensorio imposita non sentit, quare ipsa caro medium est in tactu.* Quibus verbis docet, carnem esse duntaxat medium tactus, non verò ejus sensorium, sive subjectum ipsius proximum & immediatum: caro autem nequit esse medium tactus: nisi ex eo, quòd species intentionales qualitatum tangibilium deferantur per carnem ad tactum subjectatum *in nervis* per carnem dispersis.

D.Thomas etiam exponens præfata Aristotelis verba, lect.22. sic fatur: *Non enim sentiunt animalia sensibilia apposita supra organum sensus; sentiunt autem sensibilia posita supra carnem; quare manifestum est, quòd caro non est organum* (seu subjectum proximum & immediatum) *sensus,* (videlicet tactus) *sed medium.* Ubi explanat & confirmat id, quod docuerat Aristoteles verbis allatis.

Prob.2. ubi nervi abundant, ibi viget tactus, ut in vola manus, & in pulpis digitorum; ubi verò nullus est nervus, ibi nullus est tactus, ut in ossibus & in pulmonibus: ergo signum est evidentissimum, tactum in solis nervis proximè & immediatè subjectari. Hinc læso aliquo nervo, omnes partes, ad quas ille nervus ramos mittebat, tactu destituuntur, hinc etiam vulnera, quæ propè nervos infliguntur; dolorem majorem inferunt. Sanè, ut ait egregiè D.Thomas cap.2. de sensu & sensibili lect. 5. cùm tactus debeat pati à calore, frigore & aliis qualitatibus activis, debet proximum & immediatum tactus subjectum sapere naturam illius elementi, quod inter alia elementa est magis passivum, & minùs activum; unde cùm elementum terræ sit, inter alia elementa, magis passivum, & minùs activum, utpotè magis crassum, debet proximum & immediatum tactus subjectum sapere naturam terream: ut

autem docent communiter Philoſophi & Medici, nervi ſapiunt naturam terream; ſicuti caro ſapit naturam aeream, eo quòd ſit calida & humida, ſicut aer.

Objic.1. Ariſtoteles lib.1. de Hiſtor. Animal, cap.4. ſic loquitur: *Tactus itaque in parte ſimilari corporis conſiſtit; ut carne.* Quod repetit aliis in locis. Reſpondeo cum diſtinctione: concedo namque, tactum conſiſtere, ſeu ſubjectari quidem in carne; at non ratione ipſius carnis, ſed ratione nervorum in ipſa carne incluſorum.

Inſtabis: Ariſtoteles lib.1. de Ani. cap.5. textu 79. ſic ait: *Quæcumque inſunt in animalium corporibus ſimpliciter terreſtria, ut oſſa, nervi, pili, nullam rem ſentire videntur*: ſi autem nervi nullam rem ſentiunt: ergo non ſunt proximum & immediatum tactus ſubjectum, quod ſentire debet tangibiles qualitates.

Reſpondeo etiam cum diſtinctione: concedo namque, nervos maximè terreſtres animalium, maximèque duros, craſſoſque, non ſentire; benè tamen nervos molliores, qui cum carne permiſcentur, quique ab illa imbuuntur debito humore, & per ſpiritus animales calefiunt.

Objic.2. multæ ſunt animalis partes, in quibus nullus eſt nervus, in quibus tamen eſt tactus: ergo tactus non ſubjectatur in nervis, Prob. ant. in corde, in jecore, in pelle, in pericranio capitis, in venis, &c. nullus eſt nervus; & tamen in illis eſt tactus, cùm dolorem ſentiant. Reſpondeo negando ant. licèt enim in ejuſmodi partibus non ſint nervi craſſiores, ſunt tamen in illis nervi tenuiores & ſubtiliores, vel veluti quidam nervorum ramuſculi.

Proprium ſobjectum tactus, ſunt quatuor primæ qualitates, videlicet calor, frigus, humiditas, & ſiccitas. Ratio hujus eſt; quia objectum proprium tactus eſt id, quod ratione ſui tangitur: experientia autem conſtat, quatuor primas qualitates ratione ſui tangi. Tactus autem verſatur

cir-

circa gravitatem, levitatem, asperitatem, lævitatem, duritiem, molitiem, craſſitiem, tenuitatem, viſcoſitatem, ariditatem, & ſimiles qualitates, tanquam circa ſenſibilia communia.

Docet verò Ariſtoteles lib. 2. de Anim. tactum ſentire duntaxat exuperantias qualitatum tangibilium, id eſt, eos tantùm gradus, quibus organum tactus ſuperatur à qualitatibus. Hinc cùm habemus calidiores manus, non ſentimus manum alterius hominis minùs calidam. Ratio autem hujus doctrinæ eſt, quia organum ſenſus debet carere qualitatis gradu, quem percipit; etenim ex communi axiomate, *Intus exiſtens prohibet extraneum*: ergo organum tactus percipere non poteſt qualitates tangibiles in eo gradu, quo illas habet; ſed tantùm in aliis gradibus, quibus ſuperatur.

Quòd ſi quæras, quomodo diſtinguantur guſtus, & tactus? Reſpondent communiter Philoſophi, guſtum, & tactum, diſtingui ſpecificè & realiter: Etenim eæ potentiæ diſtinguuntur ſpecificè & realiter, quæ habent diverſa objecta formalia; quandoquidem (ut alibi probatum eſt) potentiæ ſpecificantur ab objectis formalibus, à quibus proinde deſumitur diſtinctio realis ſpecifica potentiarum; atqui guſtus, & tactus, habent diverſa objecta formalia: ergo &c. Min. ex eo facilè ſuadetur, quòd objectum formale guſtus eſt ſapor; objectum verò formale tactus, ſunt quatuor primæ qualitates: ergo guſtus & tactus habent diverſa objecta formalia.

Deinde, ſi guſtus & tactus eſſent realiter idem ſenſus, ſequeretur, quòd ſicut tactus eſt in pedes, ita & guſtus, quando etenim duo aliqua realiter identificantur, ubi eſt unum, ibi ſit & alliud neceſſe eſt: abſurdum autem eſt, dicere, guſtum eſſe in pede; alioquin homo guſtare poſſet im pede.

Dices 1. Ariſtoteles variis in locis aſſerit, gu-

ſtum eſſe tactum, & objectum guſtus eſſe tangibile: ergo guſtus & tactus non ſunt duo realiter diſtincti ſenſus.

Reſpondeo diſtinguendo: tactus enim duobus modis ſumi poteſt, videlicet vel ſtrictè, vel latè. Tactus ſtrictè ſumptus eſt potentia per ſe primò ordinata ad percipiendas primas qualitates; tactus verò latè acceptus eſt ea potentia ſenſitiva externa, quæ non poteſt percipere niſi objectum, quod ſecundùm ſuam entitatem phyſicam tangat eam corporis partem, in qua eſt proprium organum. Guſtus ergo eſt tactus, non ſtrictè, ſed latè uſurpatus; quatenus non poteſt percipere ſaporem cibi, niſi cibus ſecundùm phyſicam entitatem ſuam tangat linguam, in qua eſt proprium organum guſtus.

Similiter tangibile ſumi poteſt ſtrictè, vel latè. Strictè ſumptum tangibile comprehendit ſolas primas qualitates; latè autem acceptum eſt id, quod ſentiri non poteſt, niſi ſecundùm ſuam entitatem phyſicam tangat partem corporis, in qua eſt proprium organum ſenſus: objectum itaque guſtus eſt tangibile, non ſtrictè ſumptum, ſed latè uſurpatum, quatenus ſapidum, quod eſt ipſum guſtus objectum, ſentiri nequit, niſi ſecundùm entitatem ſuam phyſicam tangat linguam, in qua eſt organum guſtus.

Dices 2. Illi ſenſus non diſtinguuntur, qui habent idem organum: atqui guſtus, & tactus, habent idem organum: ergo &c. Ma. videtur manifeſta: Prob. min. proprium guſtus organum, ſunt nervi molliores per linguam ſparſi: atqui hi nervi ſunt etiam organum tactus, quandoquidem tactus eſt in ejuſmodi nervis, ſicut & in aliis nervis corporis; ut ex dictis conſtat: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. illi ſenſus non diſtinguuntur, qui habent idem formaliter organum, concedo, qui habent idem materialiter organum, nego: licèt autem guſtus, & tactus, poſſint

in

in eodem materialiter organo ſubjectari, nempè in iiſdem materialiter nervis mollioribus per linguam ſparſis; nequeunt tamen ſubjectari in eodem formaliter organo, nempè in iiſdem nervis formaliter ſumptis, id eſt, acceptis ſub eodem reſpectu formali: nam guſtus eſt in nervis mollioribus *per* linguam ſparſis, prout habent formalem reſpectum ad intentionales ſaporum ſpecies recipiendas, & ad ipſos ſapores percipiendos: tactus verò eſt in iiſdem nervis, ſicut & in aliis nervis *per totum* corpus diſperſis, prout habent formalem *reſpectum* ad *intentionales* quatuor primarum *qualitatum* ſpecies recipiendas, & ad iiſtas *qualitates* ſentiendas.

Dices 3. Si guſtus, & tactus, eſſent ſenſus ſpecificè diſtincti, guſtus non poſſet percipere objectum tactus; ut patet: atqui guſtus percipere poteſt objectum tactus: ergo &c. Prob. min. humiditas, ſive humor, eſt proprium objectum tactus; ut patet ex dictis: atqui guſtus percipere poteſt humorem; ergo &c. Prob. min. 1. ex Ariſtotele hic cap. 10. textu 101. ubi ſic ait: *Corpus, in quo, tanquàm in materia, eſt ipſe ſapor, qui guſtu percipitur, humidum eſt*. 2. Prob. eadem min. ratione: etenim guſtus percipit aquam, ut experientia patet; non percipit autem ejus ſaporem, quia aqua nullum habet ſaporem: ſupereſt ergo, ut percipiat humorem ejus & frigus.

Reſpondeo conceſſa ma. negando iterum min. ad 1. *ejus* prob. conceſſa etiam ma. nego *iterum* min. Ad 1. ejus prob. ex Ariſtotele deſumptam; dico, Philoſophum allatis in verbis ſolùm velle, ſaporem, qui guſtu percipitur, eſſe in corpore humido, tanquam in materia, ſeu tanquam in ſubjecto. Ad 2. prob. min. Reſpondeo, quòd ſi aqua ſit pura & omni ſapore careat, non percipietur à guſtu, ſed ſolùm à tactu, tanquam humida & frigida: ſi verò non ſit pura, ſed aliquo modo mixta, & aliquo ſapore imbuatur, tunc guſtus

percipiet quidem illius aquæ ſaporem; non tamen vel frigus, vel humorem.

Articulus Nonus.

De Senſibus internis.

QUoniam ſingulari nexu ſenſus externi cum internis connectuntur, adeò ut ſenſus externi ſint veluti fores ad internos; idcircò poſtquàm de ſenſibus externis egimus fusè, ſequitur immediatè, ut de ſenſibus internis diſſeramus. Quatuor autem ſenſus interni admitti ſolent; videlicet ſenſus communis, phantaſia, æſtimativa, & memoria. De quibus ſigillatim eſt diſputandum.

§. I.

De ſenſu communi.

DIcendum eſt, dari ſenſu communem, qui ſit potentia realiter à ſenſibus externis diſtincta. Quòd in primis detur ſenſus communis, ſic declaratur: nomine *ſenſus communis* intelligunt Philoſophi potentiam per ſe primò ordinatam ad diſcernendum inter propria ſenſuum externorum objecta, dum actu ab hujuſmodi ſenſibus percipiuntur: atqui datur in nobis, & in aliis animalibus perfectis, potentia per ſe primò ordinata ad diſcernendum inter propria ſenſuum externorum objecta, dum actu ab ejuſmodi ſenſibus percipiuntur: ergo &c. Prob. min. experientia patet, quòd dum actu comedimus pomum, diſcernamus inter colorem, qui ſentitur à viſu; ſaporem, qui ſentitur à guſtu; odorem, qui ſentitur ab olfactu; frigiditatem, humiditatem, calorem, & ſiccitatem, quæ ſentiuntur à tactu; & ſonum, qui ſentitur ab auditu: proindèque datur in nobis potentia aliqua ex proprio munere, ſive

per

per se primò ordinata ad discernendum inter illa objecta, dum actu à sensibus externis sentiuntur. Si autem hæc potentia datur in nobis, datur & in aliis animalibus perfectis; quoniam ex rei veritate, omnes potentiæ sensitivæ, quæ sunt in nobis, in animalibus perfectis etiam inveniuntur.

Quòd verò potentia illa sit realiter à sensibus externis distincta, sic prob. potentia, quæ discernit inter omnia sensuum externorum objecta, debet omnia sensuum externorum objecta percipere; neque enim potentia aliqua potest inter objecta plurium potentiarum discernere, nisi omnia illa objecta possit percipere, & unum cum alio conferre: atqui potentia, quæ percipit omnia sensuum externorum objecta, realiter à sensibus externis distinguitur; cùm nullus sensus externus possit percipere omnia sensuum externorum objecta: ergo &c.

Appellatur verò illa potentia, *sensus communis*; quoniam est commune receptaculum ac velut centrum specierum intentionalium omnium sensuum externorum, quibus omnia eorum objecta percipit, discernendo inter illa, dum ipsa singula à singulis sensibus externis actu percipiuntur. Unde quodlibet *sensibile proprium*, quod est objectum totale & adæquatum unius sensus externi, est duntaxat objectum partiale & inadæquatum sensus communis, adeò ut objectum ipsius totale & adæquatum omnia sensibilia externa complectatur. Ita autem sensus communis, & sensus externi in suis functionibus sive operationibus ab invicem dependent, ut sensus communis, eo quòd resideat in anteriori parte cerebri, ubi radicantur omnes nervi sensorii, se habeat ut origo omnium sensuum externorum, distribuens illis virtutem, mediis spiritibus animalibus, ad suas operationes exercendas: è contra verò sensus externi mediis sensationibus suis immittunt species intentionales sensibilium externorum

ad ſenſum communem per nervos ſenſorios in ipſo ſenſu communi, vel in ejus organo radicâtos, quibus ſpeciebus collectivè ſumptis utitur ſenſus communis ad formandum cognitionis actum, quo inter ſingula ſingulorum ſenſuum externorum objecta diſcernit, dum actu à ſenſibus externis percipiuntur.

§. II.

De phantaſia ſive imaginativa.

DIcendum eſt, dari phantaſiam, quæ ſit potentia realiter à ſenſibus externis diſtincta. Quòd in primis detur phantaſia, ſic prob. nomine *Phantaſiæ* intelligitur apud Philoſophos, facultas ſeu potentia repræſentativa & perceptiva objectorum ſenſibilium abſentium (ſeu prout abſtrahunt à præſentia, vel abſentia:) atqui datur hujuſmodi potentia; experimur namque, nos repræſentare nobis objecta ſenſibilia abſentia, ipſaque recolere & percipere, cùm in ſomniis, tum in vigilia: ergo &c.

Deinde, objecta ſenſibilia abſentia, vel prodeſſe, vel nocere quandoque poſſunt animalibus; ut experientia patet ſatis: ergo neceſſe fuit, ut animalibus concederetur à natura quædam facultas illorum objectorum repræſentativa & perceptiva, ut ad illa, prout opus eſt ad vitæ præſidium, afficerentur: hoc pacto videmus, animalia ex repræſentatione & perceptione cibi abſentis, moveri ad ipſum quærendum.

Proprium itaque phantaſiæ munus eſt, percipere objecta ſenſibilia in eorum abſentia, aut ſaltem prout abſtrahunt à præſentia, vel abſentia; cùm enim phantaſia ſpecies objectorum ſenſibilium intentionales ad ſe immiſſas à ſenſibus externis conſervet, poteſt iis uti, etiam ſi objecta ſenſibilia per illas ſpecies repræſentata non ſint præſentia, quia, cùm phantaſia conſervando ſpecies intentionales

nis illorum objectorum, habeat omnia ad agendum requisita in actu primo, potest reducere ad actum secundum, percipiendo in actu secundo illa objecta, quotiescumque offeretur aliquid excitans, ut sunt spiritus animales dum in cerebro diversimodè commoventur, aut etiam voluntas ipsa movens phantasiam quoad exercitium. Est etiam aliud phantasiæ munus in homine, nempè, ex speciebus seu imaginibus objectorum sensibilium ab externis sensibus acceptis, formare alias imagines compositas, *v. gr.* ex *speciebus* vel *imaginibus montis & auri*, formare speciem aut imaginem *montis aurei*. Hinc in homine appellatur *imaginativa* vel *imaginatio*.

Quòd autem phantasia, sive imaginativa, sit potentia realiter à sensibus externis *distincta*; ex eo ostenditur, quòd phantasia, vel imaginativa, percipit objecta sensibilia absentia: ergo cùm nullus sensus externus possit percipere *objectum* absens; (neque enim visus percipere potest colorem absentem) sequitur *evidenter*, *phantasiam*, *vel* imaginativam, *distingui* realiter ab omnibus & singulis sensibus externis.

§. III.

De æstimativa, seu cogitativa.

Dicendum est, dari æstimativam, quæ sit potentia realiter à sensibus externis distincta. Et primò quidem eam dari, sic prob. nomine *æstimativæ* intelligunt Philosophi facultatem sensitivam, quæ sensibilia percipit objecta secundùm rationes insensatas, id est, à sensibus externis non perceptas; v.g. secundùm rationem *convenientiæ*, vel *disconvenientiæ*; secundùm rationem *amicitiæ*, vel *inimicitiæ*; & similes rationes: atqui in animalibus datur facultas sensitiva, quæ sensibilia percipiat objecta secundùm rationes insensatas *convenientiæ*, vel *disconvenientiæ*; *amicitiæ*, vel *inimici-*

micitiæ, &c. ergo &c. min. patet quotidiana perientia: etenim ovis fugit, dum videt lupu non quia videt talem colorem, vel talem figura in lupo; (alioquin fugere etiam deberet ovi dum videt canem paſtoralem, in quo ſimilis c lor ſimiliſque figura eſſe poteſt;) ſed quia per pit vel apprehendit lupum ut ſibi diſconvenie tem & inimicum, naturali inſtinctu; proind que ovis percipit vel apprehendit lupum, ſecun dùm rationes inſenſatas *diſconvenientiæ* & *ini micitiæ*. Similiter avis apprehendit paleam u utilem ad nidificandum; utilitas autem illa pa lex eſt ratio à ſenſibus externis inſenſata ſeu non percepta.

Datur ergo in animalibus facultas ſenſitiva, quæ ſenſibilia percipiat objecta ſecundùm ratio nes inſenſatas, ſeu per ſenſus externos non perce ptas. Appellatur autem in homine *cogitativa*, qua ſi *coagitativa*; quia hæc facultas in homine apud ſe veluti coagitat & confert objecta ad invicem, ut judicet, an ſint convenientia, vel diſconvenien tia, amica, vel inimica, &c. Quòd verò eadem facultas diſtinguatur realiter à ſenſibus externis, ex eo apertè colligitur, quòd percipiat rationes à ſenſibus externis non ſenſatas.

§. IV.

De memoria ſenſitiva, ſeu de reminiſcentia.

DIcendum eſt, dari memoriam ſenſitivam, quæ ſit potentia realiter à ſenſibus externis diſtincta. Et primò quidem, dari memoriam ſenſitivam in animalibus, ſic oſtenditur: *Nomine memoriæ ſenſitivæ* apud Philoſophos intelligitur facultas ſenſitiva, qua cognoſcuntur objecta ſenſibilia abſentia vel præterita quoad rationes inſenſatas, v.g. qua ovis memoratur abſentis lupi inimici ſui, & canis memoratur domini abſentis amici ſui: atqui datur revera animalibus illa facultas;

tis; idcircò etenim ovis abhorret à loco, ubi priùs lupũ vidit, quia memoratur ſui inimici illic viſi; & ideò canis quærit dominum ſuum abſentem, quia ipſius ut amici abſentis memoratur: ergo &c. Appellatur autem in homine *reminiſcentia*, ſive memoria quodammodò diſcurſiva, quia memoria ſenſitiva in homine memoratur præteritorum cum quodam diſcurſu imperfecto: ſicut enim, v. g. in globo ex filamentis involutis compoſito, apprehenſa una fili extremitate, totum ordinatim evolvimus, propter connexionem: ita homo utens memoria ſenſitiva, ex unius recordatione, totam longiſſimi negotii ſeriem ordinatim rememorando & diſcurrendo deducit.

§. V.

Quotnam modo diſtinguantur quatuor allati & explicati ſenſus?

REſpondent communiter *Thomiſtæ*, quatuor allatos ſenſus internos ſpecie & realiter diſtingui: idque ſic prob. cùm potentiæ ſpecificentur ab actibus, & ab objectis formalibus; ut alibi oſtenſum eſt; illæ potentiæ ſpecie & realiter diſtinguuntur, quæ habent diverſos actus, diverſaque objecta formalia: atqui quatuor allati & explicati ſenſus internis, habent diverſos actus diverſaque objecta formalia: ergo &c. Prob. min. & primò quidem quatuor illi ſenſus habent diverſos actus: etenim proprius actus ſenſus communis eſt, diſcernere inter propria ſenſuum externorum objecta, dum actu ab hujuſmodi ſenſibus percipiuntur: actus proprius phantaſiæ eſt, percipere objecta ſenſibilia abſentia, ſecundùm eas rationes, quæ fuerunt ab externis ſenſibus perceptæ: proprius autem actus æſtimativæ eſt, percipere objecta ſenſibilia ſecundùm rationes inſenſatas, ſive non ſenſibus externis non perceptas. Denique proprius actus memoriæ ſenſitivæ eſt, cognoſcere

objecta ſenſibilia abſentia, & præterita, quoad rationes inſenſatas, modo ſuprà explicato : omnes autem illi actus ſunt diverſi, ut patet ſatis.

Quòd verò quatuor ſenſus allati & explicati habeant diverſa objecta formalia, etiam ſuadetur : etenim objectum formale ſenſus communis comprehendit omnia ſenſuum externorum objecta, ut ab invicem diſcernenda, dum actu ab ejuſmodi ſenſibus percipiuntur ; objectum verò formale phantaſiæ complectitur objecta ſenſibilia abſentia percipienda ſecundùm eas rationes, quæ ſunt à ſenſibus externis perceptibiles, vel quæ fuerunt ab illis perceptæ : objectum formale æſtimativę continet objecta ſenſibilia ſecundùm rationes inſenſatas perceptibilia ut præſentia ; & tandem objectum formale memoriæ ſenſitivæ includit objecta ſenſibilia abſentia vel præterita, ſecundùm rationes inſenſatas conſiderata ; quæ omnia objecta ſunt diverſa.

Reſpondent aliqui, ſenſum communem, phantaſiam, æſtimativam, & memoriam ſenſitivam, habere quidem diverſos actus, ſed inadæquatos tantùm ; habere etiam diverſa objecta formalia, ſed inadæquata duntaxat ; quod non ſufficit, ut ſenſus illi ſpecie & realiter diſtinguantur.

Sed contra ſic argumentor : licèt unica ſpecie potentia poſſit plura attingere objecta inadæquata ; ea tamen nequit attingere, niſi ſub unica ratione formali : ſi ergo quatuor allati & explicati ſenſus interni attingerent prædicta objecta ut inadæquata, deberent ea attingere ſub unica ratione formali ; hæc autem ratio formalis unica aſſignari non poteſt.

Objic. 1. Ariſtoteles & D. Thomas variis in locis afferunt, ſenſum communem, phantaſiam, æſtimativam, & memoriam ſenſitivam, eſſe unum ſenſum. Reſpondeo diſtinguendo : concedo namque, ſenſum communem, phantaſiam, æſtimativam, & memoriam ſenſitivam, eſſe quidem unum ſenſum genericè, non tamen ſpecificè.

Ob.

Ob. 2. potentiæ, quæ eundem actum possunt elicere, specie & realiter non distinguuntur: atqui sensus communis, & phantasia, possunt eundem actum elicere: ergo &c. Ma. videtur perspicua. Prob. min. percipere objecta sensibilia absentia, est actus phantasiæ; ut ex dictis constat hunc autem actum elicere potest sēsus communis: ergo sensus communis & phātasia possunt eundem elicere actum. Prob. quòd sensus communis possit sensibilia objecta absentia percipere: etenim sensuus communis potest species intentionales objectorum sensibilium in eorum absentia conservare: ergo iis speciebus mediantibus potest objecta sensibilia in eorum absentia percipere, proindèque ipsa ut absentia cognoscere potest.

Respondeo data ma. negando min. cùm etenim sēsus communis per se primò ordinetur ad discernendum inter sensuum externorum objecta, dum actu ab ejusmodi sensibus percipiuntur; nequit sensus communis cognoscere objecta illa sensibilia, nisi pro eo tempore, quo actu à sensibus externis percipiuntur; proindèque nequit ea cognoscere, nisi pro tempore, quo sunt præsentia; sicque nequit sensus communis conservare species intentionales objectorum sensibilium in eorum absentia; sed ex speciebus intentionalibus in sensu communi existentibus, & transeuntibus, resultant in phantasia aliæ eorumdem objectorum species intentionales, quæ in hujusmodi objectorum absentia permanent & conservantur.

Instabis: eadem potentia intellectiva & recipit species objectorum intelligibilium, & conservat eas in illorum objectorum absentia: ergo similiter iidem sensus communis potest recipere species objectorum sensibilium, & eas conservare in eorundem objectorum absentia.

Respondeo negando paritatem: etenim potentia intellectiva, utpotè spiritualis, est superior omnibus potentiis sensitivis; unde quia ex communi axiomate, *Quæ sunt dispersa in inferioribus, unun-*

niuntur in ſuperioribus ; potentia receptiva ſpecierum intentionalium, & potentia earum conſervativa, quæ in potentiis ſenſitivis, videlicet in ſenſu communi, & in phantaſia, ſunt realiter diſtinctæ & diſperſæ ; uniuntur & identificantur realiter in potentia intellectiva.

Urgebis: ſaltem phantaſia non diſtinguitur realiter à memoria ſenſitiva ; imò potiùs, phantaſia eſt verè ac propriè memoria ſenſitiva : ergo non dantur quatuor ſenſus interni realiter à ſe mutuò diſtincti ; nimirum ſenſus communis, phantaſia, æſtimativa, & memoria ſenſitiva. Prob. ant. memoria ſenſitiva verè & propriè dicta duo ſolùm exigere videtur; videlicet ut ſit potentia ſenſitiva, & inſuper ut percipiat objecta ſenſibilia abſentia & præterita: phantaſia verò habet illa duo; ut ex dictis patet.

Reſpondeo negando ant. enim ad memoriam ſenſitivam verè, propriè, ac ſtrictè dictam, (ſicut accipi ſolet apud Philoſophos) tria requiruntur; ſcilicet, ut ſit potentia ſenſitiva; inſuper, ut percipiat objecta ſenſibilia abſentia ac præterita; & tandem, ut percipiat illa objecta ſecundùm rationes inſenſatas, id eſt, à ſenſibus externis non perceptas; hæc autem tria nequaquam conveniunt phantaſiæ, quæ quidem percipit objecta ſenſibilia abſentia ac præterita, ſed ſecundùm rationes, quæ à ſenſibus externis perceptæ fuerunt.

Objic. 3. Eæ tantùm potentiæ differunt ſpecie quæ habent objecta diverſa; cùm potentiæ ab objectis ſpecificentur: atqui quatuor ſenſus interni non habent objecta diverſa, ſed idem potiùs habent objectum; cùm omnes illi ſenſus verſentur circa res ſenſibiles per ſenſus externos apprehenſas: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. eæ tantùm potentiæ differunt ſpecie, quæ habent objecta formalia diverſa, concedo: eæ tantùm potentiæ differunt ſpecie, quæ habent objecta materialia diverſa, nego; potentiæ namque, non ab objectis ma-

re-

terialibus, sed à formalibus specificantur: quamvis autem quatuor sensus interni non habeant diversa objecta materialia, sed idem potiùs habeant objectum materiale, quatenus omnes illi sensus versantur circa res sensibiles per externos sensus apprehensas; habent tamen diversa objecta formalia, quatenus versantur circa res sensibiles sub diversis rationibus formalibus; etenim sensus communis versatur circa res sensibiles, prout de præsenti à sensibus externis percipiuntur; versatur, inquam, circa illas, discernendo inter ipsa. *Phantasia* versatur circa easdem res sensibiles, ut absentes, & prout fuerunt ab externis sensibus cognitæ. Æstimativa verò versatur circa hujusmodi res sensibiles, prout important quasdam rationes insensatas, quas æstimativa apprehendit ut præsentes. Denique memoria sensitiva versatur circa res sensibiles, ut absentes & præteritas, secundùm rationes insensatas; ut explicatum est suprà.

Quæres, quænã sint subjecta proxima quatuor sensuum internorum? Respondeo, quatuor esse in cerebro cellulas. Prima est in anteriori parte cerebri, in eaque subjectatur proximè sensus communis, ubi commercium habet cum sensibus externis, mediantibus quibusdam nervis, quorum beneficio cum sensibus externis continuatur. Secunda cellula sequitur immediatè, procedendo versùs posteriorem capitis partem, & in hac cellula proximè subjectatur phantasia, vel imaginativa. Tertia cellula est in media parte cerebri, in istaque cellula proximè subjectatur æstimativa aut cogitativa. Quarta tandem cellula, in qua residet memoria sensitiva seu reminiscentia, est in posteriori parte capitis; hinc eam perstricare solemus ad commovendas species, & excitandam memoriam, cùm volumus rei alicujus recordari.

§. VI.

De Appetitu ſenſitivo.

INter internas animæ ſenſitivæ potentias eſt potentia appetitiva, ſeu appetitus ſenſitivus, de quo proinde hic agendum eſt. Nomine *appetitus ſenſitivi* ea intelligitur animæ ſenſitivæ potentia, cujus beneficio animal fertur ad aliquod bonum ſuppoſita cognitione ſenſus. Multipliciter autem appetitus ſenſitivus differt à rationali, qui *voluntas* ſolet appellari. In primis enim appetitus rationalis ſequitur cognitionem intellectus, nihilque niſi ab ipſo propoſitum amplectitur: at appetitus ſenſitivus ſequitur cognitionem ſenſus, ferturque in bonum per hanc ſolam cognitionem apprehenſum; hinc appetitus ſenſitivus ſola materialia & ſingularia, appetitus verò rationalis etiam ſpiritualia atque communia appetere poteſt, quoniam utraque poſſunt ab intellectu cognoſci, atque appetitui rationali proponi. Deinde appetitus rationalis ratione ſui eſt potentia formaliter libera; non autem appetitus ſenſitivus. Denique (ut plura alia omittam) appetitus rationalis eſt potentia ſpiritualis & immaterialis; appetitus verò ſenſitivus eſt immerſus materiæ, & organo corporeo affixus.

Appetitus ſenſitivus dividi ſolet in concupiſcibilem, & iraſcibilem. Appetitus concupiſcibilis eſt potentia animæ ſentientis, qua animal verſatur circa bonum ſenſibile, ipſum proſequendo; vel circa malum ſenſibile, ipſum fugiendo, non habita ratione *ardui*. Appetitus verò iraſcibilis eſt potentia animæ ſentientis, qua animal fertur in bonum ſenſibile, ipſum proſequendo; aut verſatur circa malum ſenſibile, ipſum fugiendo, ut arduum eſt, & præbet luctæ locum.

Appe-

Appetitus ſenſitivi concupiſcibilis exiſtẽtia ſatis patet ex eo, quòd animalia res gratas proſequantur, & ingratas fugiant; quod utrumque pertinet ad concupiſcibilem appetitum. Exiſtentia verò appetitus ſenſitivi iraſcibilis apertè probant luctæ animalium inter ſe.

Appetitum concupiſcibilem, & appetitum iraſcibilem, eſſe duas potentias realiter ſpecificè diſtinctas, docent communiter Thomiſtæ cum D. Thoma 1. part. qu. 81. art. 2. & pluribus aliis in locis; contra Suarem, & plures alios recentiores.

Ratio autem ſententiæ noſtræ facilis eſt; etenim cùm potentiæ ſpecificentur ab actibus & objectis formalibus, (ut ſuo loco oſtenſum eſt) illæ potentiæ realiter ſpecificè diſtinguuntur, quæ diverſos habent actus, diverſaque objecta formalia: atqui appetitus concupiſcibilis, & appetitus iraſcibilis, habent diverſos actus, diverſaque objecta formalia: ergo &c. Prob. min. etenim paſſiones ſunt actus appetitus ſenſitivi; paſſiones verò appetitus concupiſcibilis eſſe planè diverſas à paſſionibus appetitus iraſcibilis, conſtabit manifeſtè ex dicendis in Ethica.

Prob. verò, appetitum concupiſcibilem, & appetitum iraſcibilem, habere diverſa objecta formalia: formale objectum appetitus concupiſcibilis, eſt bonum delectabile, ad acquirendum facile: objectum verò formale appetitus iraſcibilis, eſt bonum ad obtinendum difficile: ergo appetitus concupiſcibilis, & appetitus iraſcibilis, habent diverſa objecta formalia.

Dices 1. Eadem realiter potentia voluntatis poteſt ferri, & in bonum delectabile, ad acquirendum facile, & in bonum ad obtinendum difficile: ergo ſimiliter eadem realiter potentia appetitus ſenſitivi ferri poteſt, & in bonum delectabile ad acquirendum facile, & in bonum ad acquirendum difficile; & ita appetitus concupiſci-

piſcibilis, qui fertur in bonum delectabile ad acquirendum facile; & appetitus irraſcibilis, qui fertur in bonum ad obtinendum difficile; non ſunt potentiæ realiter diſtinctæ; ſed potiùs ſunt una & eadem realiter potentia.

Reſpondeo negando paritatem: etenim voluntas, cùm ſit potentia ſpiritualis, eſt ſuperior appetitu ſenſitivo & materiali; ideòque, quia ex communi axiomate: *Quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt unita in ſuperioribus*: fit, ut ratio potentiæ concupiſcibilis, & ratio potentiæ irraſcibilis, quæ in appetitu ſenſitivo & inferiori ſunt realiter diſperſæ atque diſtinctę, uniantur & identificentur in appetitu ſuperiori voluntatis; unde eadem realiter potentia voluntatis poteſt quidem ferri & in bonum delectabile ad acquirendum facile, & in bonum ad obtinendum difficile; non tamen eadem realiter potentia appetitus ſenſitivi.

Dices 2. potentiæ realiter ſpecificè diſtinctæ debent habere diverſa objecta formalia: atqui appetitus concupiſcibilis, & appetitus irraſcibilis, non habent diverſa objecta formalia: ergo &c. Ma. eſt certa. Prob. min. ſi appetitus concupiſcibilis, & appetitus irraſcibilis, haberent diverſa objecta formalia; maximè, quia appetitus concupiſcibilis fertur in bonum delectabile ad acquirendum facile, & appetitus irraſcibilis fertur in bonum ad obtinendum difficile: atqui hæc ratio nulla eſt, neque ex ea ſequitur, appetitum irraſcibilem habere objectum formale diverſum ab objecto formali appetitus concupiſcibilis: ergo &c. Ma. patet ex dictis. Prob. min. cùm objectum formale appetitus irraſcibilis debeat eſſe bonum, ſi bonum ad obtinendum difficile, foret objectum formale ſpeciale appetitus irraſcibilis, diverſum à bono delectabili ad obtinendum facili; deberet bonum ad obtinendum difficile habere ſpecialem rationem *boni*, quæ non conveniret bono delectabili ad obtinendum vel acquirendum

dum facili: atqui bonum ad obtinendum difficile non habet specialem rationem *boni*, quæ non conveniat bono delectabili ad obtinendum facile, aut bonum ad obtinendum difficile non addat supra bonum delectabile ad obtinendum facile, aliquam difficultatem, quæ non est specialis ratio *boni*, sed potiùs est quædam ratio mali: ergo &c.

Respondeo, concessa ma. negando min. ad cujus prob. concessa iterum ma. nego min. licèt enim difficultas, ex parte sui, non sit specialis aliqua ratio *boni*; benè tamen ex parte victoriæ de ipsa reportandæ, ratione cujus appetitus irascibilis fertur in bonum ad obtinendum difficile; adeò ut ordo, quem bonum difficile habet ad repertionem victoriæ, sit ratio formalis, sub qua appetitus irascibilis fertur in ipsum bonum difficile, qui ordo est aliqua specialis ratio *boni*.

Dices 3. appetitus concupiscibilis fertur in bonum difficile sub eadem ratione formali, sub qua appetitus irascibilis in ipsum fertur: ergo appetitus concupiscibilis, & appetitus irascibilis, habent idem objectum formale; proindeque specificè non distinguuntur. Prob. ant. appetitus irascibilis fertur in bonum difficile, prout difficile est; appetitus autem concupiscibilis fertur etiam in bonum difficile, ut difficile est; cùm etenim appetitus concupiscibilis feratur in consecutionem boni delectabilis, fertur etiam in difficultatem, quæ hanc consecutionem impedire posset.

Respondeo negando ant. licèt enim contingere possit per accidens, ut appetitus concupiscibilis feratur in bonum delectabile, quod sit difficile; alio tamen modo appetitus concupiscibilis versatur tunc circa difficultatem consecutionis boni delectabilis, alio modo circa illam versatur appetitus irascibilis; appetitus quippe concupiscibilis versatur circa difficultatem, illam fugiendo; appetitus verò irascibilis aggrediendo, impugnando, & vincendo.

Dices.

Dices 4. potentia, quæ verſatur circa bonum concupiſcibile, ſeu delectabile, non diſtinguitur realiter ſpecificè ab appetitu concupiſcibili: atqui appetitus iraſcibilis verſatur circa bonum concupiſcibile, ſive delectabile: ergo &c. Maj. clara videtur. Prob. mi. idcircò enim appetitus iraſcibilis aggreditur, impugnat, & vincit difficultatem, quæ eſt in conſecutione boni concupiſcibilis vel delectabilis; ut nempè eo fruatur, ergo appetitus iraſcibilis reipſa verſatur circa bonum concupiſcibile aut delectabile.

Reſpondeo diſtinguendo ma. potentia, quæ verſatur circa bonum concupiſcibile ſeu delectabile, ut acquirendum, abſtrahendo à difficultate vincenda vel ſuperanda in ipſius conſecutione, non diſtinguitur realiter ſpecificè ab appetitu concupiſcibili, concedo: potentia, quæ verſatur circa bonum concupiſcibile ſeu delectabile, ut obtinendum cum difficultate in ipſius conſecutione vincenda aut ſuperanda, non diſtinguitur realiter ſpecificè ab appetitu concupiſcibili, nego: licèt enim appetitus concupiſcibilis verſetur circa bonum concupiſcibile ſeu delectabile, non tamen ut obtinendum cum difficultate vincenda aut ſuperanda, ſed per ſe hanc difficultatem excludit, vel ab illa abſtrahit: è contrà verò appetitus iraſcibilis per ſe tendit ad aggrediendam, vincendam, & ſuperandam difficultatem, quæ in boni concupiſcibilis ſeu delectabilis conſecutione quandoque occurrit.

Dices 5. Jacobi 4. cap. ſic legitur: *Vnde bella & lites in nobis? nonne hinc ex concupiſcentiis?* ergo bella & lites ſunt actus appetitus concupiſcibilis; unde cùm aliunde certum ſit, bella & lites eſſe actus appetitus iraſcibilis, ſequitur, appetitum concupiſcibilem, & appetitum iraſcibilem, non eſſe potentias realiter ſpecificè diſtinctas; quandoquidem potentiæ realiter ſpecificè diſtinctæ nequeunt eoſdem actus habere,

Re-

Respondeo, D. Jacobum in verbis allatis non loqui de bellis & litibus circa bonum difficile in appetitu irascibili exercendis, sed de bellis & litibus à carne adversùs spiritum agendis; hujusmodi autem bella & lites non sunt actus appetitus irascibilis, sed concupiscibilis, nempè ipsi prava carnis desideria, quibus caro inordinatè bona delectabilia concupiscit.

Quantùm verò ad proprium & immediatum appetitus sensitivi *subjectum*, docet D. Thomas qu. 26. de verit. art. 3. item 1. part. qu. 20. art. 1. ad 1. & 1. 2. quæst. 22. art. 2. ad 3. appetitum sensitivum *immediatè subjectari in corde*. Ratio hujus veritatis est, quia actus appetitus sensitivi, ut *ira*, *lætitia*, *tristitia*, &c. immediatè exercentur in corde; hinc ira definitur: *fervor sanguinis circa cor*: lætitia etiam dilatat cor, & tristitia ipsum constringit. Plura sunt alia ad appetitum sensitivum pertinentia, de quibus in Morali dicemus.

Articulus Secundus.

Utrùm detur anima sensitiva in brutis?

Inter recentiores Philosophos, Cartesii discipuli acerrimè contendunt, nullam in brutis esse animam sensitivam, quæ cognoscat & appetat; nullum principium vitale cognoscitivum, nullumque cogitativum; ita ut doceant, bruta esse *cognitionis* omnis expertia, ipsaque moveri *machinarum* & automatorum instar: nam quemadmodùm machinæ arte factæ, v. g. horologia, per solam partium dispositionem, debitamque rotarum & ponderum applicationem, varios obeunt motus, & horas indicant, licèt nulla vigeant cognitione: ita, inquiunt Cartesiani, bruta per varios suarum partium situs, diversamque organorum dispositionem, diversis motibus ciantur, quamvis omni cognitione & perceptione ca-

careant: etenim, inquiunt Carteſii diſcipuli, bruta oculos habent, aures, cerebrum, & alia organa humanis ſimilia; ſed tamen non vident, non audiunt, non imaginantur, nec alios eliciunt actus vitales cognoſcitivos, quos ab hominibus elici experimur. Unde Carteſiani hoc diſcrimen ponunt inter actus hominum, & actus brutorum; quòd homines & movent organa ſenſuum, & ea movendo, percipiunt objecta ſenſibilia; bruta verò movent quidem organa, v. gr. movent quidem oculos, nulla tamen cognoſcunt objecta. Hinc bruta (ex Carteſianorum mente) non vivunt reipſa, ſed tantùm vivere videntur, quandiu machinæ in eis (v. g. oculi, aures, cerebrum, & ſimiles machinæ) ſatis benè ſunt diſpoſitæ, ut ſuos poſſint obire motus.

§. I.

Doctrina Carteſianorum, auctoritate Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & ratione confutatur.

IN primis doctrina illa repugnat Scripturæ Sacræ. Etenim 1. cap. Geneſ. verſu 21. ſic legitur: *Creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas.* Et verſu 24. hæc iterùm leguntur: *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas. Factumque eſt ita.* Et verſu 29. & 30. rurſus hæc habentur: *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam, & univerſa ligna, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri Cæli, & univerſis, quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum.* In quibus Scripturæ teſtimoniis expreſſiſſimè aſſeritur, cete grandia, jumenta, reptilia, beſtias terræ, & volucres Cœli, habere animam viventem: ergo ex Scriptura ſacra,

ctra, non sunt meræ machinæ non viventes & *inanimatæ*, ut docent Cartesiani.

Sanè, Scripturam sacram ibi nomine *animæ viventis* intelligere verè & propriè animam viventem, ex eo colligitur, quòd dum Scriptura sacra cap. 2. sequenti vult declarare, hominem fuisse *productum* verè & proprie viventem, atque accepisse animam verè ac propriè viventem; simili modo loquitur versu 7. his verbis: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; & factus est homo in animam viventem.*

Præterea, doctrina Cartesianorum, authoritate SS. Patrum, confutari potest. In primis namque D. Basilius homil. 8. in Hexameron sic ait; *Terra autem aqua quidem reptilia viventium animarum, tellus autem viventem animam educere jussa est? Arbitramur, natatilium quidem naturam imperfectioris quodammodo participem esse vitæ; quippe cùm in humoris crassitudine degant, nam & auditum obtinent gravem, & aspectum hebetem, cùm terræ mediam aquam videant. Adde memoriam fere nullam in illis esse, neque imaginationem, neque consuetudinis aut familiaritatis ullam cognitionem: in terrestribus autem animantibus, cùm perfectiora vitæ prædita sint, principatum universum subindicat animam obtinere; terrestrium siquidem sensus perspicaciores sunt, quàm aquatilium; præ his item illa acutiùs præsentia apprehendunt; exactæ verò rerumque rerum præteritarum memoriæ apud plurimas quadrupedes animantes comperiuntur.* Quibus verbis nihil expressius adversus Cartesianorum doctrinam dici potest.

Non minùs clarè loquitur D. Ambrosius lib. 5. Hexameron. cap. 3. ubi sic fatur: *Alii* (pisces scilicet) *ova generant, & aquis fovenda committunt; aqua igitur animat & creat, & adhuc mandati illius primi:* (*dixit Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis*: Genes. c. 1.) *tanquam legis perpetuæ manus exequitur. Alii vivos fœtus edunt de suo cor-*

corpore. Et ca. 4. ſic iterum ait: *Vivere piſces ſine aqua nequeunt, nec à ſui parentis conſortio ſeparari, & fit hoc natura quadam, ut ſeparati moriantur illicò*. Sanè clariùs non loqueretur Peripateticus.

Nec deeſt Auguſtinus. Etenim in lib. de quantit. animæ cap. 28. loquens de cognitione illa canis Ulyſſis, qui poſt viginti annos dominum ſuum recognoviſſe perhibetur Odyſſeæ; ſic ait: *Quid autem hoc putas eſſe, niſi vim quandam ſentiendi, non ſciendi? ſenſu enim nos beſtiæ multæ ſuperant; mente autem, ratione, & ſcientia nos illis Deus præpoſuit: ſed ille ſenſus ea, quibus tales animæ delectantur, accedente conſuetudine, cujus magna vis eſt, poteſt diſcernere, atque eò facilius, quòd anima belluarum magis corpori affixa eſt, cujus illi ſunt ſenſus, quibus utitur ad victum voluptatemque, quam ex eodem illo corpore capit*. Quibus verbis manifeſtiſſimè tribuit beſtiis ſeu belluis ſenſitivam cognitionem.

Refelli quoque poteſt doctrina Carteſianorum authoritate Ariſtotelis; nam lib. 2. de anim. c. 2. text. 23. docet, nullum animal carere ſenſu tactus. Et 7. Metaph. ca. 11. text. 39. hæc habet: *Manifeſtum eſt, quòd anima quidem ſubſtantia prima, corpus verò materia; homo verò, vel animal, (ſive brutum) quòd ex ambobus*. Quibus verbis apertè docet, animal ab homine diſtinctum; ſive brutum, non eſſe machinam inanimatam, ſed potiùs ipſum componi ex corpore & anima, videlicet ſenſitiva. Idque ſæpè repetit.

Refutari tandem poteſt Philoſophica ratione, doctrina Carteſiana. Etenim quod verè habet potentias animæ ſenſitivæ, verè habet animam ſenſitivam; cum potentiæ animæ ſenſitivæ ex ea emanent, & cum ipſa neceſſariò connectantur: atqui bruta verè habent animæ ſenſitivæ potentias: ergo &c. Prob. min. Memoria ſenſitiva, & appetitus ſenſitivus, ſunt potentiæ animæ ſenſitivæ; ut evidens eſt: atqui bruta verè habent memoriam ſnſitivam, & appetitum ſenſitivum: ergo &c.

&c. Prob. min. & primò quidem, bruta habere memoriam sensitivam, declaratur exemplo canis Ulyssis, qui (ut refert D. August. in lib. de quantitate Animæ cap. 28.) post viginti annos, Herum suum agnovit; quod sine memoria sensitiva præstare non potuit. Quòd si ista historia à Cartesianis revocetur in dubium; certa est illa, quæ habetur Tobiæ c. 11. de cane abblandiente antiquo suo domino: *Tunc*, (inquit Scriptura Sacra) *præcurrit canis, qui simul fuerat in via, & quasi nuntius adveniens blandimento suæ caudæ gaudebat.* Id quoque singulis diebus experiri licet in canibus similibus, qui dominos suos ab oculis suis sublatos incredibili sollicitudine, & citatissimo cursu quæritant. Idem patet in equis, qui pluribus relictis & transactis hospitiis sibi in eodem vico obviis, stabulum, in quo aliàs pasti sunt, ultrò subeunt. Id etiam evidens est in bobus, ovibus, anseribus, & gallinis, quæ, appetente nocte, nullo etiam ducente, in consueta sese loca recipiunt. Quæ omnia non præstarent bruta illa, nisi sensitiva memoria pollerent.

Hinc D. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 17. *Habent enim* (inquit) *memoriam & pecora, & aves; aliquin non cubilia nidosve repeterent, nec alia multa, quibus assuescunt; neque enim & assuescere valerent ullis rebus, nisi per memoriam* (videlicet sensitivam. (Hoc adhuc mirabilius videtur in hirundinibus, quæ licèt regiones mutent, & in loca remotissima transmigrent autumnali tempore; redeunt tamen apparente vere in easdem domos, in quibus anteà nidificaverunt, pullosve exclusérunt; prout multi, alligatis membraneis schedulis, vel tenuibus filis, ad earum crura, experti sunt.

Accedit multiplex experientia quotidiana ad idem confirmandum aliis in eventibus. Etenim equi multoties, notabili interjecta temporis mora, hinniunt sociis amissis, & longè ab eorum

visu, olfactu, & auditu remotis; canes item, si semel baculo percussi sunt, eo rursus viso, fugiunt. Feles similiter ad sonitum campanulę percussi, longo post tempore, eodem resonante, statim aufugiunt. Quæ omnia sine memoria sensitiva, id est, sine potentia præteritorum memorativa & cognoscitiva, explicari nequaquam possiunt.

Respondent Cartesiani, illa omnia fieri per quasdam particulas ab objectis emissas, & per organa sensuum intromissas, quæ machinas brutorum sic concutiant, ut (veluti in horologio laxata una rotula) in prædictos motus totæ brutorum machinæ solvantur.

Sed contra; in primis particulæ illæ ab objectis emissæ, & per organa sensuum intromissæ, quibus bruta concutiantur & moveantur, videntur chimericæ; quomodo enim fieri potest, ut dum, v. g. equi, notabili interjecta temporis mora, hinniunt sociis amissis, & longissimè ab eorum visu, olfactu, & auditu, remotis; quomodo, inquam, fieri potest, ut equi longissimè distantes, emittant particulas in organa equorum, à quibus longissimè distant; emittant, inquam, particulas tantæ virtutis, ut equos istos planè concutiant, eorumque machinas solvant?

Deinde, quoniam modo fieri potest, ut particulæ ab objectis emissæ, & per organa sensuum intromissæ, revocent bruta in memoriam & recordationem præteritorum, & tamen bruta ipsa careant memoria? Denique, si bruta particulas ab objectis emissas accipiant, quæ per organa sensuum brutorum intromittantur; ergo bruta habent sensus, proindeque habent animam & cognitionem sensitivam.

Quòd autem bruta habeant appetitum sensitivum. sic prob. debet esse aliquid, quod boves, oves, equos, & alia ejus generis bruta impellat ad citatissimum cursum, quo ad consueta longèque

di-

distantia pascua
ell, præter sensi
graminum, qua
equos ad horam
aqua gustata, re
tione apprehensa
uno equo comesti
à comedendo fœn
ocribrantem intentis
ad fœnum, per
ppensio.

Nec dicant Carte
pprovenire ex impre
enim Cartesiani, emitti
muxdam, quibus bruto
i ita ad alimentum incli

Non dicant, inquam
tra procurrunt ad alimentum longè distans, pro-
iiindeque in illud inclinantur; hæc autem inclina-
tio brutorum ad alimentum provenire tunc ne-
qquaquam potest à corpusculis ab alimento emis-
ssis, & ad bruta ipsa pervenientibus; cùm non appa-
rreat, quomodo alimentum longè distans emittat
ccorpuscula, quæ ad bruta longè distantia ab ali-
mento usque perveniant.

Deinde, si idcircò bruta in alimentum ferren-
tur, quia ab ipso alimento emitterentur corpus-
ccula laxantia, cò magis bruta in alimentum fer-
rentur, quò plura ab ipso alimento emitterentur
ccorpuscula; & ita equus magis ferretur in fœ-
num, quàm in avenam, quia cùm fœnum sit
magis vaporiferum, plura emittit corpuscula
(juxta Cartesianos, qui vapores in corpusculis
consistere docent) dicere autem, equum magis
ferri in fœnum, quàm in avenam, apertissimæ
repugnat experientiæ. Denique, si ideò bruta
ferrentur in alimentum, quia ab alimento laxa-
rentur, quò magis brutum comederet & satia-
retur, eò magis ferretur in alimentum, quoniam

quò

oculis ad
avenam, quàm
sensitivum, pro-

ea omnia in brutis
corpusculorum; docent
ex alimento corpuscula
machinæ laxentur, &

quò magis brutum comedit, eò magis ab alimento laxatur & extenditur : dicere verò, brutum eò magis & avidiùs in alimentum ferri, quò magis comedit & ſatiatur, ridiculum eſt.

Præterea, bruta ſunt diſciplinæ capacia : canes etenim venandi, ſimiæ ſaltandi, aves multæ canendi, & pſittaci loquendi artem addiſcunt; ut quotidiana experientia patet : non apparet autem, quomodo bruta ſint diſciplinæ capacia, ſi ſint machinæ, omnis cognitionis expertes. Inſuper bruta olfactu cibos explorant, & utrùm ſapiant guſtui, priùs rentant; imò ſi non urgeat fames, expectando quippiam melius, illud reſervant, tandemque comedunt: columbæ item, galiinæ, & aliæ id genus aves, unguibus & roſtro terram emovent & verſant, ut aliquid ſibi congruentis pabuli detegant: & licèt interdum projectis granis, ad comedendum invitentur: tot tamen, tamque diverſis roſtri ictibus, hinc inde, antè, retro, dextrorſum, & ſiniſtrorſum, mira celeritate iteratis, grana ſeligunt, ut abſque omni cognitione id ipſa poſſe peragere, communem excedat exiſtimationem & fidem.

Sed quid dicendum de canibus, qui venandis coturnicibus inſerviunt? quomodo olfactu earum tranſitum explorant? quot circuitus, ſaltus, & curſus impendunt, ut eas aſſequantur? quomodo illis viſu conſpectis ſiſtunt, eaſque oculis & naſo hîc adeſſe demonſtrant; & cùm ad inſiliendum in prædam impelli deberent, nihil tamen quietius, donec retibus expanſis, præcluſoque coturnici exitu, in eam ſumma agilitate, ſummoque gaudio inſiliunt. Quæ omnia fieri abſque ulla cognitione, (ut docent Carteſiani) credibile non eſt. Nec minùs mirabiles ſunt circuitus, quos milvi & vultures in aere peragunt, ut aviculam inter frutices vel ſpineta latitantem videant, & ut dum ex illis latebris volando exierit,

rit, crudelibus abripiant unguibus, plumulisque detractis, absorbeant.

Videmus etiam sæpè canes super posteriores pedes erectos diu sese sustentare, expectando & spectando, si quid è mensa sibi porrigatur; & interdum saltibus se altiùs exhibentes visendos, quasi assidentes admonendo, ut aliquid alimenti porrigant. Videmus quoque nonnunquam anatem cum paucis sociis in parvulo stagno natitantem, & absentibus aliis sociis tetrinientem atque clangentem; quòd si è stagno egressas, eas minimè cernat, obstante, v.gr. monticulo, vel parva terræ massa impediente; statim altè volando circuit stagnum, ut socias oculis exploret; quibus visis, quas secum jam habet ducendo, repentè ad alias properat.

Inveniuntur etiam equi, quos umbraticos vocant, quique ad minima occurrentia expavescunt, recedunt, sistunt; ad inopinatum, v. g. lacertæ motum, ad obscuram trunci umbram, ad apertam januam profundum aliquid & nigrum ostentantem, ad occursum leporis per transversum iter fugientis, &c. Quid dicemus de equis, quando utrumque pedem simul demittunt ad aliquam occurrentem fossulam: aut alterum erigunt pedem, ut elatam terræ massulam transiliant, aut naviculam ingrediantur? Quando item viam multis incommodam lapidibus ita decurrunt, ut lapides declinent, pedemque in loco debito figant? Hæc autem & innumera alia fieri ab ipsis brutis, sine ulla cognitione, credi nequaquam potest.

§. II.

Quædam objectiones Carteſianorum ſolvuntur.

OBjic. 1. auctoritatem Ariſtot. qui lib. 2. de Gener. Animal. cap. 1. expreſsè aſſerit, animalia moveri machinarum & authomatorum inſtar; verba Ariſtotelis ſunt hæc: *Fieri autem poteſt, ut hoc ab hoc moveatur, & hoc ab hoc; ſintque perinde, quaſi admirabilia illa automata.* Quod etiam docet in lib. de animalium motione cap. 7.

Reſpondeo cum diſtinctione: etenim animalia, ex Ariſtotele, moventur machinarum & automatorum inſtar; non ſecundùm naturam, quaſi animalia habeant naturam machinarum ſive automatorum duntaxat: ſed animalia moventur machinarum & automatorum inſtar, ſecundùm ſimilitudinem tantùm; quatenus ſicut in machinis aut automatis artefactis, v. g. in horologiis, una pars movetur ab altera; ita ſimili modo in animalibus, una pars ab alia movetur, v. g. cor ab anima, & à corde cætera animalis membra.

Inſtabis 1. Ariſtoteles 8. Pphyſic. c. 2. Textu 20. negat, animalia ſeſe movere: proindèque cenſet, animalia eſſe duntaxat automata ab extrinſeco mota. Verba Ariſtotelis ſunt hujuſmodi: *Quod enim priùs quieſcebat, poſteà ambulat, nullare externa movente, ut videtur: ſed hoc eſt falſum; videmus enim ſemper aliquid innatum moveri in animali: cur autem hoc moveatur, non ipſum animal, cauſa eſt; ſed fortaſſe id, quod ambit.*

Reſpondeo, Ariſtotelem ibidem expreſſiſſimè docere, animalia ſeipſa movere: nam immediatè poſt verba allata, ſic loquitur: *Ipſum autem* (nempè animal) *dicimus ſeipſum movere, non quovis motu; ſed eo, qui eſt ſecundùm locum.* Et paulò anteà, ſic iterum fatur, Textu 17. *Semper*

als-

aliquid aliud, quod extra movet, (ſcilicet animata;) *animal autem dicimus movere ſeipſum; quocirca, ſi quando totum quieſcit, in immobili motus fieri poteſt à ſeipſo, non extrinſecus.*

Unde dum ipſe Philoſophus dicit, aliquid innatum moveri in animali, cujus cauſa non eſt animal; loquitur de motu alterationis, v. gr. de motu frigefactionis, vel calefactionis; fateor autem, animal in talibus motibus non ſe movere, ſed moveri ab extrinſeco, nempè ab aere, v. g. ambiente, & frigefaciente, vel calefaciente; ſed nego, animal non ſe movere in motu locali, & in aliis motibus vitalibus.

Sanè, mirum eſt, quomodo Carteſiani citent Ariſtotelem quaſi faventem ſibi loco allato; quin potiùs enim eodem in loco manifeſtiſſimè ipſis adverſatur, admittendo cognitionem & appetitionem in animalibus. Verba Ariſtotelis ſunt illa: *Nihil vetat, quin potiùs neceſſarium eſt; in corpore fieri multos motus ab eo, quod ambit, horum autem aliquos movere cogitationem, vel appetitionem, eam verò jam movere totum animal.* Et in lib. de animalium motione cap. 7. ſic iterum fatur: *Ita ſanè ad motum & operationem animalia excitantur, cùm ultima motionis cauſa ſit appetitio; quæ tamen, vel per ſenſum, vel per phantaſiam, efficitur.* Et cap. præcedenti ſic rurſus ait: *Animadvertimus, cogitationem, phantaſiam, & cupiditatem animal movere.* Quibus verbis apertiſſimè docet, dari in animalibus ſenſum, phantaſiam, cogitationem & cupiditatem. Quod profectò non favet Carteſianis docentibus, animalia eſſe machinas cogitatione, appetitione, phantaſia, & omni ſenſu carentes.

Inſtabis 2. Ariſtoteles lib. 1. de hiſt. Animal. denegat brutis vim cogitandi, eamque ſoli homini tribuit; ſic namque ait: *Homo unus ex numero animalium omnium vim obtinet cogitandi.* Et in lib. de memoria aut reminiſcentia, illam denegat

brutis, & ſoli concedit homini: *Reminiſcentia*, inquit, *nulli ex omnium animalium numero, quorum natura comperta exploratáque habeatur, præterquàm homini, conceſſa ſit*: ergo cenſet Philoſophus, bruta eſſe duntaxat automata cogitatione & memoria ſeu reminiſcentia carentia.

Reſpondeo ad 1. teſtimonium, diſtinguendo: concedo etenim non eſſe in brutis vim cogitandi cum meditatione & de liberatione atque diſcurſu; hoc quippe ſoli competit homini: ſed nego, non eſſe in brutis vim cogitandi cum objectorum ſenſibilium apprehenſione.

Ad 2. teſtimonium reſpondeo, Ariſtotelem non denegare brutis memoriam ſenſitivam, ſed reminiſcentiam: differunt autem inter ſe memoria ſenſitiva, & reminiſcentia; quòd memoria ſenſitiva deſignet ac requirat ſolùm apprehenſionem objectorum ſenſibilium præteritorum; reminiſcentia verò ſignificet recordationem objectorum ſenſibilium præteritorum cum aliquo diſcurſu (ut docet Ariſtoteles ibidem.) Memoria itaque ſenſitiva eſt in brutis, & reminiſcentia ſoli homini conceſſa eſt, quoniam diſcurſus ſoli convenit homini. Unde ipſe Philoſophus loco citato de Hiſto. Animal. ſic ait: *Cùm memoriæ atque diſciplinæ complures animantes eſſe participes poſſint; nulla tamen, præter hominem, poteſt reminiſci.*

Objic. 2. Si daretur in brutis anima ſenſitiva realiter à materia diſtincta, deberet totum bruti corpus informare: atqui non datur in brutis anima, quæ informet totum bruti corpus: ergo &c. Mi. eſt certa ſecundùm communem Peripateticorum doctrinam. Prob. mi. ex eo, quòd anima brutorum, ex Scriptura ſacra, eſt in ſolo ſanguine; etenim Deuter. c. 12. verſu 23. ſic legitur: *Hoc ſolùm cave, ne ſanguinem comedas; ſanguis enim eorum* (ſcilicet brutorum) *pro anima eſt; & idcircò non debes animam comedere cum carnibus.* Idemque habetur Levitici c. 17. verſu 14. *Anima omnis carnis* (inquit Sacra Scriptura) *in ſanguine eſt:*

est; unde dixi filiis Israel : Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est.

Respondeo concessa ma. negando min. ad cujus prob. ex Scriptura Sacra desumptam; dico animam brutorum dici, in Scriptura sacra, specialiter esse in sanguine, quia brutorum anima est vitæ ipsorum radix; vita verò brutorum maximè pendet à sanguine, utpotè qui foveat nativum calorem, spiritusque vitales ac animales ministret. Hinc D. Thomas q. 3. de poten. a. 9. ad 8. *Quia anima, inquit, est propriè actus corporis viventis; vivere autem est per calidum & humidum, quæ in animali per sanguinem conservantur; ideò dicitur, quòd anima est in sanguine.*

Objic. 3. potuit Deus ita constituere animalia, ut per solas machinas, omnes suos motus exequerentur, absque ulla anima cognoscente; hoc enim, inquiunt Cartesiani, negari non potest, nisi Deo omnipotentia denegetur: ergo ita esse factum, dubitare non debemus; cùm Deus & natura nihil faciant frustrà, & hoc modo innumerabilis atque superflua animarum multitudo vitetur.

Respondeo negando ant. proprii namque motus animalium sunt vitales, nequit verò facere Deus, ut motus vitalis per solas machinas producatur, absque anima; quoniam vitalis motus essentialiter exigit procedere à principio radicali vitæ, quod utique non est aliud, quàm anima; ideòque si vitales & proprii animalium motus, per solas machinas efficerentur absque anima, essent vitales, & non essent vitales; essent quidem vitales, quia essent proprii motus viventium, nempè animalium; non essent verò vitales, quoniam non procederent à principio radicali vitæ, nimirum ab anima: implicat itaque contradictionem, ut proprii animalium motus per solas machinas, sine anima, fiant; ideòque quamvis dicatur, Deum id præstare non posse, propterea ipsi nequaquam omnipotentia denega-

tur; licèt etenim Deus ſit omnipotens, propterea tamen implicantia contradictionem præſtare non poteſt. Et quidem proprii animalium motus, non modò ſunt vitales, ſed etiam vitales ſunt vitalitate ſenſitiva, proindeq; & cognoſcitiva; & ideò nec etiam divinitùs fieri poſſunt ſine anima ſentiente & cognoſcente; & quemadmodùm innumerabilis animalium multitudo nequaquam eſt ſuperflua, ita etiam ſuperflua non eſt innumerabilis animarum, quibus animalia illa conſtituuntur, multitudo.

Inſtabis: Deus ſua omnipotentia, & infinita virtute, facere poteſt machinas inanimatas, & omnis cognitionis expertes, quæ tamen animalium peripateticorum corporibus, tam interiùs, quàm exteriùs, omninò ſimiles ſint; ita ut habeant pellem, carnem, oſſa, nervos, venas, arterias, ſanguinem, ſpiritus vitales, cor, cerebrum, caput, pedes, aliaſque partes eodem modo figuratas & diſpoſitas, ac in animalibus Peripateticis: atqui ejuſmodi machinæ erunt verè & propriè animalia: ergo Deus ſua omnipotentia & infinita virtute, facere poteſt animalia inanimata, & omnis cognitionis expertia.

Reſpondeo, data maj. quantùm ad omnia, (ſi ſpiritus vitales excipiantur; hi namque ſpiritus eſſe nequeunt ſine ſanguine animato & vitali, cujus ſunt portiones quædam ſubtiles) negando min. etenim animal verè & propriè dictum, debet eſſe verè & propriè animatum; cùm *animal* non ſic appelletur, niſi quia animatur: ideòque machinæ illæ inanimatæ, animalia verè & propriè vocari minimè poſſent. Nec ſufficit ad veram & propriè dictam animalis rationem, ut animal animetur quacumque anima; ſed opus eſt, ut animetur anima cognoſcente, per quam differt à planta, quæ animatur quidem: anima vera & propriè dicta, quæ tamen non eſt cognoſcens, ſed vegetativa tantùm.

Ur-

Urgebis: Architas machinam ligneam columbæ ſimilem confecit, partium diſpoſitione & figura, atque aura incluſa intùs, ita libratam, ut medio aere ſuſpenſa volitaret. Item Dedali ſtatuæ (Ariſtotele & Platone teſtibus) huc illuc diſcurrebant ſponte: inſuper in Jarchæ Gymnoſophiſtæ convivio aurei Pincernæ ſeipſos movebant & conviviis miniſtrabant: nec opus eſt, referre recentiorum artefacta, quæ multas variorum animalium actiones egregiè imitantur: ergo à fortiori *Deus poteſt conficere machinas omnis prorſus cognitionis expertes, quæ* omnes omnium animalium operationes edant: ſi etenim animalium corpora multò perfectiora ſint, ſi longè mirabiliùs operentur, pluribuſque motibus creantur, quàm machinæ hominum arte confectæ; nonne *divina induſtria infinitè ſuperat humanam?* Et ſi magnum ſit *diſcrimen inter opera*, nonne multò majus *inter artifices ipſos intercedit?*

Reſpondeo, totam *illam ratiocinationem* probare quidem. *Dum ſua omnipotenti & infinita* virtute atqui induſtria *poſſe* producere machinas corporibus animalium ſimillimas, quæque perfectione ſuperent omnes machinas arte humana reproducibiles: ſed dico, totam hujuſmodi ratiocinationem minimè probare, machinas illas inanimatas & omnis cognitionis expertes poſſe unquam pervenire ad veram & propriè dictam *animalis* rationem; quandoquidem verum & propriè dictum *animal*, prout à *planta* diſtinguitur, debet *habere* verè ac propriè animam ſentientem, proindèque & cognoſcentem, non verò omnis cognitionis expertem.

§. III.

Aliæ Carteſianorum objectiones ſolvuntur.

OBjic.4. Deus eo modo bruta produxit, quo ipſius gloria atque potentia magis manifeſtarentur: atqui magis manifeſtantur gloria atque potentia Dei, ſi bruta ſint à Deo producta ſine anima cognoſcente, quàm ſi ſint producta cum anima cognoſcente: ergo &c. Maj. videtur clara. Prob. min. illa opera magis manifeſtant gloriam & potentiam Dei, in quibus major opificis induſtria apparet, & major micat potentia: atqui in brutis anima cognoſcente carentibus, major Dei ſupremi artificis induſtria apparet, & major micat potentia, quàm in ipſis animam cognoſcentem habentibus: ergo &c. Prob. min. ſicut ſi artifex conſtrueret navim, quæ ſine ullo nautæ auxilio, & abſque omni directione, ad quamcumque partem ſe converteret, quæ ventis opportunis ſe daret, quæ vela complicaret, vel demitteret, ubi neceſſitas illud exigeret, quæque tandem ſcopulos rupeſque ingentiſſimas vitaret; in hujuſmodi navi major illius artificis induſtria appareret, ac major ipſius micaret potentia, quàm ſi artifex ille conſtrueret navim, quæ nautæ auxilio & directione ſemper indigeret: ita ſi bruta à Deo producta, per ſolam partium diſpoſitionem, abſque ullo animæ cognoſcentis auxilio & directione, diverſas elicerent operationes, & diverſis motibus modò ad ſibi neceſſaria accederent, & modò à nocivis recederent; major Dei opificis induſtria appareret in brutis, & major ipſius micaret potentia, quàm ſi bruta à Deo producta, illa omnia præſtarent ex directione atque auxilio animæ cognoſcentis.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. ad cujus prob. conceſſa iterum maj. nego min. etenim

Dei

Dei opificis induſtria apparere, vel ejus potentia micare non poteſt in eo, quod implicat contradictionem; implicat autem contradictionem, dari brutum, quod ſit verè & propriè *brutum*, vel *animal*, eliciatque operationes animales ſine anima cognoſcente; quandoquidem animales operationes ſunt eſſentialiter vitales vitalitate ſenſitiva, proindèque vitalitate cognoſcitiva; ſicut verè ac propriè dictum *animal* eſt eſſentialiter vitale vitalitate ſenſitiva & cognoſcitiva.

Unde ad exemplum de navi, quæ nullo nautæ auxilio, nullaque ejus directione indigeret, negatur paritas; nam navis illa non implicat contradictionem, cùm poſſit à Deo produci, vel etiam ab homine ſpeciali induſtria & potentia, Deo largiente, donato; tum & maximè quia navis eſſentialiter non requirit auxilium & directionem nautæ.

Objic. 5. ubi eſt anima cognoſcens, ibi poteſt eſſe dolor; ut patet: atqui in brutis non poteſt eſſe dolor: ergo &c. Prob. min. ſi in brutis poſſet eſſe dolor, poſſet in brutis eſſe peccatum; atqui in brutis nequit eſſe peccatum: ergo &c. Prob. ma. ſi in brutis poſſet eſſe dolor, bruta poſſent eſſe doloribus obnoxia: atqui bruta non poſſunt eſſe doloribus obnoxia, niſi in ipſis poſſit eſſe peccatum; etenim juxta principia Auguſtini, Deus non poteſt producere aliquam creaturam cognitione præditam, doloribus obnoxiam, niſi in pœnam alicujus peccati præcedentis: ergo &c. Quòd verò in brutis nequeat eſſe peccatum, ex eo perſpicuum eſt, quòd in brutis nequeat eſſe libertas, quæ tamen ad peccatum neceſſaria omninò eſt.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. Ad cujus prob. nego ma. ad prob. ejus conceſſa ma. nego min. dum enim ait D. Auguſtinus, Deum non poſſe producere aliquam creaturam cognitione præditam, doloribus obnoxiam, niſi in pœ-

nam

etiam antecedenter; neque enim legere, ſcribere, & cytharam pulſare poſſumus, niſi in hujuſmodi operationibus per aliquam cognitionem antecedenter dirigamur: nullæ ergo operationes animalium propriæ fieri poſſunt ſine cognitione antecedente, vel conſequente, reflexiva, vel non reflexiva; proindèque ſine anima cognoſcente.

Inſtabis: cognitio non reflexiva repugnare videtur; imò omnis cognitio reflexiva eſt; ſiquidem omne cognoſcens cognoſcit ſe cognoſcere, adeò ut omnis cognitio ſui præſentia animam afficiat.

Reſpondeo negando, cognitionem non reflexivam repugnare, & omnem cognitionem eſſe reflexivam, adeò ut omne cognoſcens reflexivè cognoſcat ſe cognoſcere. Et dum in inſtantia dicitur, omnem cognitionem ſui præſentia animam afficere; reſpondeo diſtinguendo: concedo quippe, omnem cognitionem afficere animam ſui præſentia, in ordine ad cognoſcendum objectum, non tamen in ordine ad reflexivam ſui cognitionem.

Objic. 7. ſi bruta animam haberent ſenſitivam, maximè, quia vident, audiunt, & eliciunt alias ſenſationes, quas nos elicimus: atqui falſum eſt, bruta videre, audire, & elicere alias ſenſationes, quas nos elicimus: ergo &c. Prob. min. ſi bruta viderent, audirent, & alias elicerent ſenſationes, quas nos elicimus; maximè, quia habent oculos, aures, & cætera ſenſuum organa, quæ nos habemus: hæc autem ratio non probat, bruta videre, audire, & alias elicere ſenſationes, quas nos elicimus; alioquin bruta deberent etiam loqui, ſicuti nos loquimur, quia bruta habent etiam os, linguam, dentes, labia, & alia hujuſmodi organa, quæ habemus, & quibus loquimur.

Reſpondeo conceſſa major. negando minor. Ad cu-

cujus prob. nego paritatem : etenim bruta habent oculos, aures, & cætera ſenſuum organa eodem modo ad ſentiendum diſpoſita, ſicuti nos habemus : at bruta non habent os, linguam, labia, & alia hujuſmodi organa eodem modo diſpoſita, ac in nobis, ſed alio modo planè diverſo ; ut conſideranti patebit : unde boves habent quidem os, linguam, labia, & alia ſimilia organa diſpoſita ad mugiendum, ſicuti & leones ad rugiendum ; non tamen ad loquendum.

§. IV.

Satisfit aliis Carteſianorum objectis.

OBjic. 8. ſi bruta haberent animam ſenſitivam, dari deberet in brutis cognitio ſenſitiva : atqui in brutis non datur cognitio ſenſitiva : ergo &c. Prob. minor. ſi daretur in brutis cognitio ſenſitiva, hæc cognitio deberet eſſe corporea & materialis ; ut patet : atqui in brutis non datur cognitio corporea & materialis : ergo &c. Prob. min. ſi daretur in brutis cognitio corporea & materialis, deberet iſta cognitio eſſe extenſa ; quidquid enim eſt corporeum & materiale, illud eſt extenſum : atqui non datur in brutis cognitio extenſa : ergo &c. Prob. min. quidquid eſt extenſum, debet eſſe extenſum, vel in longum, vel in latum, vel in profundum ; aut in longum, latum, & profundum ſimul : atqui non datur in brutis cognitio extenſa in longum, vel latum, vel profundum ; aut in longum, latum, & profundum ſimul ; imò hoc abſurdum eſt : ergo &c.

Deinde, quidquid eſt extenſum, habet figuram ; & ita ſi daretur in brutis cognitio extenſa, hæc cognitio aliquam haberet figuram ; & ſic in brutis daretur cognitio, quæ figuram, vel

quadratam, vel rotundam, &c. haberet; quod omninò ridiculum eſt.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. Ad cujus prob. diſtinguo ma. ſi daretur in brutis cognitio ſenſitiva, hæc cognitio deberet eſſe corporea & materialis, per modum accidentis inhærentis, concedo: hæc cognitio deberet eſſe corporea & materialis, per modum ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentis, nego. Hoc autem eſt diſcrimen inter ſubſtantiam corpoream ac materialem per ſe ſubſiſtentem, & accidens inhærens ſubſtantiæ corporeæ ac materiali, quòd ſubſtantia corporea & materialis per ſe ſubſiſtens, eſt extenſa per propriam extenſionem; eſt quoque figurata per propriam figuram; unde ratione ſui eſt longa, lata, atque profunda; eſt etiam ratione ſui figurata, v.gr. quadrata, vel rotunda: at accidens corporeum & materiale non eſt extenſum vel figuratum per propriam extenſionem vel figuram, ſed duntaxat per extenſionem aut figuram ſubſtantiæ corporeæ ac materialis, cui inhæret; ideòque accidens corporeum & materiale ratione ſui non eſt extenſum, verbi gratia in longum, vel latum, &c. ſed duntaxat ratione ſubſtantiæ corporeæ & materialis; adeò ut ſit longum, ſi ſubſtantia corporea & materialis, cui inhæret, ſit longa; ſit verò latum, ſi ſubſtantia illa ſit lata, &c.

Similiter accidens corporeum & materiale ratione ſui non eſt figuratum, v.gr. quadratum, vel rotundum, &c. ſed ſolùm ratione ſubſtantiæ corporeæ & materialis, cui inhæret; ita ut accidens corporeum & materiale ſit quadratum, vel rotundum, &c. ſi ſubſtantia corporea & materialis ſit quadrata, vel rotunda, &c. cognitio autem ſenſitiva brutorum non eſt ſubſtantia corporea & materialis, ſed eſt tantùm accidens corporeum & materiale; & ideò ratione ſui non eſt extenſa, verbi gr. longa, vel lata; ſed tantùm, ratio-

tione ſubjecti, aut organi ſenſus, cui inhæret; adeò ut ſit longa, ſi tale organum ſit longum; ſit verò lata, ſi ejuſmodi organum ſit latum. Similiter cognitio ſenſitiva brutorum ratione ſui non habet figuram, v.g. quadratam, vel rotundam, ſed tantummodo ratione ſubjecti vel organi ſenſus, in quo recipitur; ideoque ſi tale organum ſit quadratum, vel rotundum, etiam cognitio in eo recepta, (quæ ſenſitiva eſt) quadrata eſt vel rotunda.

Objic.9. ſi ex operibus brutorum colligere liceret, in ipſis eſſe animas cognitione ſenſitiva præditas; ſequeretur, ejuſmodi animas eſſe anima humana nobiliores & prudentiores: atqui hoc planè abſurdum eſt: ergo &c. Prob. ſequela ma. plurima brutorum opera adeò mirabilia ſunt, ut omnem animæ humanæ prudentiam, induſtriam, & ſolertiam omninò ſuperent: quis enim hominum poſſet apum favos imitari, hirundinum nidos, philomelæ cantum, & formicarum providentiam?

Reſpondeo negando ſequelam ma. ut enim ſenſitiva brutorum animæ eſſent propriè & ſimpliciter anima humana nobiliores, deberent bruta ſecundùm omnia opera ſua homines ſuperare: hoc autem eſt falſum, quamvis enim bruta in quibuſdam operibus majoris prudentiæ, induſtriæ, & ſolertiæ oſtendant argumenta; in multis tamen aliis operibus ſuis longè inferiora hominibus ſeſe oſtendunt, ut quotidiana patet experientia. Deinde, licèt bruta præſtent quædam opera, in quibus major apparet prudentia, induſtria, & ſolertia, quàm in humanis operibus; non agunt tamen bruta in illis operibus ex propria directione, ſed ex ſolo inſtinctu ab authore naturæ indito; ideoque mirum videri non debet, ſi aliquando cum majori prudentia, induſtria, & ſolertia, operentur; cum majori, inquam, prudentia, induſtria, atque ſolertia exiſtente, non

in

in brutis, ſed in Deo authore naturæ bruta operantia dirigente: unde Deus naturæ author eſt quidem nobilior, & majori prudentia, induſtria, atque ſolertia præditus, quàm ſit prædita humana anima; at non item bruta ſunt anima humana nobiliora, & majori prudentia, induſtria, ac ſolertia prædita. Cæterùm, nequeunt bruta præſtare opera ſua ex inſtinctu authoris naturæ, niſi ſint aliqua cognitione prædita; quoniam non aliter bruta operantur ex inſtinctu authoris naturæ, niſi quatenus agunt ex propria cognitione juncta cum propenſione ſeu inclinatione ſibi indita ab ipſo authore naturæ.

Objic. 10. ſi daretur in brutis anima ſenſitiva & cognoſcens, deberet hæc anima poſſe cogitare; neque enim præſertim per ſenſus internos poterit anima illa cognoſcere, niſi cogitando: atqui non datur in brutis anima, quæ poſſit cogitare; ergo &c. Prob. min. ſi anima brutorum poſſet cogitare, nullum eſſet argumentum ad probandam animæ noſtræ immortalitatem: atqui hoc dici non poteſt: ergo &c. Prob. major. unicum, vel ſaltem præcipuum, ad probandam animæ noſtræ immortalitatem argumentum eſt, quia anima noſtra poteſt cogitare; hoc autem argumentum nullum eſſet, ſi anima brutorum, quæ mortalis eſt, poſſet cogitare; ut patet ſatis.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi daretur in brutis anima ſenſitiva & cognoſcens, deberet hæc anima poſſe cogitare cogitatione ſimplici, quæ nempè conſiſtat in ſimplici apprehēſione vel perceptione objectorum ſenſibilium facta per ſenſus internos, concedo: ſi daretur in brutis anima ſenſitiva & cognoſcens, deberet hæc anima poſſe cogitare cogitatione reflexiva, deliberativa, & diſcurſiva, nego. Argumentum ergo ad probandam animæ noſtræ immortalitatem & ſpiritualitatem, non eſt quæcumque ad cogitandum po-

potentia vel aptitudo, sed potentia aut aptitudo ad cogitandum cum reflexione, deliberatione, & discursu; quæ potentia vel aptitudo non convenit animabus brutorum.

Objic. 11. si anima sentiens & cognoscens esset in brutis, vel esset in una tantùm corporis parte, vel in omnibus corporis partibus simul? atqui neutrum dici potest: ergo &c. Prob. min. & primò quidem, anima sentiens brutorum non est in una tantùm corporis parte; alioquin illa corporis parte amputata, brutum ampliùs non sentiret, & moreretur; quod esse falsum, patet in serpente in duas partes diviso; hæ enim partes ab invicem amputatæ & divisæ moventur, sentiunt, & dolent æquè ac totus serpens ante divisionem & amputationem.

Quòd etiam anima sentiens brutorum non sit in omnibus corporis partibus simul, prob. nam si anima sentiens brutorum esset simul in omnibus & singulis partibus corporis; vel esset tota in singulis partibus; (*hoc est tota in cerebro, tota in oculo, tota in aure, &c.*) *vel* pars una animæ esset in una parte corporis, & alia pars in alia corporis parte? atqui neutrum dici potest: ergo &c. Prob. min. & primò quidem anima sentiens brutorum non est tota in toto corpore, & tota in singulis partibus corporis: quoniam si ita esset, non differret ab anima rationali & spirituali, quæ hoc eodem modo est in corpore.

Dici etiam non potest, animam sensitivam brutorum ita esse in singulis partibus corporis, ut una pars animæ sit in una corporis parte, & alia pars in alia parte; etenim si ita esset, una parte læsa, reliquæ partes minimè condolerent; quod experientia constat esse falsum. Præterea, totam animam sentientem, v. g. serpentis, esse in toto serpente, & totam in singulis partibus serpentis patere videtur & in toto serpente non dissecto, & in singulis partibus dissecti serpentis, singulæ

enim

nim partes illæ, æquè sentire videntur, ac totus serpens.

Respondeo animam sentientem & cognoscentem brutorum esse in omnibus corporis partibus simul. Ad prob. in contrarium, dico, animas sentientes & cognoscentes brutorum esse in duplici differentia. Quædam enim animæ brutorum sunt perfectæ, quibus nimirum constituuntur animalia perfecta, quæ nempè nequeunt produci nisi ex semine alterius animalis sibi in specie similis; & hujusmodi sunt leo, equus, &c. Aliæ sunt animæ brutorum imperfectæ, quibus scilicet constituuntur animalia imperfecta, quæ videlicet possunt ex putri materia generari; & ejusmodi sunt serpentes, ranæ, &c.

Animæ itaque perfectæ animalium vel brutorum sunt ita in omnibus & singulis partibus corporis, ut quælibet earum sit tota in qualibet corporis parte; anima enim perfecta animalis vel bruti, ex eo quòd perfecta est, nequit esse in corpore, nisi modo perfecto, id est, nisi modo independenti à quantitate, adeò ut licèt ratione quantitatis totum corpus in varias partes dividatur, ipsa tamen anima perfecta sit indivisa, & tota in qualibet corporis parte.

Et quamvis anima perfecta bruti sit tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte; adhuc tamen maximè differt ab anima rationali & spirituali; nam anima rationalis, & spiritualis ita est tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte, ut sit in suo *esse* à corpore independens, adeò ut destructo corpore, ipsa in suo *esse* perseveret: at anima perfecta bruti, quantumvis sit tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte; dependet tamen in suo *esse* à corpore, ita ut destructo corpore, ipsa quoque destruatur necessè sit.

Quantùm verò ad animas imperfectas brutorum; dico, eas sic esse in brutis, ut quælibet earum sit quidem in omnibus & singulis partibus cor-

corporis, ſed modo diviſibili; adeò ut una pars animæ ſit in una corporis parte, & alia pars in alia parte corporis; eo enim ipſo, quòd anima illa eſt imperfecta, debet eſſe modo imperfecto in corpore, proindèque modo dependenti à quantitate; ita ut, dum quantitas dividit totum corpus in diverſas partes, dividat quoque animam imperfectam in varias partes, adeò ut tot ſint animæ imperfectæ partes, quot ſunt corporis quanti, in quo eſt, partes.

Dum autem dicunt Adverſarii, quòd ſi anima imperfecta bruti ita eſſet in corpore, ut una pars animæ foret in una corporis parte, & alia pars in alia parte corporis; inde ſequeretur, una parte ixta, alias partes non condolere. Reſpondeo negando ſequelam iſtam; quantumvis etenim anima imperfecta bruti ſit modo dicto in corpore; attamen ſemper verum eſt, inter partes, tum corporis, tum animæ, naturalem eſſe unionem atque ſympathiam, ratione cujus, una illarum partium læſa, aliæ condoleant neceſſe eſt.

Nec obſtat, quòd ſingulæ partes diſſecti ſerpentis æquè ſentire videantur, ac totus ſerpens; licèt enim æquè ſentiant, non tamen eodem modo; ſed totus ſerpens ſentit ad modum totius viventis, ſingulæ autem ejus partes ad modum partium viventis imperfecti continentium duntaxat partes animæ imperfectæ ejuſdem viventis.

Objic. 12. Omne ens, vel eſt corpus, vel ſpiritus; ſi ergo in brutis daretur cognitio, vel eſſet corpus, vel ſpiritus? atqui cognitio brutorum, nec eſt corpus, nec ſpiritus: ergo &c. Ma. videtur clara: Prob. min. etenim juxta communem Peripateticorum doctrinam, omne corpus, omniſque ſpiritus, ſubſtantia quædam eſt: atqui cognitio brutorum non eſt ſubſtantia, ſed tantùm accidens quoddam: ergo &c.

Reſpondeo negando maj. etenim inter entia dantur, non modò corpus, & ſpiritus; ſed etiam ea, quæ pertinent, vel ad corpus, vel ad ſpiritum,

BIBLIOTECA D. MONTEFUSCO

tum, (cujuſmodi ſunt operationes corporis, vel ſpiritus) quæque vel *corporea*, vel *ſpiritualia*, nuncupantur. Cognitio itaque brutorum propriè nec eſt corpus, nec ſpiritus; ſed eſt *operatio corporea*, ſive eſt operatio pertinens ad corpus; ſive clariùs, eſt operatio agentis corporei, videlicet bruti.

Quòd ſi inſtent adverſarii, omnem cognitionem eſſe ſpiritualem, proindèque convenire non poſſe brutis merè corporeis. Reſpondeo diſtinguendo: concedo namque, omnem cognitionem intellectualem, immediatè nempè ab intellectu procedentem, eſſe ſpiritualem; ſed id nego de cognitione ſenſitiva, quæ videlicet medio ſenſus organo exercetur; unde nihil impedit, ne iſta cognitio conveniat brutis corporeis.

Inſtabis: ſi in brutis eſſet cognitio, poſſet etiam eſſe in eis ratiocinatio; ſicque bruta forent rationalia: atqui hoc dici non poteſt: ergo &c. Prob. ma. ratiocinatio nihil eſt aliud, quàm cognitio cauſata vel illata ex altera priori: atqui ſi in brutis eſſet cognitio, hæc poſſet eſſe ex altera priori cauſata & allata: ergo &c.

Reſpondeo negando ma. Ad cujus prob. conceſſa ma. nego min. ut enim una cognitio ex altera priori cognitione cauſetur & inferatur, requiritur, ut cognoſcens comparet conſequens cum antecedente, cognoſcendo proportionem & connexionem unius cum alio; quæ proportio & connexio non eſt ſenſibilis, ſed ſolum intelligibilis; proindèque per ſenſus brutorum cognoſci non poteſt, ſed per ſolum hominis intellectum, in quo ſubinde ſolo poteſt eſſe ratiocinatio.

QUÆ-

QUÆSTIO ULTIMA.

De anima rationali.

TRes esse animas, videlicet, vegetativam, sensitivam, & rationalem, suprà suo loco ostensum est. Explicatis verò iis, quæ ad animam vegetativam & ad animam sensitivam pertinet; supereſt, ut anima rationalis, & ea, quæ ad ipsam spectant, explanentur. Duobus autem modis potest anima rationalis definiri; in primis namque hoc pacto definiri potest: *Anima rationalis est actus primus substantialis corporis naturalis organici potentia vitam rationalem habentis*. Quæ definitio exponit animam rationalem à priori, hoc est, per id, quod in ipsa rationali anima prius est, priusque in ea concipitur. Secundò sic potest definiri: *Anima rationalis est id, quo primò ratiocinamur*: sive, quod idem est: *Anima rationalis est primum & radicale ratiocinandi principium*; & hæc definitio explicat animam rationalem quodammodò à posteriori. Quæ omnia patent ex alibi dictis.

Articulus Primus.

Quid ſit anima rationalis?

QUid ſit res aliqua, definitione explicatur; ideòque ex duplici definitione rationalis animæ ſuprà allata patet ſatis, quid ſit anima rationalis; ut pateat tamen & innoteſcat ampliùs quidditas, ſeu natura, & eſſentia præſtantiſſimæ hujus animæ, ſit.

§. I.

Oſtenditur, animam rationalem eſſe ſpiritualem.

PRob.1. ex Scriptura Sacra. In primis enim Eccleſiaſtæ 12. ſic legitur: *Revertatur pulvis* (id eſt corpus humanum ex pulvere formatum) *in terram ſuam, unde erat; & ſpiritus* (id eſt anima rationalis) *redeat ad Deum, qui dedit illum*: & ad Rom.8. hæc habentur: *Ipſe enim ſpiritus* (hoc eſt, Deus) *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro*, (id eſt animæ noſtræ rationali) *quòd ſumus filii Dei*. Quibus verbis aſſerit Scriptura, animam rationalem eo proportionali modo eſſe ſpiritum, quo Deus eſt ſpiritus: ergo cùm Deus ſit purè & propriè ſpiritus omninò immaterialis & incorporeus, proportionaliter dicendum eſt, animam rationalem eſſe purè & propriè ſpiritum omninò immaterialem & incorporeum. Simili modo loquitur Sacra Scriptura variis in locis.

Prob.2. ex Concilio 4. Lateranenſi ſub Innocentio 3. & refertur cap. *firmiter*, de ſumma Trinit. & Fide Catholica, ubi ſic habetur: *Deus ab initio utramque de nihilo condidit creaturam, corpoream, & ſpiritualem; angelicam ſcilicet & mundanam, deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu* (nempè ex anima rationali) *& corpore conſti-*

tu-

turam. Item cap. *quidam autem hæreticorum*, sententia sustinens, animam intellectivam seu rationalem non esse spiritum, prout spiritus opponitur corpori, refertur inter hæreses. Eandem conclusionem docent communiter SS. Patres, quorum testimonia brevitatis causa omitto.

Prob. 3. ratione Philosophica: illud agens est propriè spirituale, cujus actio est propriè spiritualis: sicut illud agens est propriè corporeum, cujus actio est propriè corporea; debet quippe esse proportio inter agens & actionem ejus: atqui propria actio animæ rationalis seu intellectivæ est propriè spiritualis: ergo &c. Prob. min. propria actio animæ rationalis seu intellectivæ est intellectio; ut patet ex ipsis terminis: atqui intellectio est propriè spiritualis; utpotè quæ attingere potest etiam spiritualia propriè dicta, cujusmodi sunt Deus & Angeli: ergo &c.

Nec dicas, animam rationalem intellectione sua non attingere Deum, Angelos & ejusmodi res propriè spirituales, ut in se sunt: sed per analogiam aut similitudinem ad res corporeas.

Contra enim est, quòd licèt anima rationalis non possit cognoscendo & intelligendo attingere (pro præsenti statu conjunctionis animæ rationalis cum corpore) per simplicem apprehensionem, Deum, Angelos, & hujusmodi res propriè spirituales, ut in se sunt; verè tamen res illas, ut in se sunt, per judicium & discursum attingit, cognoscit, & intelligit; judicando, & per discursum probando, ea quæ sunt propria rerum corporearum, Deo, Angelis, & ejusmodi rebus, prout in se sunt, non convenire.

Instatur: ea actio est propriè spiritualis, quæ immediatè procedit à potentia propriè spirituali; sicut ea actio est propriè corporea, quæ immediatè provenit à potentia propriè corporea: atqui intellectio immediatè à potentia pro-

priè ſpirituali, nempè ab intellectu procedit: ergo &c. Quòd intellectus ſit potentia propriè ſpiritualis, ex eo oſtenditur, quòd omnis potentia corporea eſt ex ſe determinata ad aliquod objectum corporeum, ultra quod naturaliter nequit ſe extendere; ſic potentia viſiva ex ſe determinata eſt ad colorem, potentia auditiva ad ſonum, & ſic de cæteris: intellectus autem ex ſe non eſt determinatus ad aliquod objectum corporeum, ſed circa omnia verſari poteſt. Deinde, intellectus cognoſcere poteſt naturas univerſales, quod potentiis corporeis convenire nequit; omnes quippè illæ potentiæ ad ſingularia determinantur, ut patet in potentiis ſenſitivis, quæ ſola percipiunt ſingularia.

Prob. 4. illud agens eſt propriè verèque ſpirituale, immateriale, & incorporeum, quod eſt liberum, habetque ſuarum actionum dominium, ita ut poſitis omnibus ad operandum requiſitis, poſſit operari, vel non operari, vel etiam pro arbitratu ſuo diverſa operari; quandoquidem omne agens corporeum, poſitis omnibus ad operandum requiſitis, non poteſt non operari; ut patebit ſingula agentia corporea conſideranti: atqui anima rationalis eſt libera in nobis, habetque ſuarum actionum dominium; ita ut, poſitis omnibus ad operandum requiſitis, poſſit operari, vel non operari, vel etiam pro arbitratu ſuo, diverſa operari; ut quotidiana docet experientia: ergo &c.

Objic. 1. celebre illud Scripturæ teſtimonium, ſumptum ex Sapientiæ cap. 2. ubi ſic legitur: *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus; quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum: qua extincta, cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur, tanquam mollis aer*: ſi autem ſpiritus noſter, id eſt, anima noſtra rationalis, poſt mortem noſtram diffundetur tanquam

quam mollis aer: ergo spiritualis asserunt. Ange-
quippè aer non est aliquid spiritua e cor-
corporeum. prio-

Respondeo, solutionem illorum ve ima
beri initio capitis citati, ubi hæc legu num
xerunt enim cogitantes apud se non rectè. it à
verbis declarat Scriptura, se in verbis seque ita-
non loqui assertivè, sed duntaxat relativè, lo-
rendo nempè verba ab insipientibus & impiis iam
gitata & prolata. am

Objic. 2. in septimo Concilio generali (quod est Nicænum secundum) actione 5. approbatur sententia Joannis Episcopi Thessalonicensis, his verbis expressa: *De Angelis, , & Archangelis, & eorum potestatibus, quibus & nostras animas adjungo; ipsa Catholica Ecclesia sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omninò corporis expertes, & indivisibiles; verùm tenui corpore præditos, & aereo, sive igneo; ut scriptum est: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros ejus ignem urentem: sic autem multos sanctorum Patrum sensisse cognovimus, quorum est Basilius, cognomento Magnus, & B. Athanasius*; & infrà; *Nemo tamen vel Angelos, vel dæmones, vel animas, dixerit incorporeas; multoties enim in proprio corpore visi sunt; sed ab illis, quibus Dominus oculos aperuit.*

Respondeo, ex communi solutione, Joannem illum Thèssalonicensem Episcopum docuisse, Angelos, Archangelos, & animas nostras, habere corpora aerea, vel ignea, non *compositivè*, ita ut componantur ex corpore; sed *effectivè*, quatenus efficere possunt corpora aerea, vel ignea, & in eis apparere ac videri à nobis; unde conclusit, sacro approbante Concilio, Angelos, Archangelos, & animas nostras, pingi posse. Sed de hoc fusius Theologi disserunt in Tractatu de Angelis.

Objic. 3. D. Hieronymus in cap. 10. Matth. super illa verba: *Nolite timere eos, qui occidunt cor-*

priè sp... ...us occidunt, animam non
go & ... divisibilis & incorporalis
ritua ... dico nostri corporis substan-
corp ... pus, sic ...nus lib. 2. orthodoxæ Fidei
ctun ... possum ...m, loquens de natura Ange-
se e... est: ...ualior esse nequit animæ ratio-
est a... tia sic ait: *Incorpoream autem dico,*
sic d... *cad materiæ crassitiem; nam solus re-*
dete... *hmaterialis & incorporeus est*; & D.
se... ...as tom. 2. Epistola 28. ad Hieronymum
...et: *Quapropter si anima corpus esse dicen-*
, non est certè corpus, quale terrenum est,
quale humidum, aereum, aut æthereum.
...enique in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap.
11. & 12. qui est in Tomo 3. in opera D. Augusti-
ni, hæc leguntur: *Nihil incorporeum & indivisi-*
bile esse natura credendum est, nisi solum Deum,
id est, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum:
creatura omnis corporea, Angeli, & omnes cæle-
stes virtutes corporeæ; licèt non carne subsistant.

Resp. *corporeum* posse sumi quatuor modis.

Primò pro eo, quod ex sua natura non est *divinum*; sicut enim quod ex sua natura divinum est, ab omni corporeitate remotissimum est; ita, quod ex sua natura non est divinum, censetur (comparatione Dei, qui ex sua natura divinus est, *per essentiam*) quodammodò corporeum, vel saltem minùs perfectè incorporeum. Secundò, *corporeum* accipi potest pro eo, quod ex se & independenter à causa efficiente incorporeitatem non habet, sed potiùs per realem à causa efficiente productionem; eo enim ipso, quòd ex se incorporeitatem non habet, aliquo modo corporeum dici potest. Tertiò, *corporeum* potest sumi pro eo, quod determinatum in universo habet locum, extra quem non reperitur. Quartò demùm, strictè & propriè accipi potest *corporeum* pro eo, quod habet integrales partes extensas beneficio quantitatis.

Dum

Dum ergo Sancti Patres citati asserunt, Angelos esse corporeos, vel animas rationales esse corporeas, accipiunt *corporeum* aliquo ex tribus prioribus modis; revera namque Angelus, vel anima rationalis, ex sua natura non est aliquid divinum & increatum; sed potiùs dependet à Deo, ut à causa efficiente, à qua suam accipit incorporeitatem, habetque determinatum in universo locum, extra quem non invenitur: nequaquam tamen censent SS. Patres, Angelum vel animam rationalem, esse aliquid corporeum quarto modo, adeò ut sit aliquid beneficio quantitatis in partes integrales extensum.

Inficiandum tamen non est, quin Tertullianus in libro de Resurrectione carnis, numero 13. tenuerit, animam humanam esse propriè corpoream; ut colligitur ex D. Augustino lib. 10. super Genesim ad litteram cap. 25. Idem censuisse Origenem asserunt aliqui; lib. tamen 7. contra Celsum ait, animam rationalem ex sua natura esse indivisibilem & incompositam.

Objic. 4. illud agens est corporeum, cujus præcipua potentia est corporea; ut satis patet: atqui præcipua animæ rationalis potentia est corporea, nempè intellectus est corporeus: ergo &c. Prob. min. ea potentia est corporea, quæ in omni operatione sua pendet à corpore; ita ut ligatis sensibus corporis, ab omni operatione cesset: atqui intellectus in omni operatione sua pendet à corpore, ita ut ligatis sensibus, intellectus ab omni operatione cessat; ut patet in somno: hinc intellectus eò magis vel minùs viget, quò cerebri temperamentum perfectius vel imperfectius est: quam doctrinam tradit Aristoteles lib. 3. de Anim. cap. 7. textu 30. & cap. 9. textu 39. & alibi: ergo &c.

Respond. concessa ma. negando min. Ad cujus prob. distinguo maj. ea potentia est corporea, quę in omni operatione sua pendet à corpore, sicut

à ſubjecto, in quo immediatè exiſtat, ſive cui immediatè inhæreat tanquam potentia ejus organica, concedo: ea potentia eſt corporea, quæ in omni operatione ſua pendet à corpore, tanquam à miniſtro ad ipſam referente objectum ipſique illud offerente, nego: intellectus autem animæ rationalis conjunctæ corpori, pendet quidem in omni operatione ſua à corpore, tanquam à miniſtro, objecta mediis ſenſibus externis & internis ad ipſum intellectum referente, & illa ipſi intellectui offerente, ut poſſit ab eis ſpecies intelligibiles deſumere: at nequaquam intellectus pendet à corpore, ſicut à ſubjecto, cui immediatè inhæreat, tanquam potentiæ ejus organica.

Quòd verò, ligatis ſenſibus corporis, ab omni operatione ceſſet intellectus; hoc ideò eſt, quia ipſe intellectus, pro præſenti ſtatu conjunctionis animæ rationalis cum corpore, nequit ullam operationem exercere, niſi præſuppoſitis miniſtrorum ſuorum, ſcilicet ſenſuum corporis, operationibus.

Demùm, quòd intellectus animæ rationalis conjunctæ cum corpore, eò magis vel minùs vigeat, quò cerebri temperamentum perfectius, vel imperfectius eſt; id non provenit ex eo, quòd intellectus ſumat perfectionem ſuam à cerebro vel à cerebri temperamento, ſed ex eo, quòd, prout cerebrum, vel ejus temperamentum, perfectius, vel imperfectius eſt, objectum diſtinctiùs, aut minùs diſtinctè, per ſenſus internos in cerebro exiſtentes, repræſentatur intellectui; ex quo fit, ut intellectus ab objecto ſic perfectiùs vel imperfectiùs repræſentato, perfectiores vel imperfectiores abſtrahat ſpecies intelligibiles; & ita perfectiùs vel imperfectiùs intelligat, ſicque magis vel minùs vigere videatur.

Objic. 5. Forma corporis debet eſſe corporea:

rea: atqui anima rationalis in homine eſt forma corporis: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. forma corporis debet eſſe corporea *ut quo*, id eſt, debet eſſe id, quo informetur corpus, & conſtituatur compoſitum corporeum, concedo: forma corporis debet eſſe corporea *ut quod*, id eſt, debet neceſſariò eſſe id, quod abſolutè in ſua entitate corporeum eſt, nego: ideòque ex eo, quòd anima rationalis ſit forma corporis humani, ſequitur quidem, animam rationalem eſſe corpoream *ut quo*, adeò ut ſit actus ſubſtantialis incompletus, quo informetur humanum corpus, & conſtituatur homo, qui eſt aliquod compoſitum corporeum; minimè tamen ſequitur; animam rationalem eſſe corpoream *ut quod*, quaſi abſolutè in ſua entitate ſit corporea, & in ſuo *eſſe* à corpore dependens; quin potiùs enim in ſuo *eſſe* à corpore independens eſt, & abſolutè ſine illo eſſe poteſt.

Inſtabis: quod eſt radix quantitatis, & plurium aliorum accidentium corporeorum, debet eſſe corporeum: atqui anima rationalis in homine eſt radix quantitatis, & plurium aliorum accidentium corporeorum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. quod eſt radix *ut quod* quantitatis & plurium aliorum accidentium corporeorum, debet eſſe corporeum, concedo: quod eſt radix *ut quo*, quantitatis, & plurium aliorum accidentium corporeorum, debet eſſe corporeum, diſtinguo iterum: debet eſſe corporeum *ut quo*, concedo: debet eſſe corporeum *ut quod*, nego: quamvis autem anima rationalis in homine ſit *ut quo* radix quantitatis & aliorum accidentium corporeorum in ipſo homine exiſtentium, quatenus eſt id, quo conſtituitur humana natura; ſola tamen natura humana eſt *ut quod* radix illorum accidentium, quatenus eſt id, quod abſolutè eſt radix proxima ejuſmodi

accidentium, quæ ex illa reſultant; eo ſimili modo, quo proprietates emanant ex eſſentia, cujus proprietates dicuntur.

Urgebis: quod in ſua entitate eſt corporeum, eſt corporeum *ut quod*; ut patet ex dictis: atqui anima rationalis in ſua entitate eſt corporea: ergo &c. Prob. min. gradus *corporis* in homine eſt formalis effectus animæ rationalis; ut communiter docent Philoſophi, præſertim in ſchola Div. Thomæ; unde cùm effectus formalis alicujus formæ ſit ipſius formæ entitas, ut communicata ſubjecto; gradus *corporis* in homine, debet eſſe ipſa animæ rationalis entitas ut communicata ſubjecto, videlicet corpori: atqui gradus *corporis* nequit in homine eſſe ipſa animæ rationalis entitas, niſi hæc entitas ſit corporea; ut patet ſatis: ergo &c.

Reſpondeo, formæ entitatem poſſe dici corpoream duobus modis; videlicet, vel in *cauſando*, vel in *eſſendo*. Tunc formæ entitas eſt corporea in *cauſando*, quando per ſui communicationem cauſat *corporis* gradum per modum effectus formalis; tunc verò formæ entitas eſt corporea in *eſſendo*, quando in ſuo *eſſe* dependet abſolutè à corpore. Forma itaque obtinens entitatem corpoream in *eſſendo*, revera eſt corporea *ut quod*: at forma, cujus entitas eſt corporea duntaxat in cauſando, non eſt corporea, niſi *ut quo*.

Unde ſic in forma reſpondeo: quod in ſua entitate eſt corporeum in *eſſendo*, eſt corporeum *ut quod*, concedo: quod in ſua entitate eſt corporeum ſolùm in *cauſando*, eſt corporeum *ut quod*, nego; & diſtincta ſimiliter min nego conſeq. Ad prob. min. conceſſa ma. diſtinguo min. atqui gradus *corporis* nequit in homine eſſe ipſa animæ rationalis entitas, niſi hæc entitas ſit corporea in *cauſando*, concedo: niſi hæc entitas ſit corporea in *eſſendo*, nego.

Dices: ſi anima rationalis & intellectiva ſo-

rei spiritualis, maximè quia ejus propria potentia, nempè intellectus, attingit res spirituales: atqui hæc ratio nulla est: ergo &c. Maj. ex dictis patet. Prob. min. non repugnat, potentiam corpoream attingere res spirituales: ergo ex eo, quòd intellectus attingat res spirituales, non rectè inde infertur, intellectum, vel animam rationalem & intellectivam, esse spiritualem. Prob. ant. non repugnat, potentiam spiritualem attingere & cognoscere res corporeas: ergo pariter non repugnat, potentiam corpoream attingere & cognoscere res spirituales.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. nego ant. ad prob. ejus, nego conseq. & paritatem: etenim, ob singularem potentiæ spiritualis & intellectivæ præstantiam, assignandum est ei objectum ab ipsa attingibile & cognoscibile universalissimum, videlicet ens universalissime sumptum, quod sub se comprehendit res spirituales & corporeas; idcòque mirum non est, si potentia illa possit attingere & cognoscere res, tum spirituales, tum corporeas; at nihil est simile in potentia corporea, cujus objectum longè angustius esse debet, quàm ut possit res spirituales sub se complecti; quare proinde non potest corporea potentia attingere vel cognoscere.

§. II.

Probatur, animam rationalem eſſe immortalem.

ALiquid poteſt eſſe immortale dupliciter. Primò ab extrinſeco, quando nempè à nullo agente extrinſeco deſtrui poteſt, & hoc modo ſolus Drus eſt immortalis; juxta illud 1. ad Tim. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*: omnes verò creaturæ poſſunt à Deo deſtrui; quoniam ſicut Deus liberè dedit *eſſe* omnibus & ſingulis creaturis, ita liberè eas in *eſſe* conſervat; & idcircò, ſi vellet, poſſet Deus ſingulas creaturas in *eſſe* ampliùs non conſervare, & in nihilum redigere.

Alio modo aliquid dici poteſt immortale, nimirum ab intrinſeco; quia nempè in ſe aut intrinſecè nullum habet corruptionis principium. Et in hoc ſenſu dicimus, animam rationalem eſſe immortalem. Quæ quidem veritas catholica, eſt in primis contra Sadducæos, veteres in Judaiſmo hæreticos, exiſtimantes, non poſſe ex Scriptura oſtendi, animam rationalem eſſe immortalem, neque aliquam creaturam ſpiritualem dari; quam ob cauſam, reſurrectionem mortuorum negabant; ut habetur Matth. 22. & Act. 23. Eſt etiam contra multos alios hæreticos aſſerentes, animam rationalem interire cum corpore; ut refert S. Damaſcenus in libro de hæreſibus, ſatis ante finem. Lutherus demùm art. 27. ex damnatis à Leone 10. inter portenta, quæ dicit eſſe in fide Eccleſiæ Romanæ, unum eſſe ait, *animam humanam eſſe immortalem*.

Prob. autem 1. prædicta veritas catholica, ex variis veteris teſtamenti Teſtimoniis. In primis namque Sapient. 4. hæc habentur: *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: ſi autem moriente juſto, anima rationalis ſimul cum cor-

corpore interiret, ita ut neque corpus, neque rationalis ipsius justi anima remaneret ; quomodo justus post mortem, verè diceretur esse in refrigerio? Deindè Ecclesiastæ ultimo cap. sic legitur : *Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ* : quomodo autem homo in morte ibit in domum æternitatis suæ, si totus homo, & secundùm corpus, & secundùm animam, in ipsa morte moriatur? Et ibidem versu 7. subjungitur : *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat ; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* : quonam modo verò spiritus (id est, anima rationalis) rediret ad Deum, si cum corpore, in morte extingueretur?

Item lib. 2. Machab. c. 12. in fine, mittuntur pecuniæ Jerosolymam in sacrificium, ut à pœnis exsolvantur defunctorum animæ. Et cap. 6. Eleazarus consulentibus, ut *Libero* sacra faceret, tuendæ vitæ causa : respondit : *Etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, Omnipotentis manum, nec vivus, nec defunctus, effugiam*. existimabat ergo, animam nostram post mortem corporis permanere, & pœnis à Deo puniri posse. Denique, Sap. 2. 3. 4. & 5. expressè dicitur, animas justorum non interire cum corporibus : ibi namque justi dicuntur habere spem immortalitate plenam & esse in pace; adeò ut licèt oculis insipientium visi fuerint mori, in perpetuum tamen sint victuri. Unde improbi existentes in inferno dicent (asserente eadem Scriptura Sacra) *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est*.

Prob. 2. ex novo testamento. In primis Matth. 10. dicebat Christus : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* : si verò anima rationalis occidi non potest. ergo est immortalis. Et D. Paulus 1. ad Cor. 5. ait de fornicario : *Iudicavi tradere hujusmodi Satanæ in interitum*

vitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quibus verbis apertiſſimè docet, ſpiritum, ſeu animam rationalem hominis, permanere poſt interitum carnis. Denique plurimis in locis veteris & novi teſtamenti, fit mentio pœnarum vitæ futuræ, v. gr. ignis æterni atque inextinguibilis; item præmiorum vitæ æternæ. Quæ omnia forent vana, niſi anima rationalis hominis, mortuo corpore, ſuperſtes eſſet, ut poſſet, vel pœnis, vel præmiis vitæ æternæ, pro malis, vel bonis operibus, affici.

Addi poteſt Decretum Concilii Lateranenſis quinti ſub Leone Decimo, ſeſſ. 8. ubi hæc habentur: *Cùm diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de natura animæ rationalis, quòd mortalis ſit &c. ſacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectivam mortalem eſſe &c.* Accedit ſymboli Apoſtolorum Articulus de vita æterna, item de deſcenſu animæ Chriſti ad inferos poſt ipſius corporis mortem; quæ ſtare non poſſunt cum animæ rationalis mortalitate, ut patet ſatis.

Prob. 3. ex SS. Patribus: *Quis nunc eſt* (inquit D. Auguſt. Epiſt. 3. ad Voluſianum, ſatis poſt medium, tomo 2.) *extremus Idiota, vel quæ abjecta muliercula, quæ immortalitatem animæ non credat, vitamque poſt mortem futuram?* Item D. Ambr. lib. 2. de fide c. 3. in fine tom. 4. ait: *An mori divinitas poteſt, cùm anima non poſſit?* & de bono mortis c. 9. circa initium, tomo 1. *Non enim mori animam cum corpore, manifeſtum eſt, quia non eſt de corpore.* Inſuper D. Gregorius Magnus lib. 4. Moral. cap. 7. tomo 2 *Humana* (inquit) *anima, ceu Angelicus ſpiritus, immortalis eſt*. D. Chryſoſtomus quoque Orat. 4. de Providentia & fato, circa medium tom. 5. vocat inſanos, qui animam rationalem poſt mortem non remanere, & cum corpore extingui, aſſeverant. Demùm D. Bernardus ſerm. 81. in Cantica, ſatis ante medium, tomo 3. idem

his

his aſſerit verbis: *Immortalis anima eſt, quoniam cum ipſa vita ſit; ſicut non eſt, quo cadat ſe; ſic non eſt, quo cadat à vita.* Idemque ſæpiſſimè docent alii Patres, quorum omnium teſtimonia huc congerere, longum nimis foret.

Prob. 4. ratione Philoſophica: ſubſtantia ſpiritualis & immaterialis, eſt ab intrinſeco immortalis: atqui anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis & immaterialis; ut probatum eſt §. præcedenti: ergo &c. Prob. maj. quod caret principio intrinſeco, tam radicali, quàm proximo corruptionis, illud eſt ab intrinſeco incorruptibile & immortale; ut ex ipſis terminis patet: atqui ſubſtantia ſpiritualis & immaterialis caret principio intrinſeco, tam radicali, quàm proximo corruptionis: ergo &c. Prob. min. principium radicale corruptionis eſt materia prima (ut probatum eſt & explanatum alibi;) principium verò proximum corruptionis ſunt contrariæ qualitates primæ, perpetuò inter ſe pugnantes, & ſubſtantiam, in qua ſunt, tandem deſtruentes, (ut etiam alibi dictum eſt:) atqui ſubſtantia ſpiritualis & immaterialis caret materia prima, & primis qualitatibus perpetuò inter ſe pugnantibus atque contrariis: ergo &c. Prob. min. & primò quidem ſubſtantia ſpiritualis & immaterialis caret materia prima, & ab ea independens eſt; quoniam in hoc conſiſtit ſpiritualitas & immaterialitas alicujus ſubſtantiæ, quòd ex materia prima non conſtet, & ab ea ſit independens. Præterea caret etiam primis qualitatibus contrariis perpetuò inter ſe pugnantibus; videlicet calore, frigore, humiditate, & ſiccitate; quia hæ qualitates ſunt corporeæ & materiales, proindèque in ſubſtantia ſpirituali & immateriali reperiri nequaquam poſſunt.

Prob. 5. ratione deducta ex providentia Divina: ſpectat namque ad Dei providentiam, homines

pra-

pravos, propter peccata, condignè punire, & juſtis præmia reddere: hoc autem non fit in hac vita; videmus quippe malos homines ſæpè affluere divitiis, frui voluptatibus, honoribus affici, & gloria præfulgere; juſtos verò ſæpiſſimè pauperes eſſe, miſeriis, ærumnis, & calumniis patere, nec non à divitibus & injuſtis opprimi, atque ludibrio eſſe ac contemptui: cùm ergo ad juſtum proviſorem & Judicem Deum ſpectet, & juſtis præmia, & improbis ſupplicia, decernere; neceſſe eſt, futuram eſſe aliam vitam, in qua hæc exequatur Deus, circa juſtorum & improborum animas rationales poſt mortem, tanquam immortales. Hanc rationem inculcat D. Chryſoſtomus loco ſuperiùs citato: ſicut & Concilium Lateranenſe loco ſuprà laudato.

Denique hanc veritatem eſſe naturali lumine notam, ex eo convincitur, quòd Philoſophi nobiliſſimi fide ſupernaturali carentes, huic veritati aſſenſum præbuere: ut Socrates, Plato, Xenocrates, Empedocles, Triſmegiſtus, Pytagoras, Seneca, Cicero, Simplicius, Philoponus, Ammonius, & alii innumeri, quos refert D. Auguſtinus lib. de Immortalitate animæ.

Et licèt Plutarchus libro quinto de placitis capite primo aſſerat, Ariſtotelem negaſſe immortalitatem animæ; eam tamen ſatis apertè docet variis in locis, ſed præſertim 14. Metaph. cap. 3. in fine, ubi ait, animam rationalem poſt mortem hominis permanere, perindèque nequaquam mori cum corpore; verba Ariſtotelis ſunt hæc: *Si autem aliquid poſteriùs permanet, conſiderandum eſt: in quibuſdam* (animalibus, videlicet in hominibus) *enim nihil prohibet, veluti ſi anima tale ſit; non omnis, ſed mens, (ſive mentalis anima,)* &c.

§. Uni-

§. Unicus.

Objectiones solvuntur.

OBJIC. 1. Ecclesiastæ 3. sic legitur: *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur; similiter spirant omnia, & nihil habet homo, jumento amplius, &c.* sicut ergo jumenta sunt mortalia, & secundùm corpus, & secundùm animam; sic & homo secundùm corpus, & secundùm animam, mortalis esse debet; alioquin æqua non esset hominis & jumentorum conditio.

Respondeo 1. verba illa proferri in persona impii, eo fine, ut nulla habita ratione vitæ futuræ, præsentis vitæ voluptatibus incumbat. Respondeo 2. esse æquam hominis & jumentorum conditionem, quantùm ad corpus, non verò quantùm ad animam.

Instabis 1. Sapientiæ 2. hæc verba iterum leguntur: *Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus*: si verò nostra anima rationalis permaneret post mortem, tamquam immortalis, verba illa Sapientiæ non essent vera. Respondeo, verba illa dici in persona impiorum, unde Sapiens posteà subjungit: *Hæc cogitaverunt & erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum.* Unde ipse Sapiens ibidem asserit, hominem inexterminabilem esse: *Quoniam Deus*, inquit, *creavit hominem inexterminabilem*: videlicet secundùm animam rationalem.

Instabis 2. Job. c. 14. versu 10. 11. & 12. hæc habentur: *Homo cùm mortuus fuerit, & nudatus, atque consumptus; ubi quæso est? quomodò si recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus arescat; sic homo cùm dormierit, non resurget.*

Respondeo, verba illa Job, sic esse exponenda: Homo cùm mortuus fuerit, & nudatus, atque consum-

ſumptus, ſecundùm corpus; ubi quæſo eſt ſecundum illud corpus, quod conſumptum eſt? quomodò fi recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus areſcat; ſic homo cùm dormierit, (naturaliter) non reſurget ſecundùm priſtinum corpus, quod in ſepulchro conſumptum fuit.

Inſtabis 3. Geneſ. cap. 37. verſu 22. Ruben cupiens liberare Joſeph à morte, dicebat fratribus ſuis: *Non interficiatis animam ejus*: ſi autem anima hominis poteſt interfici, mortalis eſt. Reſpondeo, animam eo loco ſumi pro toto homine; ſicut & Geneſeos cap. 14. verſu 21. ubi ſic habetur: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*: id eſt, da mihi homines, cætera tolle tibi; prout ſeptuaginta verterunt.

Objic. 2. Epiſtolam Sophronii Archiepiſcopi Jeroſolimitani, quæ refertur in tertio Concilio Conſtantinopolitano, (quod eſt ſextum generale, ſeu ſexta Synodus generalis) Act. 11. quæque poſteà approbatur ab eadem Synodo act. 13. ibi namque dicitur, animam rationalem non eſſe immortalem per naturam, ſed per gratiam, his verbis. *Intellectualia atque inviſibilia nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur: non tamen ſunt immortalia per naturam, ſed gratiam eis largitus eſt* (nimirum Deus) *à corruptione ea, & à morte coercentem: ſic hominum animæ permanent incorruptæ, ſic immortales perſeverant.*

Reſpondeo diſtinguendo. Duobus enim modis aliquid poteſt dici immortale per naturam; nempè per naturam improductam, vel per naturam ab alio productam. Solus Deus eſt immortalis per naturam improductam; Angeli autem & hominum animæ ſunt immortales per naturam à Deo productam & conſervatam: & quia productio & conſervatio Angeli, vel animæ humanæ, fiunt à Deo gratis, ſicque gratuitæ ſunt; idcircò *gratiæ* latè ſumptæ dici poſſunt: & in iſto ſenſu, Angeli & hominum animæ dicun-

cuntur in Epistola citata per *gratiam* immortales.

Objic. 3. si anima rationalis ex sua natura esset immortalis, non moreretur, quando homo moritur, sed permaneret post separationem suam à corpore: atqui anima rationalis non permanet post separationem suam à corpore: ergo &c. Ma. clara est. Prob. min. cùm anima rationalis sit forma corporis, petit naturaliter esse in corpore; proindeque si permaneret separata à corpore, foret in statu violento; quod dici non potest.

Respondeo concessa ma. negando min. ad cujus prob. dico, animam rationalem habere duo; videlicèt, quòd sit forma corporis, & quòd sit spiritus quidam, in suo *esse* absolutè à corpore independens. Quando accipitur anima rationalis, ut est spiritus, accipitur veluti secundùm partem superiorem. Quando verò sumitur, prout est forma corporis, sumitur quasi secundùm partem inferiorem. Licèt itaque anima rationalis, prout est forma corporis, & secundùm partem inferiorem, connaturaliter petat, esse in corpore, attamen ipsi, ut est spiritus absolutè in suo *esse* à corpore independens, atque secundùm partem superiorem, connaturale est, esse sine corpore, in ipso separationis statu: unde, quòd anima rationalis subsistat sine corpore, hoc quidem violentum est illi secundùm quid; sed simpliciter, & secundùm partem superiorem, connaturale est: ea ergo anima rationalis à corpore separata, in statu secundùm quid violento, sed simpliciter connaturali.

Instabis 1. forma, quæ in suo *esse* dependet à corpore, nequit naturaliter esse sine corpore; & ita ex sua natura mortalis est: atqui anima rationalis in suo *esse* dependet à corpore: ergo &c. Prob. min. cùm ex communi axiomate; *operari sequatur esse*; ea forma in suo *esse* dependet à corpore,

quæ

quæ in *operari* ab eo dependet: atqui anima rationalis, in *operari*, nempè in *intelligere*, dependet à corpore; quandoquidem anima rationalis non niſi dependenter à miniſterio ſenſuum corporis intelligere poteſt: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. Ad cujus prob. dico, quòd forma aliqua poteſt in *operari* duobus modis à corpore dependere: videlicet vel propriè & ſimpliciter, vel impropriè & ſecundùm quid: tunc aliqua forma in *operari* propriè & ſimpliciter pẽdet à corpore, quãdo corpus, vel corporis, partes ſunt organa ſive ſubjecta proxima, quibus inhærent operativę potentię proprię illius formæ. Tunc verò forma aliqua in *operari* dependet impropriè ſolùm & ſecundùm quid à corpore, quando propriæ potentiæ operativæ hujuſmodi formæ non inhærent partibus corporis, velut organis, ſive ſubjectis proximis; dependent tamen iſtæ potentiæ in operationibus ſuis à corporis ſenſibus, tanquam à miniſtris.

Itaque anima rationalis in *operari*, videlicet in *intelligere*, dependet quidem impropriè & ſecundùm quid à corpore, quatenus propriæ potentiæ operativæ animæ rationalis, nempè intellectus & voluntas, vel earum operationes, dependent à ſenſibus corporis, tãquam à miniſtris, quorum nempè miniſterium ſupponunt, cum operantur; loquendo ſaltem de intellectu & voluntate animæ rationalis conjunctæ corpori: at anima rationalis in *operari*, vel in *intelligere*, propriè & ſimpliciter non dependet à corpore; quoniam propriæ ejus potentiæ operativæ, intellectus ſcilicet & voluntas, non inhærent partibus corporis, velut organis vel ſubjectis proximis, ſed immediatè inhæret ſubſtantiæ animæ rationalis.

Inſtabis 2. ſubſtantia incompleta non poteſt naturaliter ſtare ſola & ſeparata; atqui anima rationalis eſt ſubſtantia incompleta: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſubſtantia incom-

ple-

pleta corporea non poteſt naturaliter ſtare ſola & ſeparata, concedo: ſubſtantia incompleta incorporea & ſpiritualis non poteſt naturaliter ſtare ſola & ſeparata, nego; eo enim ipſo, quòd aliqua ſubſtantia eſt ſpiritualis & incorporea, debet eſſe per ſe ſubſiſtens (in quo differt ſubſtantia incompleta ſpiritualis à corporea) anima autem rationalis eſt quidem ſubſtantia incompleta, ſed ſpiritualis atque incorporea.

Obji. 4. ſublato fine, ceſſant media; ut communiter docent Philoſophi: atqui anima rationalis eſt propter hominem, tanquam propter finem: ergo homine per mortem ſublato, ceſſat anima rationalis, nec ampliùs perſeverat, ut immortalis.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſublato fine adæquato, ceſſant media, concedo: ſublato fine tantùm inadæquato, ceſſant media, nego: licèt verò, conſtituere hominem, ſit finis animæ rationalis; non eſt tamen finis ejus adæquatus, ſed inadæquatus tantùm: ut enim ſuprà dicebamus, anima rationalis duo habet, nimirũ, quòd ſit forma humana, & ſpiritus intellectivus. Finis animæ rationalis, ut eſt forma humana, eſt informare corpus humanum, & per talem informationem conſtituere hominem; & hic finis ceſſat in ipſa hominis morte: finis verò animæ rationalis, ut eſt ſpiritus intellectivus, eſt *intelligere*; & iſte finis nequaquam ceſſat in hominis interitu; ideòque permanere poteſt anima rationalis ad intelligendum, etiam poſt ipſum hominis interitum.

Objic. 5. ſi poſt hominis mortem remaneret anima rationalis ſeparata, fruſtrà in ea eſſet potentia ad materiam informandam; quandoquidem anima rationalis ſeparata nequit eo in ſtatu materiam vel corpus informare.

Reſpondeo negando illam ſequelam; ut enim aliqua potentia non ſit fruſtra, ſufficit, ut ſuo tempore fuerit ad actum redacta: licèt autem anima rationalis in ſtatu ſeparationis non poſſit ma-

materiam vel corpus informare, ipſum tamen corpus, tempore ſuo, actu informavit; eo nimirum tempore, quo ante ſeparationem erant in corpore omnes diſpoſitiones ad hanc informationem requiſitæ.

Quæres, quandonam producatur anima rationalis? Plato in Timæo finxit, Deum ſimul omnes animas rationales, aut humanas, ante humana corpora, ſeu ante homines produxiſſe, & in ſtellis eas conſtituiſſe; tum eas cœleſtium rerum tædio, & terrenarum amore captas, ut tanti ſceleris pœnas luerent, in corpora, tanquam in carceres, fuiſſe conjectas; à quo errore non diſſentit Origenes. Hic autem error damnatus eſt ab Eccleſia; facilèque ex eo confutatur, quòd pars non debet produci ante totum, cùm producatur propter ipſum: atqui anima rationalis eſt pars hominis, cùm homo eſſentialiter conſtet ex anima rationali, & corpore: ergo &c.

Non itaque productæ fuerunt animæ rationales ab initio mundi ante hominis productionem; ſed ſingulæ à Deo creantur, & corpori uniuntur, quando adſunt requiſitæ ad hanc unionem diſpoſitiones, ab agente naturali introductæ. Animas verò rationales non educi, ſed creari, alibi oſtenſum eſt.

Articulus Secundus.

Virùm una Anima rationalis sit altera perfectior?

TRibus modis concipi potest, unam animam rationalem esse altera perfectiorem. Primò perfectione specifica. Secundò perfectione substantiali individuali. Tertiò perfectione accidentali. Unam animam rationalem non esse altera perfectiorem perfectione specifica, ex eo constat, quòd tunc solùm una res dicitur altera perfectior perfectione specifica, quando est speciei perfectioris; una autem anima rationalis non est perfectioris speciei, quàm altera, sed omnes animæ rationales sunt ejusdem speciei, sicut omnes animæ leoninæ sunt prorsus ejusdem speciei.

Certum quoque est, unam animam rationalem esse altera perfectiorem perfectione accidentali; sæpè enim una anima rationalis majori pollet ingenio, majori & perfectiori scientia, &c. At difficultas est & controversia, utrùm una rationalis anima sit interdum perfectior altera, perfectione substantiali individuali, ita ut una sit secundùm substantiam suam individualem altera præstantior? Affirmativam sententiam docent Capreolus, Cajetanus, Ferrariensis, Bannes, aliique innumeri; negativam verò sententiam tuentur Durandus, Toletus, Sotus, & aliqui alii.

Dico: inter animas rationales quædam sunt aliis perfectiores perfectione substantiali individuali, ita ut una sit substantialiter individualiter, sive secundùm substantiam suam individualem, altera perfectior.

Prob. 1. ex D. Thoma 1. p. q. 85. a. 7. dicente, ex duplici capite provenire, quòd unus homo in-

intelligat eandem rem meliùs, quàm alter; hæc-que verba habente: *Vno quidem modo ex parte ipſius intellectus, qui eſt perfectior; manifeſtum eſt enim, quòd quantò corpus eſt meliùs diſpoſitum, tantò meliorem ſortitur animam; quod manifeſtè apparet in his, quæ ſunt ſpecie diverſa: unde etiam cùm in hominibus quidam habeant corpus meliùs diſpoſitum, ſortiuntur animam majoris virtutis in intelligendo; unde dicitur in 2. de anim. quòd molles carne, benè aptos mente videmus; alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget ad ſui operationem; illi enim, in quibus virtus imaginativa, & cogitativa, & memorativa eſt meliùs diſpoſita, ſunt ad intelligendum meliùs diſpoſiti.*

Ex quibus verbis patet, homines eſſe (ex mente S. Thomæ) inæquales, non modò ex parte virtutum, ſeu ex parte potentiarum inferiorum ſive ſenſitivarum, ſed etiam ex parte intellectus: nequit autem intellectus ex parte ſui eſſe in hominibus inæqualis, niſi ſubſtantia animæ rationalis ſit inæqualis, cùm intellectus ſit ſubſtantiæ animæ rationalis proprietas; etenim quia proprietas neceſſariam habet cum natura (cujus eſt proprietas) connexionem, ſapit naturæ conditionem; ideòque nequit proprietas eſſe in diverſis ſubjectis inæqualis, niſi quia in iis ſubjectis natura eſt inæqualis: & ideò ſi intellectus eſt in hominibus inæqualis, hoc ex eo provenit, quòd ſubſtantia animæ rationalis eſt in illis quoque inæqualis.

Prob. 2. ratione, quam tradit Angelicus Doctor 1. p. q. 85. art. 7. cùm diſpoſitio corporis ordinetur ad ſubſtantiam animę rationalis recipiendam, perfectiores corporis humani diſpoſitiones debent ordinari ad perfectiorem animæ rationalis ſubſtantiam recipiendam; proindèque ſi in hominibus, vel in humanis corporibus, inæquales reperiantur diſpoſitiones, ita ut in uno cor-

corpore humano sint dispositiones perfectiores quàm in altero; debent quoque animæ rationales in hominibus vel in humanis corporibus esse quantùm ad substantiam inæquales, adeò ut anima rationalis unius hominis debeat esse secundùm substantiam suam perfectior anima rationali alterius hominis: atqui in hominibus, vel in humanis corporibus, dispositiones sunt inæquales, propter inæqualitatem temperamentorum; ita ut in uno corpore humano dispositiones sint perfectiores, propter perfectius temperamentum, & in alio sint imperfectiores, propter imperfectius temperamentum: ergo &c.

Hinc docet D. Thomas in 2. dist. 21. quæst. 2. art. 1. ad 2. animam rationalem Adami fuisse dignorem anima Evæ, quia ordinabatur ad nobilius corpus, id est, ad corpus meliùs & perfectiùs dispositum. Et Sapientiæ 8. versu 19. Salomon dicit de seipso: *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*, id est, vulgaribus præstantiorem.

Objic. 1. D. Thomas 2. 2. q. 5. a. 4. ad 3. dicit, naturam humanam æqualiter in omnibus hominibus inveniri. Et 3. p. q. 69. a. 8. ad 3. ait, omnes homines convenire in forma, seu in anima.

Respondeo facilè, naturam humanam æqualiter in omnibus hominibus inveniri secundùm perfectionem specificam, non tamen secundùm perfectionem substantialem individualem. Similiter dico, omnes homines convenire in forma seu in anima, secundùm speciem, non autem secundùm perfectionem substantialem individualem.

Objic. 2. Si una anima rationalis esset substantialiter perfectior, & alia foret substantialiter imperfectior, substantia susciperet magis & minùs: atqui hoc dici non potest, cùm sit contra doctrinam Aristotelis cap. 5. ante prædicamentorum: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ſi una anima rationalis eſſet ſubſtantialiter perfectior, & alia foret ſubſtantialiter imperfectior: ſubſtantia ſuſciperet magis & minùs in diverſis individuis ejuſdem ſpeciei, ſecundùm diverſas perfectiones individuales, in primis illorum individuorum productionibus receptas, concedo: ſubſtantia ſuſciperet magis & minùs ſucceſſivè in uno eodemque individuo, adeò ut eadem numero ſubſtantia foret hodie magis, vel minùs, perfecta, quàm heri, (ſicut calor, qui nunc producitur, magis vel minùs erit perfectus in uno eodemque individualiter ſubjecto, poſt horæ quadrantem) nego. Et hoc modo explicandus venit Ariſtoteles, quando aſſerit, ſubſtantiam non ſuſcipere magis & minùs: loquitur ſiquidem de ſubſtantia in uno & eodem individuo; non verò de ſubſtantia in diverſis individuis ejuſdem ſpeciei, ſecundùm diverſas perfectiones individuales in primis illorum individuorum productionibus receptas.

Inſtabis: perfectio ſubſtantialis animæ rationalis conſiſtit in indiviſibili: ergo non poteſt eſſe major, vel minor; quod enim eſt in indiviſibile, nequit eſſe majus, vel minus; ſed ſemper idem permanet.

Reſpondeo diſtinguendo ant. perfectio ſubſtantialis animæ rationalis ſpecifica conſiſtit in indiviſibili, concedo: perfectio ſubſtantialis individualis animæ rationalis conſiſtit in indiviſibili; ſubdiſtinguo: conſiſtit in indiviſibili, ſi conſideremus perfectionem ſubſtantialem individualem unius animæ rationalis abſolutè ſecundùm ſe, concedo; reverà namque ſubſtãtialis perfectio individualis unius animæ rationalis ab initio ſuæ creationis permanet ſemper in eodem indiviſibili gradu: conſiſtit in indiviſibili, ſi conſideremus multiplicem perfectionem ſubſtantialem individualem, quam habent diverſæ animæ rationales in diverſis

ſub-

subjectis, sive in diversis corporibus humanis, nego; neque enim multiplex illa perfectio consistit in eodem indivisibili gradu, sed inter omnes illas perfectiones una est in gradu superiori, & alia in gradu inferiori, juxta majorem seu perfectiorem, vel minorem sive imperfectiorem, corporis humani dispositionem.

Objic. 3. Si rationalis anima unius hominis esset substantialiter perfectior anima rationali alterius hominis, unus homo differret specificè ab altero: atqui hoc dici non potest, quia apertè falsum est: ergo &c. Prob. ma. si anima rationalis unius hominis esset substantialiter perfectior anima rationali alterius hominis, unus homo differret ab altero secundùm formam, sive secundùm animam: ergo unus homo differret specificè ab altero; differentia quippè, quæ sumitur à forma, vel ab anima, est specifica; ut patet ex dictis in Logica.

Respondeo distinguendo ma. si rationalis anima unius hominis esset substantialiter specificè perfectior anima rationali alterius hominis, unus homo differet specificè ab altero, concedo: si rationalis anima unius hominis esset substantialiter perfectior solùm individualiter anima rationali alterius hominis, unus homo differret specificè ab altero, nego: sicut etenim differentia, quæ sumitur à forma vel anima, ut est specificè perfectior, est specifica; ita differentia, quæ desumitur à forma aut anima, prout duntaxat est individualiter perfectior, est tantùm individualis, & individualiter tantùmmodò facit differre; non dicimus autem, animam rationalem unius hominis esse substantialiter specificè perfectiorem anima rationali alterius hominis, sed individualiter tantùm.

Objic. 4. Si anima rationalis unius hominis esset substantialiter perfectior anima rationali alterius hominis, foret maximè propter meliorem corporis dispositionem: atqui dici non po-

poteſt, animam rationalẽ unius hominis eſſe ſubſtantialiter perfectiorem anima rationali alterius hominis, propter meliorem corporis diſpoſitionem: ergo &c. Prob. mi. ſi anima rationalis unius hominis, propter meliorem corporis diſpoſitionem, poſſet eſſe ſubſtantialiter perfectior anima rationali alterius hominis; poſſet anima rationalis filii, propter meliorem corporis diſpoſitionem, eſſe ſubſtantialiter perfectior anima rationali ſui patris: atqui hoc dici non poteſt: ergo &c. Prob. min. ſi anima rationalis filii, propter meliorem corporis diſpoſitionem, eſſet ſubſtantialiter perfectior anima rationali ſui patris, vel pater produceret meliorem illam corporis ſui filii diſpoſitionem, ut cauſa principalis, vel ut cauſa inſtrumentalis? atqui neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. mi. & primò quidem, pater non producit meliorem diſpoſitionem corporis filii ſui, ut cauſa principalis; quia producere effectum meliorem & nobiliorem, non convenit cauſæ principali, ſed inſtrumentali; pater non producit etiam ut cauſa inſtrumentalis meliorem diſpoſitionem corporis filii ſui; quia cùm pater ſit principalis cauſa ſui filii, eſt etiam principalis cauſa omnis diſpoſitionis corporis filii ſui.

Reſpondeo conceſſa maj. neg. min. ad cujus prob. conceſſa iterum ma. nego mi. ad prob. ejus diſtinguo: quamvis enim pater, ut cauſa principalis, producat diſpoſitionem, quæ eſt in corpore filii ſui, ad recipiendam animam; ſi tamen hæc diſpoſitio ſit melior & perfectior ea, quæ eſt in corpore patris, tunc pater non producit illam diſpoſitionem formaliter & reduplicativè ut meliorem & perfectiorem, tamquam cauſa principalis, ſed tamquam cauſa inſtrumentalis aut miniſterialis Dei ſupremi proviſoris, ad quem pertinet procurare bonum & pulchritudinem univerſi, quæ præcipuè reſultat ex diverſitate animarum viventium univerſi, quarum ali-

quæ

quæ sunt perfectiores, & aliæ imperfectiores; quæ quidem animarum diversitas stare non p· test sine dispositionum diversitate.

Objic. 5. Si anima rationalis esset substantialiter perfectior, quia corpus est meliùs dispositum; corpus meliùs dispositum esset causa majoris perfectionis substantialis animæ rationalis: atqui hoc absurdum est: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. si anima rationalis esset substantialiter perfectior, quia corpus est meliùs dispositum, corpus meliùs dispositum esset causa materialis subjectiva majoris perfectionis substantialis animæ rationalis, cujus nempè meliori dispositioni debet anima rationalis per majorem sui perfectionem substantialem commensurari & proportionari, concedo: corpus meliùs dispositum esset causa efficiens majoris perfectionis substantialis animæ rationalis, nego; etenim solùs Deus per creationem & conservationem est causa efficiens majoris perfectionis substantialis animæ rationalis.

Instabis: si Deus produceret animam rationalem substantialiter perfectiorem, propter corpus meliùs dispositum, Deus ordinaret animam rationalem ad corpus: atqui Deus non ordinat animam rationalem ad corpus; alioquin ordinaret id, quod perfectius est, ad imperfectius: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. Si Deus produceret animam rationalem substantialiter pefectiorem, propter corpus meliùs dispositum, Deus ordinaret animam rationalē ad corpus, tanquam ad subjectum ab ipsa anima rationali perficiendum, concedo: ordinaret animam rationalem ad corpus tanquam ad finem, nego: licèt autem absurdum sit, ordinare id, quod perfectius est, ad imperfectius, tanquam ad finem; nequaquam tamen absurdum est, ordinare id, quod perfectius est,

ad imperfectius, ſicut ad ſubjectum perficiendum.

Ob. 6. Si inter animas rationales eſſet aliqua ſubſtantialiter perfectior altera; maximè, quia inter corpora ſunt quædam meliùs diſpoſita, & alia minùs benè diſpoſita: atqui hæc ratio nulla eſt: ergo &c. Maj. continet præcipuam noſtræ concluſionis rationem. Prob. mi. nonnumquam contingit, ut animæ rationales nullo ferè pollentes ingenio, ſint in corporibus pulcherrimis optimèque diſpoſitis; & è contrà, animæ rationales ingenioſiſſimæ exiſtant in corporibus cõtractis & malè omninò diſpoſitis; ut experientia patet: ergo nulla eſt ratio, quæ probat, inter animas rationales eſſe aliquam ſubſtantialiter perfectiorem altera; quia inter corpora ſunt quædam meliùs diſpoſita, & alia minùs benè diſpoſita.

Reſpondeo diſtinguendo: corpus quippè poteſt dici meliùs diſpoſitum duobus modis. Primò, ſecundùm externa membra tantùm. Secundò, quoad interna ſenſuum organa, & temperamentum excellentius. Quando igitur diximus, animas rationales exiſtentes in corporibus meliùs diſpoſitis debere eſſe ſubſtantialiter perfectiores, locuti ſumus de corporibus meliùs diſpoſitis ſecundo modo. Similiter animæ rationales ſubſtantialiter imperfectiores debent eſſe in corporibus minùs benè diſpoſitis; non præcisè ſecundùm membra externa, ſed maximè quoad interna ſenſuum organa, & ſecundùm temperamentum minùs excellens.

Dices: ſi pro meliori & perfectiori diſpoſitione corporis, anima rationalis eſt ſubſtantialiter perfectior; ſequitur, animam rationalem in uno & eodem homine, eſſe modò ſubſtantialiter perfectiorem, & modò imperfectiorem: atqui hoc dici non poteſt: ergo &c. Prob. ſequela ma. in uno & eodem homine, tempore juventutis, diſpoſitio corporis eſt melior & perfectior; tempore verò

ſene-

senectutis, dispositio corporis est deterior & imperfectior; ut experientia patet: ergo, si pro meliori & perfectiori dispositione corporis, anima rationalis est substantialiter perfectior, sequitur, animam rationalem in uno & eodem homine esse modò substantialiter perfectiorem, & modò imperfectiorem.

Respondeo negando sequelam maj. quando enim diximus, pro meliori & perfectiori dispositione corporis, animam rationalem esse substantialiter perfectiorem, locuti sumus de dispositione corporis, quæ initio conceptionis inducitur in corpus; tunc etenim anima rationalis, quæ per creationem à Deo infunditur, illi dispositioni commensuratur & proportionatur; adeò ut, si dispositio illa melior & perfectior fuerit tunc, etiam anima rationalis, quæ eodem instanti infunditur in corpus, perfectior substantialiter sit; quam quidem perfectionem substantialem servat ac retinet eamdem, quandiu homo vivit; quoniam, ut *suprà dicebamus*, substantia in uno & eodem individuo *non* suscipit magis & minùs, variata individui dispositione; sed indivisibilis perseverat.

Objic. ultimò: cùm intellectus non sit potentia organica, non subjectatur in organo corporeo: ergo anima intellectualis seu rationalis non accipit majorem perfectionem suam substantialem individualem ex commensuratione seu ex proportione ad corpus meliùs dispositum aut organizatum.

Respondeo concesso ant. negando conseq. etenim licèt intellectus non subjectetur immediatè in organo corporeo, sed in substantia animæ rationalis, ex qua immediatè emanat: attamen ipsa substantia animæ rationalis immediatè subjectatur in corpore disposito & organizato; ideòque sicut individualis perfectio intellectus sumitur ex commensuratione & proportione ad substantiam

animæ rationalis; ita individualis perfectio, major, vel minor, ſubſtantiæ animæ rationalis, accipi debet per commenſurationem & proportionem ad corpus meliùs vel minùs benè diſpoſitum & organizatum.

Articulus Tertius.

De Intellectu.

§. I.

Quid & quotuplex ſit intellectus?

NOmine *intellectus* ſignificatur virtus aliqua, ſeu facultas quædam, per quam cognoſcimus objecta, modo ſupra omnem ſenſum externum elevato; quæ quidem virtus eſt animæ intellectualis ſeu rationalis proprietas. Definitur autem intellectus, *Spiritualis facultas animæ rationalis circa omne cognoſcibile occupata*: Ex qua definitione conſtat, objectum intellectus eſſe univerſaliſſimum, adeò ut omne ens complectatur. Hinc quia intellectus ipſe, & actus ejus, ſunt entia cognoſcibilia; idcircò intellectus non modò cætera objecta, ſed etiam ſeipſum, & proprium actum ſuum reflexè cognoſcit; unde intellectus communiter dicitur *reflexivus ſupra ſeipſum ac proprium actum*. Quod potentiis cognoſcitivis corporeis nequaquam competit. Hæ ſiquidem potentiæ alia à ſe diſtincta cognoſcunt quidem, ſeipſas tamen, vel proprios actus, cognoſcere minimè poſſunt: ſic viſiva potentia videt quidem parietem album, at ſeipſam videre, vel etiam actum ſuum, non poteſt.

Dividitur autem intellectus in agentem, & in patientem. Ita docent Ariſtoteles li. 3. de anim. ca. 4. & 5. ibique D. Thomas lect. 10. & alibi ſæpè, aliique Philoſophi communiter. Intellectus

agens

agens est ea animæ rationalis virtus seu facultas activa, quæ producit in intellectu patiente species intelligibiles objectorum repræsentativas; cùm etenim intellectus patiens ex se non habeat, v.g. naturæ leoninæ, naturæ equinæ, & aliorum omnium objectorum species intelligibiles, sed sit veluti *tabula rasa*, debet illas à præfata virtute seu facultate activa recipere. Tum maximè, quia sensus externi & interni sunt potentiæ materiales & corporeæ, quæ proinde nequeunt species intelligibiles, utpote spirituales & incorporeas, producere in intellectu patiente. Dicitur autem *agens*, quia species intelligibiles producendo agit. Intellectus verò patiens est illa animæ rationalis potentia, quæ omnium rerum species intelligibiles ab intellectu agente patiendo recipit, quarum beneficio omnia cognoscere potest. Appellatur autem *patiens*, vel etiam *intellectus patibilis*, quia ab intellectu agente patitur, recipiendo ab eo species intelligibiles. Vocari etiam solet *intellectus possibilis*, quia in *esse intelligibili* potest omnia fieri; recipiendo rerum omnium species intelligibiles; cum quibus *in esse intelligibili* identificatur, modo alibi explicato.

Intellectum agentem, & intellectum patientem, esse duas potentias realiter distinctas, negant Suarez, Major, & aliqui alii. Affirmant tamen communiter D. Thomæ Discipuli, cum Angelico præceptore, variis in locis.

Prob. autem ratione S. Thomæ, quam nimirum habet 1. p. q. 79. a. 10. & alibi: quod realiter ab alio patitur, realiter ab eo distinguitur, cùm idem non possit realiter à seipso pati: atqui intellectus patiens realiter ab intellectu agente patitur: ergo &c. Prob. min. quod realiter aliquid ab alio recipit, realiter ab illo patitur; ex communi enim Philosophorum dicto: *Recipere est pati*: atqui intellectus patiens realiter recipit species

animæ rationalis; ita individualis perfectio, major, vel minor, ſubſtantiæ animæ rationalis, accipi debet per commenſurationem & proportionem ad corpus meliùs vel minùs benè diſpoſitum & organizatum.

Articulus Tertius.

De Intellectu.

§. I.

Quid & quotuplex ſit intellectus?

NOmine *intellectus* ſignificatur virtus aliqua, ſeu facultas quædam, per quam cognoſcimus objecta, modo ſupra omnem ſenſum externum elevato; quæ quidem virtus eſt animæ intellectualis ſeu rationalis proprietas. Definitur autem intellectus, *Spiritualis facultas animæ rationalis circa omne cognoſcibile occupata*: Ex qua definitione conſtat, objectum intellectus eſſe univerſaliſſimum, adeò ut omne ens complectatur. Hinc quia intellectus ipſe, & actus ejus, ſunt entia cognoſcibilia; idcircò intellectus non modò cætera objecta, ſed etiam ſeipſum, & proprium actum ſuum reflexè cognoſcit; unde intellectus communiter dicitur *reflexivus ſupra ſeipſum ac proprium actum*. Quod potentiis cognoſcitivis corporeis nequaquam competit. Hæ ſiquidem potentiæ alia à ſe diſtincta cognoſcunt quidem, ſeipſas tamen, vel proprios actus, cognoſcere minimè poſſunt: ſic viſiva potentia videt quidem parietem album, at ſeipſam videre, vel etiam actum ſuum, non poteſt.

Dividitur autem intellectus in agentem, & in patientem. Ita docent Ariſtoteles li. 3. de anim. ca. 4. & 5. ibique D. Thomas lect. 10. & alibi ſæpè, aliique Philoſophi communiter. Intellectus agens

agens eſt ea animæ rationalis virtus ſeu facultas activa, quæ producit in intellectu patiente ſpecies intelligibiles objectorum repræſentativas; cùm etenim intellectus patiens ex ſe non habeat, v.g. naturæ leoninæ, naturæ equinæ, & aliorum omnium objectorum ſpecies intelligibiles, ſed ſit veluti *tabula raſa*, debet illas à præfata virtute ſeu facultate activa recipere. Tum maximè, quia ſenſus externi & interni ſunt potentiæ materiales & corporeæ, quæ proinde nequeunt ſpecies intelligibiles, utpote ſpirituales & incorporeas, producere in intellectu patiente. Dicitur autem *agens*, quia ſpecies intelligibiles producendo agit. Intellectus verò patiens eſt illa animæ rationalis potentia, quæ omnium rerum ſpecies intelligibiles ab intellectu agente patiendo recipit, quarum beneficio omnia cognoſcere poteſt. Appellatur autem *patiens*, vel etiam *intellectus patibilis*, quia ab intellectu agente patitur, recipiendo ab eo ſpecies intelligibiles. Vocari etiam ſolet *intellectus poſſibilis*, quia in *eſſe intelligibili* poteſt omnia fieri, recipiendo rerum omnium ſpecies intelligibiles, cum quibus *in eſſe intelligibili* identificatur, modo alibi explicato.

Intellectum agentem, & intellectum patientem, eſſe duas potentias realiter diſtinctas, negant Suarez, Major, & aliqui alii. Affirmant tamen communiter D. Thomæ Diſcipuli, cum Angelico præceptore, variis in locis.

Prob. autem ratione S. Thomæ, quam nimirum habet 1. p. q. 79. a. 10. & alibi: quod realiter ab alio patitur, realiter ab eo diſtinguitur, cùm idem non poſſit realiter à ſeipſo pati: atqui intellectus patiens realiter ab intellectu agente patitur: ergo &c. Prob. min. quod realiter aliquid ab alio recipit, realiter ab illo patitur; ex communi enim Philoſophorum dicto: *Recipere eſt pati*: atqui intellectus patiens realiter recipit ſpecies

intelligibiles ab intellectu agente; hinc namque *intellectus patiens* dicitur: ergo &c.

Dices 1. Si intellectus agens eſt potentia realiter ab intellectu patiente diſtincta, cujus propria actio ſit, producere ſpecies intelligibiles in intellectu patiente, abſtrahendo illas à phantaſmatibus, ſeu ab imaginibus in phantaſia exiſtentibus; inutilis erit intellectus agens in anima rationali ſeparata, quandoquidem in intellectu animæ rationalis ſeparatæ nulla ampliùs producetur ſpecies intelligibilis per abſtractionem à phantaſmatibus.

Reſpondeo negando, intellectum agentem fore inutilem in anima rationali ſeparata: quamvis enim intellectus agens in ſtatu ſeparationis animæ, nullam habeat actionem, habuit tamen ſuo tempore, videlicet tempore conjunctionis animæ cum corpore. Sanè potentia nutritiva, & potentia augmentativa, poſt reſurrectionem non erunt inutiles; quia licèt in ſtatu illo nullam ſint actionem habituræ, habent tamen debito tempore, nempè ante mortem. Remanebunt ergo intellectus agens, potentia nutritiva, & potentia augmentativa, in anima rationali ſeparata; non ad exercitium, ſed ad ornatum, & veluti ad ipſius animæ rationalis, vel naturæ humanæ, integritatem; neque enim anima rationalis, vel natura humana, cenſetur integra, niſi habeat omnes potentias ſibi connaturaliter debitas.

Dices 2. Intellectus agens realiter ab intellectu patiente diſtinctus, nullam habuit actionem in Chriſto; ut docet D. Thomas in 3. diſt. 14. quæſt. 3. art. 3. & q. 20. de verit. art. 3. ad 1. ergo fuit in Chriſto inutilis.

Reſpondeo, D. Thomam locis citatis fuiſſe in ea ſententia; ſed eam expreſsè retractaſſe 3. part. quæſt. 9. art. 4. ubi diſertè aſſerit, Chriſtum acquiſiviſſe ſpecies intelligibiles beneficio intellectus agentis, adeò ut habuerit, non

modò scientiam infusam, sed etiam scientiam acquisitam.

Dices 3. Intellectus patiens est ille, qui objectum cognoscit; proindèque si intellectus agens possit objectum cognoscere, non distinguitur realiter ab intellectu patiente: atqui intellectus agens cognoscit objectum: ergo &c. Prob. min. intelligere objectum, est ipsum cognoscere; ut patet: atqui intellectus agens intelligit objectum; alioquin immeritò appellaretur *Intellectus*, si nihil intelligeret: ergo, &c.

Respondeo distinguendo: duobus enim modis dici potest, intellectum agentem cognoscere vel intelligere objectum; videlicet, vel præparatoriè vel elicitivè. Itaque intellectus agens præparatoriè cognoscit seu intelligit objectum, quatenus præparat & producit species intelligibiles, quibus fit objectorum cognitio sive intellectio: attamen intellectus non cognoscit seu non intelligit elicitivè objectum, quasi eliciat cognitionem sive intellectionem objecti.

Instabis: omnis sensus sentit elicitivè: ergo omnis intellectus elicitivè intelligit.

Respondeo negando paritatem; etenim omnis sensus recipit species sensibiles immediatè à sensibilibus objectis, quibus fœcundatus elicit sensationem objecti sensibilis: at intellectus, ob spiritualitatem & immaterialitatem suam, nequit species intelligibiles spirituales & immateriales immediatè ab objectis sensibilibus accipere; ideòque indiget aliqua potentia sensibus superiore, quæ illas species producat, & intellectui imprimat; quæ potentia nequit esse alia præter intellectum agentem, cujus propria actio elicita, est productio speciei intelligibilis, quæ quidem productio nequit dici *cognitio* vel *intellectio*, nisi præparatoriè; sicque intellectus agens non cognoscit seu non intelligit elicitivè, sed præparatoriè solùm.

Dices 4. Si daretur intellectus agens, realiter ab intellectu patiente diſtinctus, intellectus ille agens foret intellectu patiente præſtantior; etenim ex Ariſtotele 3. de anim. c. 5. text. 19. *Agens præſtantius eſt patiente*: atqui dici non poteſt, intellectum agentem eſſe intellectu patiente præſtantiorem; cùm intellectus patiens ſit principium intellectionis, quæ eſt præſtantiſſima hominis operatio: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. ſi daretur intellectus agens realiter ab intellectu patiẽte diſtinctus intellectus ille agens, reduplicativè ut agens, foret intellectu patiente præſtantior, concedo; *Agere quippe nobilius eſt pati*: intellectus ille agens foret abſolutè intellectu patiente præſtantior, nego; etenim elicere præſtantiſſimam hominis operationem, nimirum intellectionem, præſtantius & excellentius eſt abſolutè, quàm ad illam præparare animam rationalem: quia ergo intellectus patiens elicit intellectionẽ, intellectus verò agens ſolùm ad illam præparat rationalem animam, debet intellectus patiens eſſe abſolutè intellectu agente præſtantior & excellentior.

Quantùm verò ad officium intellectus agentis; triplex communiter illi officium tribuitur. Primũ eſt *illuminare phantaſmata*; (id eſt, ſpecies ſenſibiles in phantaſia aut in imaginativa exiſtentes) ut docet Ariſtoteles li. 3. de anima c. 5. text. 18. ubi intellectũ agentem comparat lumini externo, quo colores illuminantur. Secundum intellectus agentis officium eſt, efficere vel conſtituere res actu ac proximè intelligibiles, eo ſimili modo, quo lumẽ externum colores actu & proximè viſibiles facit. Tertium officium intellectus agentis eſt, abſtrahere ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus.

Quę tria intellectus agentis officia breviter ſunt explicanda. Et quidẽ ab ultimo ordiemur. Intellectum itaque agentem abſtrahere ſpeciem intelligibilem à phantaſmate, eſt ipſum agẽtem intellectum

ctum ex phantasmate, id est, ex specie vel ex imagine in phantasia, vel in imaginativa, existente, & repræsentante objectum cum conditionibus materialibus & singularibus, v.g. cum hoc vel illo colore, cum *Petreitate*, vel *Paulcitate*, &c. educere speciem intelligibilē insensibilem, & spiritualem, quę impressa intellectui patienti, naturam objecti in communi sumptam, & abstractam à præfatis conditionibus, repræsentet; adeò ut species illa intelligibilis directè & primariò repræsentet naturam, v.g. humanam in communi & secundùm se, seu secundùm prædicata sua quidditativa sive essentialia; repræsentet verò indirectè, & secundariò tantùm, cōditiones materiales & singulares; v.g. hunc vel illum colorem, *Petreitatem*, vel *Paulcitatem*, &c. à quibus abstracta fuit natura directè & primariò repræsentata. Et hoc est *illuminare phantasma*, quoniam sicut tunc color illuminari censetur, quando *luminis beneficio distinctè incipit apparere*, cùm anteà *non appareret*; *sic etiam tunc* phantasma *illuminari dicitur, quando intellectus* agens facit, ut natura, *v.g. humana, quæ* secundùm sua prædicata essentialia, vel nullo modo, vel confusè solùm, in phantasmate repræsentabatur, postea in specie intelligibili distinctè & directè repræsentetur. Hoc etiam est constituere rem vel naturam communem secundùm prædicata sua essentialia, actu & proximè intelligibilem; anteà enim conditionibus materialibus & singularibus velata, non erat actu & proximè intelligibilis; postea verò, beneficio speciei intelligibilis ab intellectu agente efformatæ, fit actu & proximè intelligibilis, sive ab intellectu patiente directè & primariò cognoscibilis.

Quęres, utrum solus intellectus agens producat speciem intelligibilē in intellectu patiente; an verò ad hoc concurrat etiam phantasma, & quomodo?

Respondet D. Thomas quodlib. 8. a. 3. item q. 10. de verit. art. 7. ad 7. & aliis in locis, intel-

le-

lectum agentem eſſe principalem productionis ſpeciei intelligibilis cauſam; phantaſma autem concurrere ad eandem productionem ut inſtrumentum intellectus agentis. Quòd in primis intellectus agens producat in intellectu patiente ſpeciem intelligibilem, tanquam cauſa principalis; ex eo prob. quòd intellectus agens illum producit effectum ut cauſa principalis, ad quem producendum per ſe primò ordinatur, velut ad proprium effectum; ut patet: intellectus verò agens per ſe primò ordinatur ad producendam in intellectu patiente ſpeciem intelligibilem, velut ad proprium effectum producendum; ut ex dictis patet.

Quòd autem phantaſma concurrat ad productionem ſpeciei intelligibilis, ſaltem ut inſtrumentum; ex eo prob. quòd objectum intelligibile debet, ut cauſa efficiens, vel principalis, vel inſtrumentalis ſaltem, ad productionem ſuæ ſimilitudinis concurrere; quia ergo ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo objecti intelligibilis, debet objectum, ſaltem ut inſtrumentalis cauſa, concurrere ad productionem ſpeciei intelligibilis; & quia objectum ſecundùm entitatem ſuam non eſt præſens in anima, ſed duntaxat ſecundùm phantaſmas, (ſeu ſecundùm ſui ſpeciem & imaginem in phantaſia exiſtentem) idcircò debet phantaſma, loco objecti, ut cauſa inſtrumentalis ſaltem, ad productionem ſpeciei intelligibilis concurrere. Et quoniam phantaſma eſt materiale, ſpecies verò intelligibilis eſt ſpiritualis; nequit phantaſma concurrere ad productionem ſpeciei intelligibilis, niſi ex conjunctione cum intellectu agente, ab ipſo elevetur; eo ſimili modo, quo inſtrumentum ſolet à cauſa principali elevari ad ipſius cauſæ principalis effectum producendum.

Quantum verò ad objectum intellectus poſſibilis, ab ipſo nempè cognoſcibile; advertendum eſt, objectum alicujus potentiæ cognoſcitivæ debere diſtingui in adæquatum, ſeu extenſivum;

vum; & proportionatum, motivum, & terminativum. Objectum adæquatum & extensivum potentiæ cognoscitivæ est, quod comprehendit id omne, ad quod potentia illa se extendere potest, quovis tandem modo. Objectum autem proportionatum, motivum, & terminativum potentiæ cognoscitivæ est id, quod est commensuratum potentiæ cognoscitivæ secundùm vires suas consideratæ, adeò ut ipsa absque elevatione possit recipere ab objecto illo species intentionales, quibus moveatur & determinetur ad illius objecti cognitionem, ad quod in sua cognitione terminetur.

§. II.

Quodnam sit objectum intellectus possibilis?

DIcendum est 1. *objectum adæquatum & extensivum intellectus possibilis esse ens in tota latitudine sua sumptum. Ita communiter Philosophi & Theologi cum D. Thoma variis in locis; sed præcipuè 1. p. q. 78. a. 1.* ubi de intellectu possibili loquens, sic ait: *Est autem aliud genus potentiarum Animæ, quod respicit adhuc universalium objectum, scilicet non solum corpus sensibile, sed etiam universaliter omne ens.* Hæc D. Thomas.

Ratio etiam id suadet: siquidem sicut bonum est objectum adæquatum voluntatis; (malum quippè non attingitur à voluntate ratione sui, sed ratione boni) ita verum est objectum adæquatum intellectus possibilis; verum autem se extendit ad ens in tota latitudine sua sumptum, cùm verum & ens convertantur, quatenus verum est proprietas entis: objectum itaque adæquatum intellectus possibilis se extendit ad ens in tota latitudine sua acceptum.

Explicatur magis: objectum adæquatum alicu-

jus

jus potentiæ cognoſcitivæ eſt id, quod complectitur id omne, quod ab ea cognoſci poteſt : atqui ens in tota latitudine ſua ſpectatum complectitur id omne, quod ab intellectu poſſibili poteſt cognoſci : ergo &c. Ma. evidens eſt : objectum etenim *adæquatum* alicujus potentiæ cognoſcitivæ, ſic appellatur, quia adæquat potentiam : eo ipſo autem, quòd complectitur id omnes, ad quod ejuſmodi potentia ſe extendere poteſt, ſive id omne, quod ab illa cognoſci poteſt, cenſetur illam adæquare. Prob. verò min. ut aliquid complectatur id omne, quod ab aliqua potẽtia cognoſcitiva poteſt cognoſci, requiritur, ut potentia illa cognoſcitiva poſſit cognoſcere, quidquid intra illud cõtinetur; & inſuper, ut ea potẽtia cognoſcitiva nequeat ultrà ſe extẽdere ad aliquid cognoſcẽdũ, quod intra objectum illud non comprehendatur: atqui intellectus poſſibilis poteſt cognoſcere quidquid continetur intra ens in tota latitudine ſua ſpectatum, ſive intra latitudinem totius entis; & præterea intellectus poſſibilis nequit ultrà ſe extendere ad aliquid cognoſcendum, quod intra latitudinem totius entis non comprehendatur : ergo &c. Prob. min. & primò quidem intellectus poſſibilis poteſt cognoſcere quidquid continetur intra latitudinem totius entis; quia nullum eſt ens, quod aliquo modo deſcribi & explicari non poſſit; quod autem deſcribi & explicari poteſt, illud poteſt ab intellectu poſſibili cognoſci: tum etiam, quia omne ens, vel eſt increatum, vel creatum; vel ſpirituale, vel corporeum; vel ſubſtantia, vel accidens; vel reale, vel rationis: hæc autem omnia, ſaltem aliquo modo, cognoſcit intellectus poſſibilis; ut experientia conſtat. Quòd verò intellectus poſſibilis nõ poſſit ſe extendere ultra latitudinẽ totius entis, ex eo patet, quòd ultra latitudinẽ totius entis nõ reperitur, niſi *nihil*, quod non eſt cognoſcibile ratione ſui, ſed duntaxat ratione *entis*, cujus eſt negatio.

Dices 1. Si objectum adæquatum intellectus no-

noſtri poſſibilis eſſet ens in tota latitudine ſua ſumptum; poſſet intellectus noſter poſſibilis naturaliter cognoſcere Deum, ut in ſe eſt, & omnia myſteria ſupernaturalia: atqui hoc dici non poteſt; quandoquidem Deus, ut in ſe eſt, videri vel cognoſci nequit ſine lumine gloriæ, & myſteria ſupernaturalia cognoſci nequaquam poſſunt abſque fidei lumine: ergo &c. Prob. ma. potentia cognoſcitiva poteſt naturaliter cognoſcere id omne, quod continetur intra objectum ſuum adæquatum: ergo cùm Deus, ut in ſe eſt, & omnia myſteria ſupernaturalia, contineantur intra ens in tota latitudine ſua ſumptum; (quod ens ſi ſumptum, eſſet objectum adæquatum intellectus noſtri poſſibilis, poſſet intellectus noſter poſſibilis naturaliter cognoſcere Deum, ut in ſe eſt, & omnia myſteria ſupernaturalia.

Reſpondeo negando ma. potentia quippe cognoſcitiva, præſertim intellectiva, poteſt quidem naturaliter cognoſcere id omne, quod continetur intra objectum ſuum proportionatum; non tamen id omne, quod continetur intra objectum ſuum adæquatum; etenim intra objectum adæquatum potentiæ cognoſcitivæ, præcipuè intellectivæ, continetur, non modò objectum ejus proportionatum, ſed etiam improportionatum & excedens; quod utique cognoſcere non poteſt naturaliter, ſed ſupernaturaliter tantùm & beneficio elevationis: Deus autem, ut in ſe eſt, & myſteria ſupernaturalia, continentur intra ens in tota latitudine ſua ſumptum, (quod eſt adæquatum noſtri intellectus poſſibilis objectum) tanquam objecta improportionata & excedentia.

Dices 2. Si objectum adæquatum noſtri intellectus eſſet ens in tota latitudine ſua ſumptũ; intellectus noſter, & intellectus Angelicus, ſpecie non differrent: atqui intellectus noſter, & intellectus Angelicus differunt ſpecie: ergo &c. Min. videtur clara; potentiæ namque à naturis ſpecie diverſis

pro-

procedentes, ſpecie differunt: intellectus autem noſter, & intellectus Angelicus, procedunt à naturis ſpecie diverſis; videlicet intellectus noſter à natura humana, & intellectus Angelicus à natura Angelica. Prob. autem ma. cùm potentiæ ſpecificentur ab objectis, (ut alibi docuimus) illæ potentiæ non differunt ſpecie, quæ habent idem objectum: atqui, ſi objectum adæquatum noſtri intellectus, eſſet ens in tota latitudine ſua ſumptum, intellectus noſter, & intellectus Angelicus, haberent idem objectum, ſcilicet ens in tota latitudine ſua ſumptum: ergo &c.

Reſpondeo negando ma. ut enim duæ potentiæ cognoſcitivæ non differant ſpecie, ſed potiùs ſint ejuſdem ſpeciei, ſatis non eſt, ut habeant idem objectum materialiter, ſive eandem rem cognitam; ſed neceſſariò requiritur, ut habeant idem objectum formaliter, id eſt, neceſſe eſt, ut verſentur circa idem objectum ſub eadem ratione formali: quamvis autem intellectus noſter, & intellectus Angelicus, habeant idem objectum materialiter, videlicet ens in tota latitudine ſua acceptum; non habent tamen idem objectum formaliter, quoniam non verſantur circa ens in tota latitudine ſua ſumptum ſub eadem ratione formali, ſed potiùs ſub diverſa; ut enim docent communiter Theologi in Tract. de Angelis, in hoc differunt intellectus Angelicus, & intellectus humanus, quòd intellectus Angelicus cognoſcit res, rationem entis in tota latitudine ſua ſumpti participantes, per ſpecies univerſales, quarum nempè quælibet plures repræſentat naturas communes; intellectus verò humanus cognoſcit res per ſpecies intelligibiles, veluti particulares, quarum nempè quælibet unicam duntaxat repræſentat naturam communem. Verſantur itaque intellectus Angelicus, & intellectus humanus, circa ens in tota latitudine ſua acceptum, ſive meliùs, circa naturas communes, rationem entis in tota latitudine

dine sua sumpti participantes, sub diversa ratione formali, videlicet sub speciebus intelligibilibus diversæ rationis formalis.

Dices 3. *Potentia cognoscitiva, & habitus in ipsa potentia existens, nequeunt idem habere objectum; objectum quippe potentiæ cognoscitivæ debet esse universalius, quàm sit objectum habitus in potentia cognoscitiva existentis: ergo cùm Metaphysica sit habitus in intellectu humano existens, objectum Metaphysicæ nequit esse objectum intellectus humani; cùm igitur ens in communi in tota latitudine sumptum, sit objectum Metaphysicæ, nequit ens ita sumptum dici objectum intellectus humani.*

Respondeo distinguendo; concedo namque, intellectum humanum, & Metaphysicæ habitum, non posse habere idem formaliter objectum; minimè tamen repugnat, intellectum humanum, & Metaphysicę habitum, obtinere idem materialiter objectum, adeò ut licèt occupentur circa idem objectum materiale, versentur tamen circa illum sub diversa ratione formali: ita autem contingit in præsenti; intellectus enim humanus, & Metaphysicæ habitus, occupantur quidem circa ens in communi, sed sub diversa ratione formali; Metaphysicæ enim habitus versatur circa ens in communi sub propriis principiis, à principiis aliarum scientiarum distinctis; at intellectus humanus versatur circa ens in communi sub ratione veri in communi; quæ ratio complectitur sub se omnia scientiarum principia, quibus proinde est universalior.

Dicendum est 2. objectum proportionatum, motivum, & terminativum nostri intellectus possibilis, pro præsenti statu conjunctionis animæ rationalis cum corpore, esse naturam seu quidditatem materialem abstractam à conditionibus individuãtibus. Hæc veritas apud Discipulos D. Thomæ communis est, cum Angelico præceptore 1. p. q. 84.

q.84. a.7. & q.87.a.3. ad 1. aliiſque in locis; idemque docent plures alii Philoſophi.

Prob. autem & explicatur; & primò quidem, ſolam naturam materialem abſtractam à conditionibus individuantibus ſeu ſingularizantibus, eſſe objectum proportionatum motivum intellectus noſtri poſſibilis, pro præſenti ſtatu conjunctionis animæ rationalis cum corpore, ſic declaratur: Objectum proportionatum motivum intellectus noſtri poſſibilis eſt id, quod imprimit ipſi ſpeciem ſui repræſentativam, qua eum movet ac determinat ad ſui cognitionem, modo connaturali & proportionato ipſi intellectui: atqui id, quod pro præſenti ſtatu conjunctionis animę rationalis cum corpore, imprimit intellectui noſtro poſſibili ſpeciem ſui repræſentativam, modo connaturali & proportionato ipſi intellectui, eſt ſola natura materialis abſtracta à conditionibus individuantibus & ſingularizantibus: ergo &c. Ma. eſt evidens. Prob. min. ut enim ex dictis patet, intellectus poſſibilis non recipit impreſſas ſpecies, modo ſibi connaturali & proportionato, pro præſenti ſtatu conjunctionis, niſi per abſtractionem à phantaſmate; quæ abſtractio eſt actio intellectus agentis, naturam materialem in phantaſmate repræſentatam abſtrahentis à conditionibus individuantibus & ſingularizantibus, adeò ut natura materialis ſic abſtracta imprimat intellectui poſſibili (medio intellectus agentis beneficio) ſpeciem directè & primariò repræſentativam ſui, & individuorum ſeu ſingularium directè tantùm & ſecundariò.

Quòd autem natura materialis abſtracta à conditionibus individuantibus & ſingularizantibus ſit objectum proportionatum terminativum noſtri intellectus poſſibilis pro præfato conjunctionis ſtatu, facilè colligitur ex dictis: etenim eſt idem objectum motivum & terminativum potentiæ cognoſcitivæ, ſub diverſa conſideratione; ita ut

dica-

ſtractâ à conditionibus individuantibus
ularizantibus eſt objectum proportionatum
um intellectus poſſibilis, pro iſto conjun-
ſtatu; debet eadem materialis natura co-
modo abſtracta eſſe objectum proportiona-
ſm inativum intellectus poſſibilis, pro eo-
onjunctionis ſtatu.

es 1. Si objectum proportionatum noſtri in-
ius poſſibilis, pro præſenti conjunctionis
foret natura materialis, non poſſet noſter
ectus poſſibilis, pro illo conjunctionis ſtatu,
oſcere aliquid, niſi per ſpeciem naturæ ma-
is: atqui hoc dici non poteſt: ergo &c. Ma.
nis eſt. Prob. min. ſi non poſſet intellectus
ipoſſibilis, pro præſenti conjunctionis ſta-
ognoſcere aliquid, niſi per ſpeciem naturæ
iialis, non poſſet pro eodem ſtatu cognoſce-
imam rationalem, niſi per ſpeciem naturæ
eriïalis: atqui hoc dici non poteſt: ergo &c.
- min. ſi intellectus noſter poſſibilis, pro iſto
non poſſet cognoſcere animam rationalem,
per ſpeciem naturæ materialis, non poſſet
cognoſcere, ut eſt in ſe, cùm in ſe ſit imma-
llis: atqui dici non poteſt, noſtrum poſſibi-
intellectum, pro præſenti ſtatu, non poſſe
oſcere animam rationalem, ut in ſe eſt; alio-
non poſſet etiam cognoſcere naturam huma-
„ ut in ſe eſt; cùm ſic ſumpta per animam
inalem conſtituatur: ergo &c.
eſpondeo conceſſa ma. negando min. ad cu-
rob. conceſſa iterum ma. nego min. ad prob.
„ dico, animam rationalem poſſe duobus

mo-

q.84. a.7. & ... n se est; videlicet, vel imme-
que docen... dammodò, vel mediatè ac ve-
Prob... gnoscitur anima rationalis, ut
solam ... & à priori, dum cognoscitur
ni... m; & hoc modo una anima
cognoscit aliam, hocque mo-
... r possibilis nequit, in isto sta-
... mam rationalem, ut est in se:
... ationalis cognoscitur mediatè & à posteriori, ut est in se, quando cognoscitur per operationes ab ipsa, ut in se est, emanantes: & isto modo noster intellectus possibilis, pro præsenti statu, cognoscere potest animam rationalem, ut est in se; quamvis enim operationes animæ rationalis, quæ per organa corporis fiunt, sint materiales, ipsa verò rationalis anima sit in se immaterialis; attamen tales sunt interdum illæ operationes, ut non possint oriri, nisi ex anima in se immateriali & spirituali; ut patet in discursu exteriori circa quamcumque rem, v. g. circa spiritualia & corporea, circa substantiam & accidens, circa Deum & creaturas, &c. hic enim discursus emanare nequaquam potest, nisi ab anima in se immateriali & spirituali, cùm omnis anima in se materialis & corporea ad certa objecta determinetur, ultra quæ extendere se non potest. Licèt itaque operationes illæ sint naturę materiales, per ipsarum tamen species potest intellectus noster possibilis, pro præsenti statu, cognoscere animam rationalem mediatè & à posteriori, ut in se est; & hoc sufficit, ut cognoscat humanam naturam, ut est in se, cognoscendo, illam constare ex corpore, & ex anima in se immateriali ac spirituali, qua constituitur.

Dices 2. Objectum proportionatum motivum potentiæ cognoscitivæ est id, quod imprimit tali potentiæ speciem sui repræsentativam, qua movetur & determinatur ad hujusmodi objecti cognitionem; ut ex dictis patet: atqui natura materia-

rialis nequit imprimere intellectui poſſibili ſpeciem ſui repræſentativam : ergo &c. Prob. min. ex communi axiomate : *Nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu* : ac proinde illud duntaxat poteſt ſpeciem imprimere intellectui, quod poteſt eam imprimere ſenſui : atqui natura materialis nequit imprimere ſenſui ſpeciem ſui repræſentativam ; ſic v. g. communis natura leonina non poteſt ſui ſpeciem repræſentativam imprimere viſui ; licèt enim viſus poſſit cognoſcere ſeu videre hunc leonem, nequit tamen cognoſcere vel videre communem naturam leoninam : ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. diſtinguendo min. atqui natura materialis nequit immediatè imprimere intellectui poſſibili ſpeciem ſui repræſentativam, concedo : atqui natura materialis nequit immediatè imprimere intellectui poſſibili ſpeciem ſui repræſentativam, nego ; communis enim natura materialis, v. g. leonina, mediis individuis ſeu ſingularibus, in quibus exiſtit, imprimit ſenſibus externis ſpecies, quibus ut contracta per conditiones individuantes repræſentantur. Deinde mediis ſenſibus externis imprimit ſpecies ſenſibus internis, & tandem mediante intellectu agente imprimit intellectui poſſibili ſpeciem intelligibilem, qua ipſa repræſentatur ut à conditionibus individuantibus abſtracta.

III.

§. III.

Quomodo intellectus diſtinguatur à memoria intellectiva, & qua ratione intellectus ſpeculativus, & intellectus practicus, nec non ratio ſuperior, & ratio inferior, inter ſe differant?

MEmoria eſt potentia recordandi, ſeu vis animæ, qua recordari poſſumus rerum anteà cognitarum, ſive qua poſſumus cognoſcere, quòd aliquando habuerimus notitiam eorum, quæ rurſus cognoſcimus. Et memoria ita ſumpta dici poteſt *memoria in actu primo*. Memoria verò *in actu ſecundo* eſt ipſe actus ſecundus recordandi, qui ſi fiat cum inquiſitione & diſcurſu recordationis præcedentis ad aliam recordationem vel cognitionem ſequentem, dicitur *Reminiſcentia*. Tres autem conditiones ad memoriam requiri ſolent. Prima eſt, quam ponit Ariſtoteles lib. 3. de anima cap. 4. text. 6. videlicet, ut ſit conſervativa ſpecierum, quas ab objectis accipit, ſitque veluti earum theſaurus, ut quando opus fuerit, eas exhibeat; hinc Ariſtoteles vocat illa *locum ſpecierum*. Secunda conditio eſt, ut ſit de objecto jam cognito; & ita actus memorandi ſupponit priorem aliquam cognitionem, qua idem objectum fuerit anteà cognitum: ut hoc modo, qui recordatur, ſciat ſe habuiſſe priùs cognitionem de hujuſmodi objecto. Tertia conditio eſt, ut objectum, circa quod verſatur memoria, ſit præteritum reſpectu illius momenti, vel reſpectu illius temporis, quo fit actus memorandi; & quòd in ipſum feratur, ut præteritum eſt. His præmiſſis.

Dicendum eſt, reperiri in anima intellectiva ſeu rationali memoriam, quantùm ad primam conditionem, ita ut in ea ſit vera facultas ſpecie-

rum

rum semel acceptarum conservativa : anima quippe intellectiva vel rationalis est naturæ magis stabilis & immobilis, quàm anima sensitiva ; si ergo anima sensitiva est sufficientis stabilitatis & immobilitatis, ut possit conservare species objectorum semel cognitorum ; (ut fatentur omnes) id à fortiori de anima intellectiva, aut rationali, dicendum est.

In anima item intellectiva vel rationali reperitur memoria, quantùm ad secundam conditionem ; reverà namque intellectus cognoscit rursus, quod jam cognoverat anteà. Propriè tamen non reperitur memoria in anima rationali, quantùm ad tertiam conditionem, quia anima rationalis juncta cum corpore, habet pro objecto proportionato naturas communes & universales abstractas à conditionibus individuantibus, quæ propriè & *in esse rei*, seu secundùm se sumptæ, neque præsentes sunt, neque futuræ, neque præteritæ; sed abstrahunt ab omni tempore, præsenti, futuro, & præterito. *Dici tamen possunt* eædem naturæ, *aliquo modo*, *videlicet in esse objecti cogniti*, præsentes, futuræ, vel præteritæ, quatenus nonnunquam actu & de præsenti cognoscuntur ; interdum verò fuerunt, vel erunt, cognitæ.

Ex dictis infertur, non dari in anima intellectiva sive rationali memoriam intellectivam realiter ab intellectu possibili distinctam. Si enim daretur hæc memoria, deberet habere objectum proprium, distinctum à proprio intellectus possibilis objecto ; potentiæ enim realiter distinctæ, exigunt objecta propria à se mutuò distincta : atqui in anima intellectiva, aut rationali, non datur memoria intellectiva, quæ habeat objectum proprium distinctum à proprio intellectus possibilis objecto : ergo &c. Prob. min. si in anima intellectiva aut rationali daretur memoria intellectiva habens proprium objectum distinctũ à

proprio intellectus poſſibilis objecto, deberet illud objectum repræſentari per ſpecies intelligibiles ab intellectu agente receptas; quoniam anima intellectiva, pro præſenti conjunctionis ſtatu, aliunde recipere non poteſt ſpecies intelligibiles: objectum autem repræſentatum per ſpecies intelligibiles ab intellectu agente receptas, non diſtinguitur à proprio intellectus poſſibilis objecto; etenim, ut ex dictis patet, objectum repræſentatum per ſpecies intelligibiles ab intellectu agente acceptas, nihil aliud eſſe poteſt, præter naturam materialem à conditionibus individuantibus abſtractam, quæ eſt proprium & proportionatum intellectus poſſibilis objectum; ut declaratum eſt ſuprà.

Reſpondebis cum Adverſariis, (inter quos eſt Magiſter ſent. in 1. diſt. 3. c. 7. & 12. & 18. ubi docet, memoriam intellectivam eſſe realiter diſtinctam ab intellectu & voluntate, adeò ut in anima intellectiva tres potentiæ realiter diſtinctæ, nimirum intellectus, voluntas, & memoria intellectiva, inveniantur: Magiſtrum ſequuntur Richardus, & aliqui alii) objectum intellectus poſſibilis eſſe naturas communes ſecundùm ſe ſumptas, objectum verò memoriæ intellectivæ eſſe eaſdem naturas communes ut præteritas.

Sed contra eſt, quòd naturæ communes & univerſales abſtrahunt ab omni tempore, præſenti, futuro, & præterito: ergo dici nequeunt propriè præteritæ.

Dices 1. D. Auguſt. lib. 10 de Trinit. cap. 11. & 12. ponit in anima rationali, memoriam, intelligentiam, & voluntatem; & ait, illas potentias eſſe ad invicem æquales: ſi autem memoria, intelligentia (ſeu intellectus) eſſent idem realiter, non poſſent dici ad invicem æquales; cùm æqualitas non reperiatur, niſi inter extrema diſtincta.

Reſpondeo diſtinguendo; concedendo videlicet,

cet, memoriam & intelligentiam esse ad invicem æquales, non æqualitate reali, sed virtuali tantùm; (quæ inter extrema virtualiter distincta inveniri potest) ideòque sequitur quidem, intelligentiam & memoriam distingui virtualiter, non tamen realiter.

Dices 2. ex Theologis, post D. Augustinum locis citatis, anima humana est Santissimæ Trinitatis imago, quantùm ad hoc, quòd sicut in eadem animæ humanæ natura, sunt tres potentiæ; (videlicet intellectus, memoria intellectiva, & voluntas) ita in natura divina, una & eadem, sunt tres personæ: unde sicut tres personæ divinæ sunt realiter à se mutuò distinctæ; sic etiam intellectus, memoria intellectiva, & voluntas, debent realiter à se mutuò distingui.

Respondeo, animam humanam esse quidem Santissimæ Trinitatis imaginem, sed imperfectissimam planè: inquantùm videlicet, sicut in eadem humanæ animæ natura sunt tres potentiæ suo modo distinctæ, sic etiam in eadem natura divina sunt tres Personæ suo modo distinctæ; quamvis prior distinctio sit solùm virtualis, & posterior realis sit.

Dices 3. Memoria sensitiva distinguitur realiter à cæteris potentiis sensitivis, ut communiter docent Philosophi: ergo similiter memoria intellectiva distinguitur realiter à reliquis potentiis intellectivis, proindeque ab intellectu possibili.

Respondeo negando conseq. & paritatem: disparitas est, quòd memoria sensitiva habet objectum sibi proprium distinctum ab objectis aliarum potentiarum sensitivarum, videlicet singulare sensibile propriè præteritum, ut præteritum est; ideòque non est mirum, si memoria sensitiva realiter à cæteris potentiis sensitivis distinguatur: at memoria intellectiva non habet objectum

ſibi proprium, diſtinctum à proprio intellectus poſſibilis objecto, ut ex dictis patet.

Dices 4. Ut aliquæ potentiæ realiter diſtinguãtur, ſatis eſt, ut habeant diverſa objecta formalia: atqui memoria intellectiva, & intellectus poſſibilis, habent diverſa objecta formalia: ergo &c. Ma. certa eſt. Prob. min. ut aliquæ potentiæ habeant diverſa objecta formalia, eſt ſatis, ut habeant diverſas rationes formales, ſub quibus ferantur in objectum; cùm enim rationes formales diverſæ conſtituant formalia objecta diverſa, potentiæ quæ diverſas habent rationes formales, diverſa habeant objecta formalia, neceſſe eſt: atqui memoria intellectiva, & intellectus poſſibilis, habent diverſas rationes formales, ſub quibus feruntur in objectum; quandoquidem intellectus poſſibilis fertur in naturas communes, prout ſecundùm ſe ſunt veræ abſolutè; memoria verò intellectiva fertur in naturas communes, prout ſunt priùs cognitæ; ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. negando min. etenim ut aliquæ potentiç habeant diverſa objecta formalia, requiritur, ut habeant diverſas rationes formales primarias & adequatas: quamvis autem memoria intellectiva, & intellectus poſſibilis, habeant diverſas rationes, ſub quibus ferantur in objectum; non habent tamen diverſas rationes formales primarias & adæquatas, ſed inadæquatas tantùm, quarum una eſt primaria, & altera ſecundaria: quòd enim naturæ communes ſint veræ veritate objectiva abſolutè, eſt ratio formalis primaria intellectus poſſibilis; quòd verò naturæ communes fuerint priùs cognitæ, eſt ratio duntaxat ſecundaria; intellectus quippe poſſibilis eſt primariò & directè cognoſcitivus veri, & ſecundariò tantùm eſt reflexivus ſupra verum ut priùs cognitum.

Una itaque & eadem potentia intellectiva in homine, pro diverſitate functionum ſuarum, va-

ct um eſt. Vocatur etiam *mens*, *intelli-*
l intellectus; quatenus ſimpliciter &
.m. q. 8. a. 1.) hinc Angeli vocantur,
s.m, & *mentes*, quia res ſimpliciter &
ſui cognoſcunt. Appellatur *ratio*, qua-
pririt, & unum ex alio ratiocinando col-
tum *intellectus ſpeculativus*, prout con-
re:rum veritatem, non ordinando co-
ſuam ad praxim. Vocatur *intellectus*
quatenus verſatur circa ea, quæ ad pra-
nemt. Appellatur *ratio ſuperior*, prout
emtiæ inſtructa, intendit æternis, aut
diis, (contemplando eorum verita-
pn:ſulendis, agendorum regulas ab ip-
do. Dicitur *ratio inferior*, dum inten-
alibus, & per eorum ſcientiam diſpo-
nicque vocatur *memoria intellectiva*,
ve:rſatur circa objectum priùs cogni-

ARTICULUS QUARTUS.

De intellectione, & ſpecie expreſſa, ſeu verbo.

§. I.

De Intellectione.

IN intellectu poſſibili actu intelligente, ſeu cognoſcente objectum, quatuor ſunt diſtinguenda. Primum, eſt ipſa potentia intelligens, ſeu ipſe intellectus poſſibilis, de quo ſuprà egimus. Secundum, eſt ſpecies impreſſa & intelligibilis, conſtituens intellectum poſſibilem proximè & completè potentem ad intelligendum vel cognoſcendum objectum per ipſam repreſentatum. Tertium, eſt intellectio; quæ eſt propria actio intellectus, qua cognoſcit objectum, quod ſpecies impreſſa repreſentat. Quartum denique, eſt ſpecies expreſſa objecti actu cogniti vel intellecti. Appellatur autem *ſpecies*, id eſt, *imago*. Dicitur verò *expreſſa*; quia ex inpreſſa exprimitur, id eſt, ad ejus imitationē efformatur; dicitur etiam *expreſſa*, quia objectum exprimit, ſeu in actu ſecundo repræſentat. Appellatur quoque *terminus intrinſecus intellectionis*, vel *objectum ejus internum*; quia eſt reipſa terminus, vel objectum intellectionis, quod intrinſecè intra intellectum conſtituitur; cùm etenim intellectus ſit potentia immanens, non tranſit extra ſe ad objecta contemplanda, ſed illa intra ſe in ipſorū ſpeciebus expreſſis ſpeculatur; hinc ſpecies expreſſa objecti cognoſcitur *ut quo*, quoniam eſt id, quo intellectus actu cognoſcit objectum: cognoſcitur item *ut quod*, quoniam revera eſt id, quod intellectus immediatè cognoſcit, quamvis eo mediante etiam objectum externum cognoſcat. Dicitur quoque *verbum mentis*, quia ſicut homo per verbum oris loquitur aliis,

eiſ-

eisque suos manifestat conceptus; ita intellectus, vel agens intellectuale, per speciem expressam, tanquam per verbum ore interno mentis formatum, *veluti sibi ipsi loquitur*, objectum, quod *actu cognoscit*, sibi repræsentando & manifestando. Vocatur tandem *conceptus sive partus mentis*, quia sicut ex mare & fœmina physicus nascitur partus, vel conceptus fœtus; *ita ex objecto & potentia paritur notitia*, (ut habet commune axioma) id est, species expressa, in qua noscitur seu cognoscitur objectum.

Intellectionem verò non esse actionem prædicamentalem, *sive directè in prædicamento actionis* collocatam, videtur clarum. Etenim, ut constat ex dictis in Logica, actio prædicamentalis est actio formaliter transiens ad subjectum externum, in eoque recepta: patet autem, intellectionem non transire ad subjectum externum, in quo recipiatur; quin potiùs enim intellectio intra intellectū intrinsecè elicitur, in ipsoque recipitur, eum actu intelligentem constituendo. *Quamvis autem intellectio non sit actio directè ad prædicamentum* actionis pertinens, attamen est actio verè & propriè dicta, accipiendo actionem pro actu secundo, seu pro exercitio potentiæ activæ; intellectio quippè est verè & propriè actus secundus, seu actuale exercitium potentiæ activæ, videlicet potentiæ intellectivæ.

Quòd si quæras, ad quod prædicamentum pertineat intellectio? Respondeo, intellectionem pertinere ad prædicamentum qualitatis, & in prima ejus specie directè collocari; definitur namque prima qualitatis species: *Qualitas determinans subjectum ad hoc, ut benè, vel malè se habeat, secundùm esse suæ naturæ*: patet verò, intellectionem determinare subjectum suum, nempè intellectum, ad hoc, ut benè se habeat, secundùm *esse* suæ naturæ; cùm ipsum determinet ad hoc, ut sit in ultimo actu, seu in ultima perfectione suæ naturæ,

turæ; cùm revera intellectio ſit ultimus actus, ultimaque perfectio intellectus ſecundùm ſuam naturam conſiderati.

Dices 1. Ariſtoteles lib. 10. Ethic. cap. 3. expreſsè negat, fœlicitatem (quæ utique eſt intellectio, ut ſuo loco conſtabit) eſſe qualitatem. Reſpondeo diſtinguendo: concedo namque, fœlicitatem non eſſe qualitatem habitualem, ſeu per modum habitus; ſed nego, fœlicitatem non eſſe qualitatem actualem, habentem ſe videlicet ad modum actus ſecundi intellectivæ potentiæ.

Dices 2. Idem Ariſtoteles lib. 1. magnorum moralium c. ultimo, & 9. Metaph. c. 6. dividit actionem verè & propriè dictam in tranſeuntem, & immanentẽ, & ſub immanenti ponit intellectionem. Reſpondeo, Ariſtotelem non accipere ibi actionem verè & propriè dictam, pro actione prædicamentali, ſed pro actu ſecundo, vel pro actuali exercitio potentiæ activæ: fatemur autem, intellectionem eſſe verè & propriè dictam actionem in ſecundo ſenſu, at non in primo.

Dices 3. Omnis ſubſtantia creata verè & propriè dicta pertinet ad prędicamentum ſubſtantię: ergo pariter omnis actio creata verè & propriè dicta pertinet ad prædicamentum actionis, & ita eſt prædicamentalis; intellectio autem creata (de qua ſola nunc eſt ſermo) eſt actio creata verè & propriè dicta.

Reſpondeo negando paritatem: omnis quippe ſubſtantia creata verè & propriè dicta (ſaltem completa) participat verè ac propriè naturam prædicamenti ſubſtantiæ, ſive ſubſtantiæ prędicamentalis; eſt enim *ens per ſe completè ſubſiſtens*: at non omnis actio verè & propriè dicta, etiam creata, participat naturam prædicamenti actionis, ſive prædicamentalis actionis, videlicet, non omnis actio verè & propriè dicta, etiam creata, eſt actio formaliter tranſiens in ſubjectum extremum; ut ex dictis patet.

Di-

Dices 4. Omnis qualitas debet produci per actionem à se distinctam: atqui [illegible] producitur per actionem à se distinctam; quia nam enim esset ista actio? ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. omnis qualitas quæ non est actuale exercitium potentiæ activæ debet produci per actionem à se distinctam, concedo: omnis qualitas, etiam illa, quæ est actuale exercitium potentiæ activæ, debet produci per actionem à se distinctam, nego; actuale enim exercitium potentiæ activæ non producitur per actionem à se distinctam, (alioquin produci ipsum deberet per aliud exercitium à se distinctum, cùm omnis actio sit actuale exercitium potentiæ activæ; & ita procedendum foret in infinitum) sed debet à potentia activa emanare immediatè: quamvis autem intellectio sit qualitas, est tamen actuale exercitium potentiæ activæ, nimirum potentiæ intellectivæ.

Dices 5. Actio, quæ est motus, est prædicamentalis, juxta communem Philosophorum doctrinam: atqui intellectio est motus: ergo &c. Prob. min. omnis actio vitalis est motus: atqui intellectio est actio vitalis: ergo &c. Min. est certa. Prob. ma. actio, qua vivens movetur ab intrinseco, est motus: atqui vivens per omnem actionem vitalem movetur ab intrinseco, ut communiter docent Philosophi: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. actio, quæ est motus propriè dictus, est prædicamentalis, concedo: actio, quæ est motus impropriè dictus, est prædicamentalis, nego: licèt autem omnis actio vitalis sit latè & impropriè dictus motus, accipiendo motum latè & impropriè, pro actione, quæ à principio intrinseco procedit; attamen non omnis actio vitalis est motus strictè & propriè dictus, accipiendo motum strictè & propriè, pro tendentia mobilis ad ulteriorem terminum, sive ad ulteriorem perfectionem

cùm enim intellectio, viſio, & aliæ plures actiones vitales, ſint ultimæ potentiarum vitaliũm, à quibus procedunt, perfectiones & actualitates, nequeunt dici tendentiæ ejuſmodi potentiarum ad ulteriorem perfectionem.

§. II.

De Verbo.

DIco 1. Verbum mentis non eſt formaliter intellectio, ſed ab ea realiter diſtinguitur. Ita docent communiter Diſcipuli D. Thomæ; contra Scotum, Suarem, Vazquem, Molinam, & plures alios recentiores docentes, verbum mentis non diſtingui realiter ab intellectione, ſed potiùs eſſè ipſammet intellectionem, quam dicunt habere duplex munus inadæquatum: nempè munus cognoſcendi, & munus repræſentandi objectum; adeò ut ſecundùm prius munus, dici debeat *intellectio*; & ſecundùm alterum munus, *ſpecies expreſſa*, ſeu *verbum mentis*, debeat appellari.

Prob. ratione fundamentali, quæ ſic proponi poteſt: *id, ad quod intellectio realiter terminatur, realiter ab intellectione diſtinguitur*: atqui intellectio realiter ad verbum mentis terminatur: ergo &c. Min. in primis pàtet; cùm etenim objectum externum non ſit ſecundùm entitatẽ ſuam in intellectu præſens, ſed duntaxat beneficio verbi mentis, vices illius in intellectu gerentis, nequit intellectio realiter ad objectum externum immediatè terminari, ſed potiùs realiter ad verbum gerens vices objecti externi immediatè terminetur neceſſe eſt. Prob. verò ma. quod terminatur ad aliud, ab eo diſtinguitur; & quidem eo modo diſtinguitur, quo ad illud terminatur; ideòque ſi ad illud realiter terminetur, neceſſe eſt, ut realiter ab eo diſtinguatur: tum

maxi-

maximè, quia quod realiter terminatur, habet respectum realem ad id, ad quod realiter terminatur: proindèque realiter ab illo distinguitur, cùm idem nequeat habere respectum realem ad seipsum.

Sanè, si intellectio esset idem realiter cum verbo mentis, cùm omnis intellectio terminetur realiter immediatè ad verbum mentis, omnis intellectio foret realiter reflexa, utpote realiter ad seipsam terminata; inauditum autem est, omnem intellectionem esse reflexam.

Deinde, ut discurrit D. Thomas opusc. 43. id, in quo intellectus realiter intelligit objectum externum, non est realiter intellectio, sed potiùs realiter ab intellectione distinguitur; cùm intellectio non sit id, in quo; sed id, quo intellectus intelligit objectum externum: atqui verbum mentis est id, in quo intellectus realiter intelligit objectum externum; cùm verbum mentis sit ipsius objecti externi imago, ipsum in actu secundo repræsentans: ergo &c.

Nec dicant adversarii, intellectionem esse simul iid quo intellectus intelligit, & id in quo intellectus intelligit objectum externum. Non dicant, iinquam; nam id, in quo intellectus intelligit ob. Ubjectum externum, debet intelligi, *ut quod*; sicut sspeculum, in quo oculus externum videt objectum, debet videri *ut quod*; adeò ut debeat esse iid, quod videat oculus, & id, cujus beneficio ipsse oculus videat externum objectum: nequit autem intellectio intelligi, *ut quod* (saltem in intellectione aut cognitione directa) sed debet duntaxat esse actus, quo intellectus objectum intelliggat. Intellectio itaque, & verbum mentis, realiter distinguuntur, & quidem distinctione reali majori, quæ est inter duas res completas: intellectio quippe in suo genere est res completa, sicut & verbum mentis.

Dices 1. D. August. lib. 9. de Trin. cap. 10.

verbum appellat *notitiam*: ergo verbum eſt notitia mentis, quæ eſt ipſa intellectio.

Reſpondeo diſtinguendo: concedo namque, verbum mentis eſſe notitiam objectivè & terminativè, quatenus verbum mentis eſt objectum immediatum, & terminus intrinſecus notitiæ mentis: ſed nego, verbum mentis eſſe notitiam formaliter, ita ut verbum mentis ſit formaliter notitia ipſa.

Inſtabis: ex D. Auguſt. ibidem, notitia objecti eſt ejus ſimilitudo: ergo eſt formaliter verbum mentis; nihil quippe aliud eſt verbum mentis, quàm ſimilitudo objecti.

Reſpondeo diſtinguendo ant. ex D. Auguſt. notitia objecti eſt cauſaliter ejus ſimilitudo, quatenus hanc ſimilitudinem cauſat, concedo; notitia objecti eſt formaliter ejus ſimilitudo, nego. Vel alio modo iterum diſtinguo ant. notitia objecti eſt apprehenſiva ejus ſimilitudo; quatenus eſt id, quo potentia cognoſcens vel intelligens apprehendit objectum in ſua ſimilitudine repræſentatum, concedo: notitia objecti eſt objectiva ejus ſimilitudo, quaſi ſe teneat ex parte objecti, tanquam ejus imago, vices ipſius in potentia cognoſcente vel intelligente gerens, nego.

Dices 2. ex D. Thoma qu. 4. de verit. art. 2. ad 2. verbum eſt notitia expreſſa à cognoſcente: & opuſc. 12. ait, contemplationem veritatis eſſe verbum.

Reſpondeo ad 1. locum, ipſum diſtinguendo: verbum eſt notitia expreſſa à cognoſcente, per modum imaginis objectivæ, objecti externi repræſentativæ, concedo: verbum eſt notitia expreſſa à cognoſcente, per modum cognoſcitivæ vel intellectivæ operationis, nego. Ad 2. locum, reſpondeo cum diſtinctione jam data; concedendo nimirum, contemplationem veritatis eſſe verbum cauſaliter, non autem formaliter.

Di-

Dices 3. Verbum nihil est aliud, quàm actualis manifestatio objecti: atqui intellectio est actualis manifestatio objecti: ergo &c.

Respondeo distinguendo ma. verbum nihil est aliud, *quàm* actualis manifestatio objecti, per modum objectivæ imaginis objectum externum actualiter repræsentantis, concedo: verbum nihil est aliud, quàm actualis manifestatio objecti, per modum operationis cognoscentis vel intelligentis, nego: *intellectio autem est quidem actualis manifestatio objecti*; at non per modum objectivæ imaginis, objectum externum actualiter repræsentantis; *sed dumtaxat* per modum operationis cognoscentis.

Dices 4. Verbum mentis est id, quo mediante intellectus actu cognoscit objectum: ergo intellectio est verbum mentis.

Respondeo distinguendo maj. verbum mentis est id, quo mediante, per modum imaginis objectivæ, intellectus actu cognoscit objectum, concedo: verbum mentis est id, quo mediante, per modum operationis cognoscentis, intellectus actu cognoscit objectum, nego: licèt autem intellectio sit id, quo mediante, per modum operationis cognoscentis, intellectus actu cognoscit objectum; intellectio tamen non est id, quo mediante, per modum imaginis objectivæ, intellectus actu cognoscit objectum.

Dices 5. Cùm verbum mentis repræsentet objectum in actu secundo, constituit intellectum in actu secundo: ergo est intellectio ipsa; quandoquidem intellectio nihil est aliud, quàm actus secundus intellectus, sive id, quo intellectus constituitur in actu secundo.

Respondeo distinguendo ant. cùm verbum mentis repræsentet objectum in actu secundo, constituit objectivè, vel terminativè, intellectum in actu secundo, concedo; verbum namque est objectum internum, & terminus intrinsecus intellectionis,

nis, quæ eſt actus ſecundus intellectus; ideòque dici poteſt objectivè & terminativè cõſtituere intellectum in actu ſecundo, cùm verbum mentis repræſentet objectum in actu ſecundo: conſtituit formaliter intellectum in actu ſecundo, ita ut ſit formaliter actus ſecundus intellectus, nego: intellectio autem eſt formaliter actus ſecundus intellectus, ſive eſt id, quo intellectus conſtituitur formaliter in actu ſecundo intelligendi.

Dico 2. Dictio non eſt actio realiter adæquatè diſtincta ab intellectione, ſed eſt realiter una & eadem actio habens munera duo inadæquata, adeò ut vocetur *dictio*, quatenus producit ſeu exprimit verbum mentis: (ſicut enim ore externo, *dicendo* ſeu loquendo, formamus verbum, ſic dum os internum animæ ſeu intellectus *dicit* ſive loquitur, internum efformat verbum) dicatur autem *intellectio*, quatenus immediatè intelligit ſeu cognoſcit verbum, & eo mediante, objectum externum in ipſo verbo repræſentatum. Hinc D. Thomas qu. 4. de verit. art. 2. ait, *omne intelligere in nobis, propriè loquendo, eſſe dicere*. S. Doctorem ſequuntur communiter ejus diſcipuli.

Ratio eorum eſt: quia *dictio*, qua intellectus producit aut exprimit verbum mentis, elicitur ab ipſo intellectu: ſicut autem omnis actio elicita à voluntate, eſt realiter & eſſentialiter volitio; ita omnis actio elicita ab intellectu, eſt realiter & eſſentialiter intellectio: proindeque dictio elicita ab intellectu eſt realiter & eſſentialiter intellectio, & ita realiter adæquatè ab intellectione non diſtinguitur. Sanè, ſi intellectus eodem actu producit ens rationis, ipſumque cognoſcit, atque in eo, velut in radice, ipſius proprietates intelligit quare non poterit intellectus eadem actione, nempè eadem intellectione, & verbum mentis producere, & ipſum cognoſcere, atque objectum externum in illo intelligere?

Dices 1. Actio, quæ eſſentialiter producit ver-

verbum, distinguitur realiter ab ea actione, quæ essentialiter non producit verbum: atqui dictio essentialiter producit verbum, cùm ad hoc essentialiter ordinetur; intellectio verò essentialiter non producit verbum, alioquin omnis intellectio produceret verbum; quod tamen esse falsum, infrà constabit: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. actio, quæ ratione suæ substantiæ, seu naturæ suæ, essentialiter producit verbum, distinguitur realiter ab ea actione, quæ essentialiter non producit verbum, concedo: actio, quæ dumtaxat ratione alicujus modi ipsi superadditi, essentialiter producit verbum, distinguitur realiter &c. subdistinguo: distinguitur realiter modaliter, concedo: distinguitur realiter absolutè, seu distinctione reali majori, nego: quamvis autem dictio essentialiter producat verbum; hoc tamen non provenit ex substantia vel natura illius actionis, quæ *dictio* nuncupatur; sed id provenit ex modo, vel ex modali virtute, quæ ei superadditur, & ratione cujus à simplici intellectione distinguitur. Unde dictio distinguitur quidem modaliter à simplici intellectione, quæ verbum non producit; non distinguitur tamen dictio ab intellectione simplici realiter absolutè, sive distinctione reali majori & adæquata.

Dices 2. Actiones, quæ habent objecta propria diversa, distinguuntur realiter: atqui dictio, & intellectio, habent objecta propria diversa; proprium quippe objectum dictionis est verbum producendum, objectum verò proprium intellectionis est res in verbo cognita: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. actiones, quæ habent objecta propria adæquata diversa, distinguuntur realiter, concedo: actiones, quæ habent objecta propria inadæquata diversa, distinguuntur realiter, subdistinguo: distinguun-

guuntur realiter inadæquatè, ſive realiter modaliter, eſto: diſtinguuntur realiter adæquatè, ſive realiter abſolutè, nego: dictio autem, & intellectio, habent quidem objecta propria diverſa, ſed inadæquata tantùm; adeò ut verbum producendum, & res in verbo cognoſcenda vel cognita, conſtituant dumtaxat unum objectum adæquatum unius & ejuſdem actionis, ſecundùm duo munera inadæquata conſideratæ.

Dices 3. Ea realiter diſtinguuntur, quorum unum eſt prius alio: atqui dictio eſt prior intellectione; cùm prius debeat dici ſeu produci verbum, quàm intellectio fiat: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ea realiter diſtinguuntur, quorum unum eſt adæquatè & ſimpliciter prius alio, concedo: ea realiter diſtinguuntur, quorum unum inadæquatè & ſecundùm quid eſt prius alio, nego; ſaltem ſi ſermo ſit de diſtinctione reali adæquata, aut reali majori: dictio autem non eſt prior intellectione adæquatè & ſimpliciter, ſed inadæquatè tantùm & ſecundùm quid; quatenus in actu intellectionis diſtinguenda ſunt duo munera inadæquata, videlicet munus dicendi aut producendi verbum, & munus intelligendi aut cognoſcendi objectum in verbo; quorum primum prius eſt ſecundo prioritate naturæ, quatenus actus intelligendi ſecundùm illud primum munus producit verbum, quod in genere cauſæ formalis extrinſecæ & objectivæ eſt prioritate naturæ prius intellectione.

§. III.

§. III.

Quænam potentiæ formet verbum?

DIco: dum intellectus actu intelligit, formatverbum ſeu ſpeciem expreſſam. Hanc concluſionem docent communiter Philoſophi & Theologi, contra Scotum, qui nullum admittit verbum ab intellectione diſtinctum, ab ipſaque formatum.

Prob. autem concluſio ex eo, quòd *intellectus* dicitur, quaſi *intùs legens*; quia nempe objecta extra ſe poſita immediatè non contemplatur, ſed ea in ſe ipſo ſpeculatur, & quaſi legit; ad quod neceſſarium omninò eſt, ut in ſe formet eorum expreſſiones, in quibus objecta illa actu intelligendo ſpeculetur; & has objectorum expreſſiones appellant *Philoſophi & Theologi verba ſeu ſpecies expreſſas*.

Idque confirmat experientia, qua percipimus nos, dum res mente volvimus, eas in nobis, vel in noſtro intellectu, exprimere, ipſaſque in earum expreſſionibus contemplari.

Et quidem, intellectum formare verbum in intellectione cujuslibet rei creatæ, ex eo ſuadetur, quòd nulla res creata poteſt eſſe verbum in ſui intellectione: ſiquidem verbum, inquantùm diſtinguitur à ſpecie impreſſa aut intelligibili, ex ſua natura & eſſentia habet, quòd ſit actu intellectum eò quòd ſit eſſentialiter terminus actualis intellectionis: nulla verò res creata habet ex ſua eſſentia, quòd ſit actu intellecta; ſola quippe eſſentia increata divinaque, ob ſummam & infinitam actualitatẽ ſuam, habet, quòd ſit eſſentialiter per ſeipſam actu intellecta, adeò ut non indigeat verbo à ſe diſtincto, ut fiat actu intellecta. Ex quo

inferunt Theologi in tract. de viſione Dei, Beatos non formare verbum in ipſa Dei, aut divinæ eſſentiæ viſione; ſed divinam increatamque eſſentiam uniri intellectibus Beatorum, tamquam verbum, ſeu tamquam ſpeciem ſui expreſſam.

Dices 1. Ariſtoteles 9. Metaph. ca. 8. hoc inter actionem immanentem, & tranſeuntem, diſcrimen ponit, quòd per actionem tranſeuntem producitur quidem terminus vel effectus aliquis ab ipſa diſtinctus; non verò per actionem immanentem: ergo cùm intellectio ſit actio immanens non debet producere terminum, nempè verbum à ſe diſtinctum.

Reſpondeo ex Cajetano 1. p. q. 27. ar. 2. §. *ad primum dubium*, Ariſtotelem velle tantùm, hoc eſſe diſcrimen inter actionem tranſeuntem, & actionem immanentem, quòd actio tranſiens, per ſe, aut ratione ſui, & ex ſua natura, exigat producere terminum vel effectum à ſe diſtinctum; actio autem immanens, per ſe, vel ratione ſui, & ex ſua natura, id non exigat: nullibi tamen negat Philoſophus, actionem immanentem interdum, ob exigentiam objecti, producere terminum à ſe diſtinctum: & ita contingit in intellectione, quæ eſt actio immanens; neque enim intellectio per ſe, vel ratione ſui, aut ex ſua natura exigit producere verbum à ſe diſtinctum; ſed ipſum producit ob exigentiam objecti, ex eo nempè, quòd objectum, vel ſecundùm ſe non eſt præſens intra intellectum, vel ſi eſt præſens, non eſt tamen ſufficientis actualitatis, ut poſſit eſſe verbum in intellectione ſui ipſius.

Dices 2. D. Thomas 1. p. q. 34. ar. 1. ad 3. docet, intelligere (ſeu intellectionem) non importare ad rem intellectam (ſeu ad verbum intellectum) habitudinem originis (ſeu cauſalitatis:) hoc autem eſſet falſum, ſi intelligere ſeu intellectio cauſaret verbum. Reſpondeo facilè, D. Thomam ibi loqui de intellectione, præcisè ut intellectio eſt; non autem de ipſa, prout eſt dictio.

Di-

Dices 3. Nullus voluntatis actus producit terminum à se distinctum: ergo etiam nullus actus intellectus producit terminum sive verbum ab ipso distinctum.

Respondeo dato ant. negando conseq. & paritatem. Disparitas est, quòd voluntas non debeat attrahere objectum ad se, sed potiùs ferri debeat in illud; ideòque mirum non est, si non debeat voluntas per ullum actum suum producere terminum à se distinctum, ratione cujus objectum fiat in ipsa voluntate præsens: at intellectus intelligere debet attrahendo objectum ad se; & idcirco est necesse, ut intellectus per intellectionis actum, producat verbum ab intellectione distinctum, cujus beneficio objectum fiat in ipso intellectu præsens, dum actu ab illo intelligitur.

Ex dictis infertur, sensus externos non formare verbum, quia immediatè circa objecta externa sufficienter per seipsa eis præsentia occupantur. Colligitur è contra, sensus internos formare verbum, quoniam inter sensus internos & objecta externa mediant sensus externi, ideòque objecta externa non sunt per seipsa immediatè præsentia sensibus internis; proindeque debent fieri illis præsentia mediantibus verbis, seu speciebus expressis, ab ipsis sensibus internis effformatis.

Articulus Quintus.

De Voluntate.

QUemadmodùm præter ſenſus, à quibus cognitiones ſenſitivæ oriuntur, datur in nobis appetitus ſenſitivus, qui circa bonum ſenſibile, ſeu circa bonum per ſenſus apprehenſum, occupatur: ita præter intellectum, à quo cognitio rationalis ortum habet, admittendus eſt appetitus rationalis, qui in bonum per cognitionem rationalem propoſitum tendit; & hic appetitus appellari ſolet *voluntas*, illumque appetitum dari in nobis, experientia docet. Quædam ad voluntatem pertinentia in 1. p. Phyſicæ q. de cauſa finali explanata ſunt. Quædam alia in Morali exponentur. Unde tria tantùm ſuperſunt hìc explicanda. Primum eſt, utrum voluntas ſit potentia realiter ab intellectu diſtincta? Secundum eſt, ſuppoſita diſtinctione reali inter voluntatem, & intellectum, utrum intellectus ſit voluntate præſtantior, vel è contrà? Et tertium, utrum potentia motrix diſtinguatur à voluntate?

§. I.

§. I.

Verùm voluntas sit potentia realiter ab intellectu distincta?

DIco: voluntas est potentia realiter specificè ab intellectu distincta. Ita docent communiter D. Thomæ Discipuli; imò & frequentiùs alii Philosophi, contra Durandum.

Prob. 1. Eæ potentiæ, secundùm Philosophos realiter specificè distinguuntur, quæ habent diversa objecta formalia; quandoquidem potentiæ ab objectis formalibus specificantur, ut alibi ostensum est: atqui intellectus & voluntas habent diversa objecta formalia; cùm formale objectum intellectus sit *verum*, & objectum formale voluntatis sit *bonum*: ergo &c. Unde intellectus & voluntas versantur quidem circa *ens*, tamquam circa idem objectum materiale, sed sub diversa ratione formali, videlicet intellectus sub ratione *veri*, & voluntas sub ratione *boni*.

Prob. 2. Ea realiter distinguuntur, quorum unum realiter aliud dirigit; quod enim realiter dirigit, exprimit respectum realem ad id, quod dirigitur realiter; idem autem nequit exprimere respectum realem ad seipsum: atqui intellectus realiter dirigit voluntatem; hinc namque voluntas appellatur potentia cæca: ergo &c.

Objic. 1. Ea potentia non distinguitur realiter à voluntate, ad quam pertinet proprius volũtatis actus: atqui ad intellectum pertinet proprius voluntatis actus: ergo &c. Ma. evidens est. Prob. min. electio est proprius voluntatis actus, ut docent communiter Philosophi: atqui electio

per-

pertinet ad intellectum, ut aſſerit Philoſophus 6. Ethic. cap. 2. ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo: concedo quippè electionem pertinere directivè ad intellectum, quatenus electio, vel voluntas eligens, ab intellectu dirigitur; ſed nego, electionem pertinere ad intellectum elicitivè, ita ut electio ab intellectu eliciatur; quod tamen eſſet neceſſe, ut intellectus, & voluntas, eſſent realiter eadem potentia.

Objic. 2. Potentia intellectualis cognoſcitiva non diſtinguitur realiter ab intellectu; cùm nomine *intellectus* nihil aliud apud Philoſophos ſignificetur, quàm potentia intellectualis cognoſcitiva: atqui voluntas eſt potentia intellectualis cognoſcitiva: ergo &c. Prob. min. potentia libera, agens cum deliberatione, & conſilio, debet eſſe intellectualis cognoſcitiva; cùm deliberatio & conſilium ſint proprii actus potentiæ intellectualis cognoſcitivæ: atqui voluntas eſt potentia libera, agens cum deliberatione & conſilio, ut patet: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa maj. negando min. ad cujus prob. diſtinguo ma. potentia libera, agens cum deliberatione propria, & conſilio proprio, debet eſſe intellectualis cognoſcitiva, concedo: potentia libera, agens cum deliberatione & conſilio potentiæ intellectualis ſuperioris, debet eſſe intellectualis cognoſcitiva, nego: quamvis verò voluntas ſit potentia libera, agens cum deliberatione & conſilio: hæc tamen deliberatio, & iſtud conſilium, non eliciuntur à voluntate, tamquam ejus proprii actus; ſed eliciuntur à potentia intellectuali, voluntate ſuperiore & præſtantiore, à qua voluntas dirigitur, quæque *intellectus* nuncupatur.

Inſtabis: ſi voluntas non eſſet potentia cognoſcitiva, & non cognoſceret objectum, in quod fertur, ſequeretur, voluntatem ferri in objeumct

ctum sibi incognitum: atqui hoc videtur absurdum: ergo &c.

Respondeo distinguendo maj. si voluntas non esset potentia cognoscitiva, & non cognosceret objectum, in quod fertur, sequeretur, voluntatem ferri in objectum sibi elicitivè incognitum concedo; reverà namque voluntas non elicit cognitionem objecti, in quod fertur: sequeretur, voluntatem ferri in objectum sibi inclinativè & propositivè incognitum, nego; voluntas quippe inclinatur ad objectum ab intellectu cognitum & per cognitionem intellectus ipsi voluntati propositum.

Urgebis: ut voluntas feratur per amorem in aliquod objectum, debet moraliter ab illo moveri & allici: atqui voluntas moraliter moveri & allici non potest ab objecto, nisi propria cognitione illud cognoscat: ergo &c. Respondeo concessa ma. negando min. ut enim voluntas ab aliquo objecto moraliter moveatur, & alliciatur ad *ipsius amorem, sufficit, ut intellectus* sua cognitione *illud objectum apprehendat*, & apprehensum voluntati ut conveniens & amandum proponat.

Objic. 3. Si intellectus, & voluntas, realiter specificè distinguerentur, non posset voluntas elicere actus intellectus, neque intellectus posset elicere actus voluntatis: atqui voluntas potest elicere actus proprios, & actus intellectus: ergo &c. Maj. est manifesta. Prob. min. eadem potentia potest actus subordinatos elicere, ut communiter docent Philosophi: atqui actus voluntatis, & actus intellectus, sunt subordinati; nempè actus voluntatis subordinantur actibus intellectus, quos necessariò supponunt: ergo &c.

Respondeo concessa maj. negando min. ad cujus prob. dupliciter respondeo. Primò namque dici potest, aliquos actus posse esse subordinatos duobus modis, videlicet, vel propriè

vel

vel impropriè. Actus propriè subordinati su
li, quorum unus oritur ex alio, sicut actus s
darius ex primario. Actus verò impropriè su
dinati, ii sunt, quorum unus alium præsup
mit, licèt per modum actus secundarii ex
non oriatur. Ad eliciendos itaque actus p
priè subordinatos sufficit quidem una &
dem potentia, non tamen ad eliciendos ac
impropriè subordinatos: actus autem volun
tis impropriè quidem subordinantur actibus
tellectus, quatenus actus voluntatis necessar
præsupponunt actus intellectus; non tamen pr
priè, quoniam actus ipsius voluntatis non oriun
tur ab actibus intellectus, sicut actus secunda
rii ex primariis.

Secundò responderi potest, aliter distinguen.
do: concedo etenim, unam & eamdem potentiam
posse elicere actus subordinatos, dummodò ver.
sentur circa idem objectum formale; idque ne-
gandum est, si actus subordinati versentur circa
diversa objecta formalia: esto autem, actus vo.
luntatis subordinentur actibus intellectus; actus
tamen voluntatis, & actus intellectus, versan.
tur circa diversa objecta formalia; videlicet,
actus voluntatis circa bonum, & actus intelle.
ctus circa *verum*.

§. II.

§. II.

Virum intellectus sit præstantior voluntate, vel è contra?

COntroversia hæc antiqua est ac celebris inter utramque Scholam, Angelicam scilicet seu Thomisticam, & Subtilem, seu Scoticam. Etenim S. Thomas ubique asserit, intellectum esse longè perfectiorem voluntate: id disertè docet 3. contra Gent. cap. 26. ad 5. item quæst. 22. de verit. art. 11. rursus 1. p. qu. 26. art. 2. nec non qu. 82. ar. 3. in argumento *sed contra*, ubi sic habet: *Sed contra est, quòd Philosophus in decimo Ethicorum ponit altissimam perfectionem animæ esse intellectum*; & in corpore articuli iterum fatur: *Si intellectus & voluntas comparentur secundùm se, sic intellectus eminentior invenitur*. D. Thomam sequuntur non modò omnes ejus discipuli; sed etiam Suarez, Vasquez, Conimbricenses, & alii plurimi, tum antiqui, tum recentiores. Scotus verò è contra docet ubique, voluntatem esse intellectu perfectiorem. Eotum sequuntur omnes Scotistæ ipsius discipuli.

Dico: intellectus est simpliciter præstantior voluntate. Prob. 1. Cùm potentiæ specificentur objectis formalibus, (ut alibi probatum est) potentia debet specificè, & ita simpliciter, esse perfectior, quæ habet objectum formale perfectius in ratione objecti: atqui intellectus habet objectum formale in ratione objecti perfectius, quàm voluntas: ergo &c. Prob. minor: objectum formale potentiæ tantò est perfectius in ratione objecti, quantò est abstractius & simplicius; sic enim magis recedit ab imperfectio-

ne objectorum ſenſuum, præſertim externorum, quæ ſunt aliqua ſingularia valdè concreta, & cum variis accidentibus ſenſibilibus compoſita ſeu permixta: atqui objectum formale intellectus eſt abſtractius & ſimplicius, quàm objectum formale voluntatis: ergo &c. Prob. min. objectum formale intellectus ſunt naturæ communes abſtractæ à conditionibus ſingularizantibus, ut alibi explicatum eſt; objectum verò formale voluntatis eſt bonum exiſtens, vel bonum habens ordinem ad exiſtentiam (neque enim voluntas *Avari* deſiderat pecuniam poſſibilem, ſed pecuniam exiſtentem:) atqui naturæ communes abſtractæ à conditionibus ſingularizantibus, ſunt aliquid abſtractius & ſimplicius, quàm bonum exiſtens; quandoquidem omne exiſtens (ſaltem ratione ſui) eſt aliquid ſingulare, (naturæ enim univerſales non exiſtunt ratione ſui, ſed ratione ſingularium in quibus ſunt) ſingularia verò ſunt valdè concreta, & cum variis accidentibus ſingularibus compoſita ſive permixta; ut experientia patet: ergo &c.

Prob. 2. Illa potentia eſt ſimpliciter perfectior, cujus eſt cæteris imperare; ſicut enim obedire, eſt proprium inferioris; ita imperare, eſt proprium ſuperioris & perfectioris: atqui intellectus voluntati cæteriſque potentiis imperat; nam, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 1. imperium eſt proprius actus intellectus, & non voluntatis; idemque aſſerit Ariſtoteles 3. Ethic. cap. ultimo, ubi ait, rationem ſeu intellectum præcipere, & appetitum ſeu voluntatem obtemperare; itemque intellectum eſſe veluti pedagogum, regentem & præcipientem; appetitum verò tamquam puerum obedientem: ergo &c.

Ubi tamen notandum eſt, duo inveniri in imperio efficaci; ſcilicet vim movendi & applicandi cæteras potentias ad exercitium ſuarum operationum; & vim ordinandi, regendi, & dirigendi:

gendi: primam vim habet à voluntate, quæ in agente intellectuali eſt primum movens quoad exercitium: ſed vim ordinandi, regendi, & dirigendi habet imperium efficax, non à voluntate, (quæ eſt potentia cæca, quæque proinde non poteſt) ſed ab intellectu, qui ſubinde debet voluntatem ordinare, regere, & dirigere: ordinare verò, regere, ac dirigere, ſine dubio munus eſt potentiæ ſimpliciter ſuperioris, proindeque & ſimpliciter perfectioris.

Objic. 1. Illa potentia eſt ſimpliciter perfectior, cujus formale objectum eſt perfectius: atqui objectum formale voluntatis eſt perfectius objecto formali intellectus: ergo &c. Ma. patet ex dictis. Prob. min. objectum formale voluntatis eſt bonum, & objectum formale intellectus eſt *verum*: atqui bonum eſt perfectius vero: ergo &c. Ma. certa eſt. Prob. min. nam in primis ex D. Thoma 1. par. quæſt. 5. art. 1. ad 1. *bonum idem eſt ac perfectum*. Deinde, *verum*, quod eſt objectum formale intellectus, abſtrahit ab exiſtentia; quandoquidem intellectus attingit ac percipit etiam non exiſtentiam: bonum autem, quod eſt objectum formale voluntatis exprimit exiſtentiam; hinc poſſibilia, quæ ab exiſtentia abſtrahunt, non ſunt ſimpliciter bona, in communi Thomiſtarum doctrina: cùm ergo exiſtentia ſit ultima actualitas, ultimaque cujuslibet rei perfectio, *bonum* exprimens exiſtentiam perfectius eſt *vero* ab exiſtentia abſtrahente.

Reſpondeo diſtinguendo ma. illa potentia eſt ſimpliciter perfectior, cujus formale objectum eſt in *eſſe objecti* perfectius, concedo: illa potentia eſt ſimpliciter perfectior, cujus formale objectum eſt in *eſſe entis* perfectius, nego: neque enim de potentiis eſt judicandum ſecundùm earum objecta in *eſſe entis* accepta, ſed ſecundùm

illarum objecta in *eſſe objecti* ſpectata; cùm potentiæ non ſpecificentur ab objectis ſuis ſumptis in *eſſe entis*, ſed ab ipſis in *eſſe objecti* conſideratis: quamvis autem formale objectum voluntatis, nempè *bonum*, ſit in *eſſe entis* perfectius *vero*, quod eſt formale objectum intellectus; quatenus *bonum* exprimit exiſtentiam, quæ eſt ultima actualitas, ultimaque perfectio *entis*, ſive cujuslibet rei in *eſſe entis* conſideratæ; à qua abſtrahit verum, quod eſt formale objectum intellectus: attamen *verum* eſt in *eſſe objecti* perfectius quia eſt abſtractius & ſimplicius; ut oſtenſum eſt ſuprà.

Objic. 2. ex Ariſtotele 1. Ethic. cap. 1. & ex S. Thoma 1. p. quæſt. 1. art. 5. illæ artes & ſcientiæ (& conſequenter potentiæ) ſunt ſimpliciter perfectiores, quæ ad altiorem finem referuntur, & quæ pro objecto habent finem aliarum: atqui voluntas (charitate informata) habet pro objecto ſummum bonum & finem ultimum, tum intellectus, tum omnium aliarum potentiarum animæ, imò & rerum omnium: ergo voluntas eſt ſimpliciter perfectior intellectu & omnibus aliis animæ potentiis.

Reſpondeo diſtinguendo maj. ex Ariſtotele & ex S. Thoma, illæ artes & ſcientiæ (& conſequenter potentiæ) ſunt ſimpliciter perfectiores, quæ ad altiorem finem referuntur, & quæ pro objecto habent finem aliarum: ſi in finem illum præſtantiori modo tendant, concedo: ſi in illum finem modo minùs præſtanti tendant, nego: quamvis autem voluntas charitate informata, præſertim in Beatis, habeat pro objecto ſummum bonum, & finem ultimum; in ipſum tamen tendit modo minùs præſtanti, quàm in ipſum tendat *Beatorum* intellectus: etenim voluntas in Beatis tendit in finem ultimum per inclinationem; intellectus autem Beatorum tendit in finem ultimum,

ipſum

ipsum possidendo; ut in Morali explicabitur.

Objic. 3. si Intellectus esset simpliciter præstantior voluntate, præstantissimus actus intellectus deberet esse nobilior præstantissimo actu voluntatis; ut patet: atqui præstantissimus actus intellectus non est nobilior præstantissimo actu voluntatis: ergo &c. Prob. min. præstantissimus actus intellectus est visio Dei, præstantissimus verò voluntatis actus est amor Dei: atqui visio Dei non est nobilior ejus amore; imò è contra, amor Dei nobilior est Dei visione: ergo &c. Ma. est certa. Prob. min.

Primò ex D. Augustino 15. de Trin. cap. 19. *In donis Dei*, inquit, *nil majus est charitate*, sive amore Dei. Secundò ex illo 2. ad Corint. 13. *Major autem horum est charitas.* Tertiò ex D. Thoma 1. p. quæst. 82. art. 3. cognitio eorum, quæ sunt supra nos, est minùs perfecta, quàm sit eorum amor: atqui Deus est aliquid, quod est supra nos: ergo cognitio Dei est minùs perfecta, quàm sit Dei amor.

Quartò ex Aristotele 9. Ethic. c. 20. illud est melius (ac proinde perfectius) cujus oppositum est pejus: atqui oppositum amoris Dei est pejus opposito visionis Dei: ergo &c. Prob. min. oppositum amoris Dei est odium Dei; oppositum verò visionis Dei est carentia visionis Dei: atqui odium Dei est quid pejus carentia visionis Dei: ergo &c. Denique, illud est perfectius & melius, quod vir prudens præeligeret: atqui vir prudens præeligeret, Deum amare, quàm ipsum videre: ergo &c.

Respondeo concessa ma. negando min. Ad cujus prob. concessa iterum maj. negando min. Ad primam ejus prob. ex D. August. desumptam, dico, charitatem seu amorem Dei posse in duplici statu considerari; scilicet, vel in statu viæ, vel in statu patriæ: charitas aut amor Dei in statu viæ est perfectior cognitione Dei; at in statu

patriæ, è contra cognitio ſeu viſio Dei eſt charitate vel amore Dei perfectior.

Ratio autem diſparitatis eſt, quòd cognitio Dei in ſtatu viæ fit per ſpecies à creaturis beneficio ſenſuum acceptas; ideòque cognitio Dei in ſtatu viæ non percipit Deum, ut eſt in ſe, ſed ad modum creaturarum, quæ per ſpecies beneficio & miniſterio ſenſuum acceptas repræſentantur: at amor Dei, etiam in ſtatu viæ, fertur in Deum, ut eſt in ſe; hoc enim eſt diſcrimen inter intellectum, & voluntatem, quòd intellectus per cognitionis actum verſatur circa res, ut ſunt in ipſo intellectu, mediantibus ſpeciebus impreſſis & expreſſis; voluntas verò per modum tendentiæ & inclinationis fertur in res, ut ſunt in ſeipſis; unde cùm in ſtatu viæ Deus non ſit in noſtro intellectu, niſi mediantibus ſpeciebus impreſſis & expreſſis creaturarum, acceptis modo dicto; Deus in ſtatu viæ non cognoſcitur à nobis, niſi ad modum creaturarum: voluntas tamen noſtra in eodem ſtatu fertur per [illegible] ut eſt in ſe ipſo: & ideò cognitio, quam in ſtatu viæ habet intellectus noſter de Deo, eſt imperfectior amore, quo voluntas noſtra in eodem ſtatu fertur in Deum: at non ita eſt de cognitione & amore Dei in patria; ſicut enim in ſtatu patriæ fertur amor in Deum, ut eſt in ſe, ita & cognitio ſeu viſio, eo quòd intellectus in patria videt Deum per eſſentiam divinam tamquam per ſpeciem impreſſam & expreſſam, (ut docent D. Thomæ diſcipuli in tract. de viſione Dei) & præterea viſio Dei nobiliori modo verſatur circa Deum, quàm amor Dei in patria; quandoquidem amor Dei in patria fertur in Deum dumtaxat per modum tendentiæ & inclinationis, viſio autem Dei verſatur circa ipſum per modum actualis poſſeſſionis; ideòque debet cognitio Dei in patria, ſive ejus viſio, dici amore Dei perfectior.

Ex

Ex his eſt facilis reſponſio ad tres priores
rxſatæ minoris probationes. In primis enim
dici poteſt, in donis Dei nihil majus eſſe cha-
itate, ſi loquamur de donis Dei, quæ ſunt
n via: at aliter dicendum eſt, ſi loquamur
e donis Dei, quæ ſunt in Patria. Similiter
la Apoſtoli verba: *Major autem horum eſt cha-*
tas, intelligi debent de charitate viæ, com-
rativè ad fidem & ſpem. quæ ſunt dona Dei
ujus viæ. Verba Apoſtoli integrè rela-
ſunt hæc: *Nunc autem* (ſcilicet in via)
nent fides, ſpes, charitas, tria hæc; major
tem horum eſt charitas. Præterea, quando
Thomas 1. p. quæſt. 82. art. 3. ait, cognitio-
n eorum, quæ ſunt ſupra nos, eſſe imperfe-
orem eorum amore, loquitur S. Doctor de
gnitione rerum divinarum, quæ in ſtatu viæ
betur.

Ad 4. prob. ex Ariſtotele ſumptam, diſtinguo
. illud eſt melius, cujus oppoſitum eſt pejus
o genere, in quo oppoſitum eſt pejus,
cedo: in alio genere, nego: & ideò quia
oſitum amoris Dei, videlicet ipſius Dei
im, eſt quid pejus in genere morali, ita
m amor Dei debet eſſe melior in genere
ali; unde quemadmodùm odium Dei eſt
maximè demeritorium moraliter, ſic etiam
r Dei eſſe debet maximè meritorius morali-
at oppoſitum viſionis Dei, videlicet caren-
i ſionis Dei, eſt quid pejus phyſicè, quate-
eſt carentia actus, qui phyſicè, ſeu ſecun-
naturam ſuam phyſicam, eſt melior, &
antior amore Dei.

d ultimam prob. reſpondeo cum diſtinctione
. Diſtinguenda itaque eſt ma. illud eſt per-
us & melius moraliter, quod vir prudens
ligeret, concedo: illud eſt perfectius &
us phyſicè, quod vir prudens præelige-
nego: cùm etenim bonum morale ſit id,

quod eſt rectæ rationi conſonum; ſicut è contrà, malum morale eſt id, quod rectæ rationi diſſonum eſt; fit, ut quia vir prudens recta ratione utitur atque regitur, idcircò debeat ſemper præeligere bonum morale, non bonum phyſicum, quod à conſonantia vel diſſonantia cum recta ratione abſtrahit: unde ex eo, quòd vir prudens præeligeret amare Deum, quàm ipſum videre, inferri quidem poteſt, amorem Dei eſſe moraliter perfectiorem atque meliorem; nequaquam tamen colligi poteſt, amorem Dei eſſe phyſicè perfectiorem atque meliorem viſione Dei.

Inſtabis 1. ideò amor Dei in via eſt perfectior cognitione Dei viæ; quia, inquit Sanctus Thomas 1. par. qu. 82. art. 3. Deus eſt nobiliori modo in ſe, quàm in intellectu hominis in via exiſtentis: atqui Deus eſt etiam nobiliori modo in ſe, quàm in intellectu hominis in patria exiſtentis; quandoquidem Deus in ſe habet ſe modo infinito, in intellectu verò hominis in patria exiſtentis ſe habet modo finito: ergo ex mente Divi Thomæ, amor Dei, etiam in patria, eſt perfectior cognitione Dei patriæ.

Reſpondeo diſtinguendo: concedo namque, Deum eſſe nobiliori modo in ſe, quàm in intellectu hominis in patria exiſtentis: ſi conſideremus in intellectu illo modum cognoſcendi & repræſentandi; Deus namque repræſentatur illi intellectui modo finito, & eodem modo ab ipſo cognoſcitur; cùm tamen Deus in ſe, ſe habeat modo infinito: attamen nego, Deum eſſe nobiliori modo in ſe, quàm in intellectu hominis in patria exiſtentis, ſi conſideremus in illo intellectu rem cognitam & repræſentatam; etenim res repræſentata illi intellectui per eſſentiam divinam gerentem vices ſpeciei impreſſæ & expreſſæ, & ab eodem intellectu cognita in ſpecie illa, eſt Deus ipſe, ut in ſe eſt immediatè, incorporeus,

in-

nfinitus, & actus puriſſimus; cùm tamen Deus
n intellectu hominis in via exiſtentis ſit repræ-
entatus & cognitus ad modum Creaturarum
orporearum, finitarum, & potentialium; ut
x *dictis* patet.

Inſtabis 2. ſupremus & perfectiſſimus Angelo-
m ordo, nempè *Seraphin*, nomen habet ab
more Dei; ſecundus autem, ſcilicet *Cherubin*,
men obtinet à ſcientia, ſeu à cognitione Dei:
go ſignum eſt, amorem Dei eſſe ipſius cogni-
ne perfectiorem.

Reſpondeo, Seraphinos, & Cherubinos, ac-
iſſe nomina ſua ab amore, & cognitione viæ,
n verò ab amore, & cognitione patriæ: ſi enim
aphini & Cherubini accepiſſent nomina ſua
amore & cognitione patriæ, Angeli non debe-
t appellari Cherubini, *qui ad patriam num-
m pervenerunt: atqui hoc dici non poteſt*,
n Lucifer Ezechielis 28. cap. appelletur Che-
m; *leguntur enim hæc verba ibidem de Luci-
, qui ad patriam non pervenit: Tu Cherub
tus &c.* & paulò pòſt: *Perdidi te ò Cherub*
Unde ex illa inſtantia inferri quidem poteſt,
em Dei in via eſſe perfectiorem cognitione
n via; ſed inde colligi minimè poteſt, amo-
Dei abſolutè, vel amorem Dei in patria,
ognitione Dei perfectiorem.

bjic. 4. potentia, quæ reddit hominem bo-
& perfectum, eſt perfectior ea potentia,
non reddit hominem bonum atque perfe-
: *atqui voluntas*, beneficio virtutum mo-
n in ipſa exiſtentium, reddit hominem bo-
& perfectum; intellectus verò, ratione vir-
n intellectualium, non reddit hominem
m atque perfectum; ut enim rectè ait D.
ſtinus lib. 11. de civit. Dei ca. 28. *Neque vir
immeritò dicitur, qui* (per intellectum) *ſcit
uod bonum eſt; ſed qui* (per voluntatem)
: ergo &c.

Reſpondeo conceſſa ma. diſtinguendo min. atqui voluntas, beneficio virtutum moralium in ipſa exiſtentium, reddit hominem moraliter bonum & perfectum; intellectus verò, ratione virtutum intellectualium, non reddit hominem moraliter bonum atque perfectum, concedo; revera namque homo non redditur ſimpliciter bonus & perfectus moraliter, niſi habeat dilectionem Dei, ſeu charitatem, quæ pertinet ad voluntatem, non autem ad intellectum: atqui voluntas, beneficio virtutum moralium in ipſa exiſtentium, reddit hominem phyſicè bonum & perfectum; intellectus verò, ratione virtutum intellectualium, non reddit hominem phyſicè bonum atque perfectum, nego. Et diſtinguo etiam conſequens: ergo voluntas eſt moraliter perfectior intellectu, concedo: ergo voluntas eſt phyſicè perfectior intellectu, nego.

Objic. 5. docent communiter Philoſophi, cum Ariſtotel. 3. de anima cap. 5. text. 19. id, quod agit ac movet, præſtantius eſſe eo, quòd patitur ac movetur: atqui voluntas agit ac movet intellectum cæteraſque hominis potentias ad operationis exercitium; ut docent Philoſophi: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. docent communiter Philoſophi, cum Ariſtotele, id, quod agit ac movet, eſſe præſtantius eo, quod patitur ac movetur: ſi id, quod patitur ac movetur, ſit purè patiens & mobile, concedo: ſi id, quod patitur ac movetur, non ſit purè patiens & mobile, ſed potiùs perfectiori modo agat ac moveat, nego: quamvis autem voluntas moveat efficienter intellectum ad exercitium operationis; attamen intellectus perfectiori modo movet voluntatem, videlicet dirigendo, regendo, & imperando.

Inſtabis: potentia, quæ aliis imperat, eſt

aliis

aliis præstantior : atqui voluntas aliis potentiis imperat, adeò ut imperium pertineat ad voluntatem : ergo &c. Prob. min. cùm lex & imperium *in idem* coincidant, ad eam potentiam pertinet *imperium*, ad quam pertinet lex : atqui lex pertinet ad voluntatem : ergo &c. Min. ex eo constare videtur, quòd lex, & voluntas Legislatoris, idem sunt ; juxta commune illud dictum : *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

Respondeo concessâ maj. negando min. licèt (*im imperium præsupponat voluntatis actum, quo nempè voluntas applicat intellectum ad imperii exercitium*) formaliter tamen est actus intellectu elicitus, cùm imperium sit formaliter denunciatio quædam. Denunciatio autem, cùm sit actus potentiæ cognoscentis, non *Nuntiate cæca, sed ab intellectu cognoscente* elicitur.

Unde D. Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 1. sic ait : *Inquiritur, quid imperare sit actus rationis, vel intellectus) præsupposito actu voluntatis &c.* Sed obb. min. concessâ iterum ma. nego mi. nam. ex eo supponat actum voluntatis Legislatoris quo vim obligandi accipit ; formaliter tamen denunciatio voluntatis Legislatoris, denunciatio autem est formaliter actus ab intellectus ; ut patet ex modò dictis. Hinc D. Thomas 1. 2. quæst. 90. ar. 1. sic fatur : *Lex quædam regula est, & mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo arcetur : regula autem & mensura humanorum actuum est ratio, (seu intellectus) quæ est principium actuum humanorum ; ratio autem ordinare ad finem &c.* Imperium ergo & lex effectivè (nempè ex parte actus voluntatis præsupponunt) pertinent ad voluntatem formaliter & elicitivè spectant ad eam, ita ut consistant formaliter in

actibus ab intellectu elicitis.

Objic. 6. potentia, quæ eſt aliarum domina, eſt aliis præſtantior: atqui voluntas eſt aliarum potentiarum domina: ergo &c. Ma. videtur manifeſta. Prob. mi. cùm libertas conſiſtat in quodam dominio, ea potentia eſt aliarum domina, quæ eſt formaliter libera: atqui ſola voluntas eſt formaliter libera, ex communi Philoſophorum conſenſu: ergo &c.

Reſpondeo diſtinguendo ma. potentia, quæ eſt aliarum domina, eſt aliis præſtantior: ſi comparetur cum aliis potentiis, quarum ita eſt domina, ut earum imperio non ſubjiciatur, concedo: ſi comparetur cum illa potentia, cujus quidem aliquo modo eſt domina, ſed tamen cujus imperio ſubjicitur, nego: quamvis autem voluntas dici poſſit aliquo modo domina intellectus, quatenus voluntas liberè applicat efficienter intellectum ad exercitium ſuarum operationum; attamen ipſa voluntas ſubjicitur imperio intellectus, adeò ut agere non poſſit, niſi ex directione, imperio, & lege intellectus.

§. III.

§. III.

In quo consistat potentia animalium motrix?

TRiplex motus localis convenit animalibus. Primus provenit ab elemento prædominante, quo animalia deorsum communiter feruntur; & hic motus non est animalibus proprius, sed potiùs communis cum rebus inanimatis. Duo sunt alii motus animalibus peculiares, & artificioso quodam modo ab illis editi. Primus ex iis motibus dicitur *naturalis* & *vitalis*; hujusmodi sunt continuus cordis motus, compressio ac dilatatio pulmonum ad respirationem, & perpetuus arteriarum pulsus; & hi motus sunt ab omni voluntatis, vel appetitus, intellectus, vel sensus, actu independentes. Alter dicitur motus *animalis*, & *progressivus*, quo ex uno loco in alium sese animal transfert, secundùm se totum, vel secundùm partem: & de hoc motu præcipuè nobis hic quæstio est, à qua scilicet virtute vel potentia eliciatur? His præmissis

Dicendum est, potentiam loco motricem, à qua nempè elicitur localis motus, non distingui realiter in brutis, ab appetitu sensitivo, & interno sensu; sed esse reipsa appetitum sensitivum, & aliquem internum sensum. Ita docent communiter Philosophi, contra aliquos Recentiores.

Prob. & explicatur: si potentia loco-motrix in brutis realiter distingueretur ab appetitu sensitivo, & ab interno sensu, subjectari deberet in membris externis, in quibus exercetur localis motus; sicut, quia potentia visiva realiter ab appetitu sensitivo, & ab internis sen-

sibus

ſibus diſtinguitur, ſubjectatur in eo organo externo, in quo exercetur viſio: atqui in externis brutorum membris non ſubjectatur potentia loco-motrix, realiter ab appetitu ſenſitivo & ab interno ſenſu diſtincta: ergo &c. Prob. min. in externis brutorum membris, in quibus exercetur localis motus, non reperitur niſi habilitas ſeu aptitudo quædam paſſiva ad localem motum; hæc verò habilitas, ſeu paſſiva ad motum localem aptitudo, dici non poteſt potentia loco-motrix, cùm hæc potentia debeat eſſe activum motus localis principium.

In brutis ergo potentia loco-motrix non diſtinguitur realiter ab appetitu ſenſitivo, & à ſenſu interno; ſed reipſa eſt appetitus ſenſitivus, & aliquis ſenſus internus, & præſertim phantaſia, vel æſtimativa, aut memoria ſenſitiva; adeòut phantaſia, vel æſtimativa, aut memoria ſenſitiva, apprehendat bonum executioni mandandum & acquiſibile per motum localem, percipiatque motum localem ut medium ad bonum illud acquirendum; deinde appetitus ſenſitivus bonum præfatum per modum finis, & motum localem per modum medii, efficaciter deſideret, ſuoque illo efficaci deſiderio moveat & applicet phantaſiam, aut æſtimativam, vel memoriam ſenſitivam ad actum efficacem imperii, quo, mediis externis membris motis & applicatis, motus localis eliciatur.

Unde imperium illud eſt quidem formaliter immanens, (id eſt, ſecundùm ſuam entitatem formalem remanens in phantaſia, aut æſtimativa, vel memoria ſenſitiva, à qua elicitur) utpote actus vitalis; eſt tamen ad membra externa localiter movenda tranſiens virtualiter, videlicet ſecundùm virtutem & efficaciam, qua in ipſis externis membris motum localem efficit. Hinc localis motus eſt motivè & applicativè ab appetitu ſenſitivo; ſed eſt elicitivè & executivè atque

effe-

effectivè à phantasia, vel ab [illegible]
memoria sensitiva imperante.

Cæterùm licèt appetitus [illegible]
interni, principaliter efficiant [illegible]
dici tamen potest, nervos [illegible]
tibus vitalibus & animalibus [illegible]
proxima & immediata motus [illegible]
instrumenta; hoc enim medici doctrina & [illegible]
tidiana experientia probat.

Ex dictis infertur, quid sit dicendum de [illegible]
hominis motu; distinguendus enim est in [illegible]
ne duplex motus localis: alius enim est in [illegible]
ber, procedens ex deliberatione intellectus [illegible]
& ex libertate voluntatis humanæ; qui motus
est homini proprius: alius est independens à
deliberatione intellectus & libertate voluntatis,
qui homini & bruto communis est. Potentia ita-
que loco-motrix, quæ liberum efficit motum
localem in homine, est voluntas, seu appe-
titus rationalis ac liber, per deliberationem efficax
movens & applicans intellectum ad imperium
efficax, quo in membris humanis exercitis mo-
tis & applicatis motus ille liber efficitur.
Quantùm verò ad localem motum brutalem &
brutò communem; eodem modo de brutis,
ac de brutis, philosophandum est.

Objic. 1. D. Thomas 1. p. q. 78. a. 1. ad 4. ex-
pressè ait, non sufficere sensum & appetitum ad
localem motum: *Nisi superadderetur eis aliqua
virtus: nam in animalibus immobilibus est sen-
sus & appetitus, non tamen habent vim motivam:*
ergo ex mente D. Thomæ admitti debet vi-
tus motrix, realiter ab appetitu, & a sensu
distincta.

Respondeo distinguendo consequens: ergo ex
mente D. Thomæ admitti debet virtus motrix
passiva, realiter ab appetitu, & à sensu distincta;
concedo: (hinc conchilia, & similia animalia
sunt immobilia, quia virtutem motricem
pas-

paſſivam, ſeu habilitatem vel aptitudinem paſſivam ad localem motum vitalem non habent, licèt habeant appetitum & ſenſum) ergo ex mente D. Thomæ admitti debet virtus motrix activa, realiter ab appetitu & à ſenſu diſtincta, nego.

Inſtabis; S. Thomas opuſc. 43. cap. 5. ait *Appetitum imperare motum, æſtimativam dirigere, & potentiam motivam exequi*: ergo ex mente D. Thomæ, datur potentia executiva & effectiva motus, diſtincta ab appetitu, æſtimativa, & alio quovisſenſu interno.

Reſpondeo diſtinguendo & exponendo verba D. Thomæ: datur quippe potentia executiva aut effectiva motus *localis*, non quæ realiter adæquatè diſtinguatur ab æſtimativa, ut docent adverſarii; ſed quæ ab ea virtualiter & inadæquatè duntaxat diſtinguatur, adeò ut æſtimativa habet duo munera inadæquata virtualiter diſtincta: videlicet, dirigere appetitum deſiderantem motum localem, tanquam medium neceſſarium ad bonum deſideratum acquirendum, & ex vi deſiderii efficacis ejuſmodi boni, localem motum exequi.

Dum autem dicit D. Thomas, appetitum imperare motum localem, dupliciter poteſt reſponderi. Primò dici poteſt, appetitum imperare motivè & applicativè, (movendo & applicando intellectum, vel æſtimativam, ad eliciendum imperium) non tamen elicitivè (quaſi eliciat actum imperii.) Dici poteſt ſecundò, appetitum imperare motum latè; inquantùm applicat alias potentias ad motum; ſed nequaquam poteſt dici, appetitum ſtrictè imperare motum; imperium quippe propriè & ſtrictè ſumptum, eſt actus potentiæ cognoſcitivæ, qualis non eſt appetitus.

Objic. 2. motus localis, de quo in præſenti eſt ſermo, eſt actus vitalis; ea autem eſt actus vita-

vitalis conditio, & natura, ut elici debeat à potentia activa existente in subjecto, in quo exercetur: ergo cùm motus ille exerceatur in externis membris animalis, debet elici à potentia activa existente in ejusmodi membris, non autem ab appetitu vel à sensu interno.

Respondeo distinguendo: concedo quippe, potentiam activam motus localis executivam existere quidem in externis membris animalis; at non formaliter, sed virtualiter, nempè secundùm vitalem virtutem, per imperium efficax, ad illa membra à sensu interno imperante diffusam.

Obji. 3. alii actus vitales non eliciuntur ab appetitu, & ab interno sensu, sed à potentiis realiter ab utroque distinctis, ut patet in visione, auditione, &c. ergo pariter motus localis non elicitur ab appetitu, vel ab interno sensu, sed à potentia realiter ab utroque distincta.

Respondeo negando paritatem; in membris siquidem externis animalis, in quibus exercetur localis motus, non reperitur nisi habilitas seu aptitudo quædam passiva ad localem motum, ut suprà dicebamus; nequit verò motus localis elici ab illa habilitate vel aptitudine passiva, cùm vis vel potentia elicitiva seu effectiva deberet esse effectiva; idcòque supereſt, ut localis motus eliciatur ab appetitu & ab interno sensu, modo suprà explicato: at in oculis reperitur potentia visiva, in auribus invenitur auditiva, &c. quæ potentiæ non sunt meræ habilitates aut aptitudines passivæ, sed potiùs sunt potentiæ verè & propriè activæ, ad certam prædicamenti qualitatis speciem directè pertinentes. Et ideò non est mirum, si visio, auditio, & similes actus vitales, à potentia visiva, potentia auditiva, & similibus potentiis vitalibus eliciantur, non autem ab appetitu, vel ab interno sensu.

Objic.

Objic. 4. Aristoteles 2. de Anima cap. 3. text. 27. & lib. 3. cap. 9. à text. 41. expresè asserit, potentiam loco motivam distingui à potentia sentiente, (sive à sensu) à potentia appetitiva, (seu ab appetitu) & à potentia intellectiva (sive ab intellectu.)

Respondeo, distinguendo & exponendo allatam Aristotelis doctrinam: potentia ergo loco motiva, inadæquatè quidem & virtualiter distinguitur à sentiente, sive à sensu interno in brutis, & ab intelligente, seu ab intellectu in homine, quatenus sensus internus in brutis, & intellectus in homine, habent duo munera inadæquata, virtualiter distincta, nimirum *cognoscere*, & *efficaciter imperare* localem motum; sub quo munere ultimo dicuntur potentię *loco motivæ*, (modo suprà explicato) sicut & sub primo munere appellatur *sensus*, vel *intellectus*: at potentia loco motiva nequaquam adæquatè & realiter distinguitur à sensu interno, vel ab intellectu, & appetitu.

Objic. 5. motus localis in homine nonnumquam prævenit omnem intellectus operationem ut patet in his, qui inter dormiendum ambulant: ergo saltem tunc non elicitur ab intellectu localis motus.

Respondeo concedendo totum argumentum: duplex etenim in homine est localis motus; alius enim est liber, procedens ex deliberatione intellectus, & ex libertate voluntatis humanæ; hicque motus elicitur vel efficitur ab intellectu, medio efficaci imperio: alius est localis motus in homine, qui prævenit omnem intellectus deliberationem, atque omnem voluntatis humanæ libertatem; & iste localis motus provenit aut elicitur in homine, sicut & in brutis, ab aliquo sensu interno, & ab appetitu sensitivo.

Quæres, utrum omnibus animalibus conveniat potentia loco motiva? Respondeo, convenire omnibus; sed diverso modo. Quæ enim nobiliorem

Qu. ult. De Ani
rem naturam obtin
vim quoque motri
defit, ut quædam
quia eorum sensus
bus immutari possu
moventur, per ae
mare notando, qu
vel gradiendo; & d
bentur præstantissim
dictis modis moven
sima animalcula, d
sede consistunt, qu
ninò tamen motu ca
si pungantur: dilata
dum delectantur:
ninò vi motrice, sic

Finis

3615

per ... ptando per
gradiuntur, omnium
Quæ autem nullo ex omnium ha-
ut quædam imperfectis præ-
secundùm se tota stabili
sunt conchylia; non om-
, quia contrahunt sese,
verò & diducunt membra
de non destituuntur om-
nec imaginatione.

omi Quinti,

BIBLIOT. A. O. F. M. CA
MONTEFUSCO
II

BIBLIOTECA D. F. M.
MONTEFUSCO
(Av.)
D.

Kodak Gray Scale
C
Y
M
© Koda
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17

1
2
3
5
6
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
Kodak Color Control Patches
© Ko
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color